





GAUDEO.



HISTORIA
DE
ABIPONIBUS
EQUESTRI, BELLICOSAQUE
PARAQUARIÆ
NATIONE
LOCUPLETATA
COPIOSIS BARBARARUM GENTIUM, URBIUM, FLUMINUM, FERARUM, AMPHIBIORUM, INSECTORUM, SERPENTIUM PRÆCIPUORUM, PISCIUM, AVIUM, ARBORUM PLANTARUM, ALIARUMQUE EIUSDEM PROVINCIÆ PROPRIETATUM OBSERVATIONIBUS,

AUTHORE
MARTINO DOBRIZHOFFER
PRESBYTERO, ET PER ANNOS DUO DE VIGINTI PARAQUARIÆ MISSIONARIO.

PARS TERTIA.



VIENNÆ,
TYPIS JOSEPHI NOB. DE KURZBEK,
CÆS. REG. AUL. TYPOG. ET BIBLIOP.
ANNO 1784.



HISTORIA DE ABIPONIBUS PARS III.

CAPUT I.

De exitiali Abiponum, iisque fœderatorum Mocobiorum in Hiſpanos odio.

Indos Paraquariæ indigenas magna ex parte ſub jugum miſit Hiſpanus, militum aliquando, ſæpius ſacerdotum opera, qui inermes eo penetrarunt, quo miles nunquam potuit. Plus illi potuere globulis vitreis, quos dono Indis dederant, quam iſte plumbeis. Abipones tamen alterum in ſeculum contu-

maces nec donis, nec armis ſe vinci unquam patiebantur. Hiſpanum nunquam amicum voluere, minus dominatorem, & ne ſubacti aliquando hoſtem experirentur, libertati ſuæ jam pugnando, jam, ut res ferebat, fugiendo conſultum ibant, armis uſi interdum, ſæpius aſtu, ac velocitate. Stativorum, quæ ſibi delegerant, natura ſecuritatem illis præſtitit, timendasque Hiſpanorum patente in campo vires eluſit. Vinci haud poterant, quia non poterant adiri vel paludibus vel ſylvis imperviis defenſi, maxime dum equis carebant adhuc. Eſurire, ſitire, latere maluerunt, quam advenis ſervire. Adeo & Hiſpanorum Regem & Numinis ſupremi legem, felicitatem nempe ſuam, perditiſſime recuſarunt. Certe jam inde a Caroli quinti ævo, qui nobiliſſimas Americæ portiones Hiſpaniæ adjecit ſuæ, ubique victor, per bina, & quod excurrit, ſecula Abiponum bellicoſa natio ſui juris perſtiterat, etiam poſtquam finitimi, populi victas paſſim manus dedere. Neque Hiſpanorum modo amicitiam aſpernabantur proterviſſime, ſed in omnes quoque nocendi occaſiones intenti univerſam provinciam infeſtis armis percurſandi nullum faciebant finem. Cladium, quas poſtremis ſeculi currentis annis intulerant, quoties meminimus, venit nobis in mentem cogitare: Abipones, eorumque ſocios Mocobios, ac Tobas a vindice Deo ad mulctanda Chriſtianorum flagitia fuiſſe reſervatos, ut Philiſtæi quondam, Jebuſæi, ac Pherecæi in regione Chanaan ad Judæorum pervicaciam coercendam divinitus ſuperſtites erant, internecione deletis cæteris hoſtibus, vel in ordinem redactis.

Mocobios, Tobasque, equeſtres Barbaros, ut numero, ſic ſtrenuitate formidabiles in belli ſocietatem adſciverunt ſibi præterea, quaſivero exſaturando

ad-

adverſus Hiſpanos odio impares ſe ſe ſolos autumaſſent. Vix uspiam edita ſtrages memorabilior, ad quam fœderati hi tres populi vires non conjunxiſſent ſuas. Concors Europæorum hominum deteſtatio, prædarum ſpes certa, libertatis avitæ amor, gloriæ militaris commune ſtudium pro claſſico illis fuit. Hinc ubi Abiponum facinora memoravero, ſi qua inde ſeu gloria, ſeu infamia in illos redundaret, Mocobios profecto armorum ſocios in communionem vel laudis, vel vituperii admittendos jam nunc pronuncio. Verum & id noveris: ut Europææ gentes mutuis fœderibus amicitiam colunt aliquamdiu, conſociatisque viribus in unum aliquem, ceu communem hoſtem depugnant, mox convulſa fœderum religione in mutuas exardeſcunt clades; Sic Mocobios, Tobasque Abiponum, dum contra Hiſpanos res erat, amicos nuper, paulo poſt acerrimos hoſtes toties vidimus, quam primum bellum præ pace ſibi utilius fore exiſtimaverint. Deſultoria adeo ubique gentium amicitia eſt, quia privatis fere utilitatibus naſcitur, aliturque. Mocobios, quibuscum diu, ſæpeque verſatus ſum, nec proceri corporis forma, nec alacritate militari Abiponibus inferiores quis dixerit unquam, quin & nativo, quo in Hiſpanos a pueris feruntur, odio, atrocitateque illis ſuperiores, audenter affirmo. Superiore certe ſeculo in Tucumaniæ excidium conſpiraſſe videbantur, non ſolitariis modo Hiſpanorum prædiis, ſed & ipſis urbibus quotidie formidandi. Cædibus, rapinis, incendiis vaſtata provincia. Salta, Auxui, S. Michaelis urbs, corduba, præcipuæ Tucumanorum urbes, ad deſperationem: Eſtecco opulenta quondam civitas ad incitas redactæ. Urbs Conceptionis fluminis rubri litoribus incubans civibus per inſidias perfide contrucidatis penitus deleta. Num Abipones tot cruentarum incurſionum partici-

pes ſociam Mocobiis operam navaverint, annales non produnt. Alphonſus Mercado, Angelus de Paredo, aliique, qui his ſucceſſerant, Tucumaniæ Gubernatores Barbarorum conatibus obſtiterunt equidem. Quotquot ſuis e Coloniis milites ſeu Hiſpanos, ſeu Indos Chriſtianos poterant, in Chacum, Barbarorum latibula oppugnaturos duxerunt identidem itinere ſemper moleſtiſſimo, fructu plerumque nullo. Quamvis enim Mocobiorum, Tobarumve in contuberniis aliquos ceperint interdum, cæciderintque, contubernales reliqui ſuperſtites, jactura ſuorum efferati, iras duplicarunt ſuas, viresque iræ pares ultioni impendere ceſſarunt nunquam, ſucceſſu votis ſemper reſpondente. Irritæ tot Tucumanenſium copiarum expeditiones confirmabant ſcilicet Barbarorum opinionem: Hiſpanorum arma ſibi haud metuenda videri: contra illos ſibi nativis in latebris ſat præſidii eſſe, quæ Hiſpanis vel ignotæ, vel inacceſſæ. Quod ſi illorum numero forte opprimerentur, fugam pro victoria reputari, cujus opportunitatem viarum cognitio, natandi, equitandique promptitudo ſibi præſtaret ſemper, dum Hiſpani equis longo, aſperoque itinere fractis ipſa veſtium, armorumque prolixitate impediti fugientium terga premere vix queunt maxime, ſi paludes, flumina, inviique ſaltus transmittendi eſſent. His conſiderationibus audentiores Barbari quid non in Tucumaniam tentarunt? Salta, Gubernatoris ſedes, cæteraque, quæ illam circumſtant, loca quotidianis hoſtium aſſultibus patuere.

Stephanus Urizar utprimum eam provinciam Gubernaturus ex Hiſpaniis adfuit, de calamitatis publicæ remedio cæpit cogitare, quod ut optatum ſingulis, ſic omnibus deſperatum. Circumſpectis ſagaciſſime omnibus vir belli gnarus, animique intrepidi

& viri-

& viribus, & ingenio, &, quod rei caput, celeritate ſcilicet opus eſſe perſpexit, ne cunctatione hoſtium petulantia ſimul, ſimul provinciæ periculum creſceret, iterumque, dum Romæ deliberatur, Saguntus periret. Expeditionem in Chacum parat. Delecti ad eam ex omni Tucumania mille ſeptingenti octoginta Coloni Hiſpani, Indi Chriſtiani quingenti, quibus Chiriquanorum, id temporis amicorum, turma acceſſit. Adhæc ſuppetias vocati ex urbe Aſſumptionis quingenti, trecenti ex urbe S. Fidei, ducenti ex urbe de las Corrientes. Eo fine tantum agmen conflatum, ut Barbari a fronte, a tergo, a lateribus, ceu feræ in circo, concluderentur undique. Tucumani milites eorum latibula explorare, & eos, quibuscunque licuerit modis, deprehenſos opprimere jubebantur. Hiſpanis cæteris, Auſtro propioribus, ut viam fugitivis præcluderent, datum negotium. Si quanto conſilio a provido Gubernatore conſtituta ſunt omnia, tanta item accuratione morem geſſiſſent cæteri, tot capitum hydra confici uno ictu, tota Barbarorum in chaco colluvies poterat debellari. At enim Hiſpani milites, qui Auſtralibus ex Coloniis evocati, cunctati alii, alii tergiverſati ſunt, ut adeo meridiem verſus via pateret Mocobiis, qui, dum Hiſpanorum numero oppreſſos ſe viderant, quaqua verſus impune delapſi Abiponum ſe contuberniis junxerunt. Cum vero illa ſtativa nec a ſaltenſium Hiſpanorum inſidiis, neque a periculo ſatis abeſſe exiſtimarint, fúrtivis itineribus progreſſi, ambo populi in valle Calchaki, ejusque finibus conquieverunt denique. Quo factum, ut ſalta, parsque Tucumaniæ ſuperior per annos aliquot Mocobiorum vexationibus libera reſpiraret quidem, ſed tota belli procella in urbes S. Fidei, S. Jacobi de ſtorea, Corrientes, cæterasque, quæ occaſum ſolis, Auſtrumque ſpectant, Hiſpano-

 rum

rum Colonias incumberet, a Mocobiis, & Abiponibus jam ſolis, jam conjunctis miſerandum in modum dilaceratas, quod late mox exponemus. Quod Malbalaes equites Mocobiorum ſocietate, ſuo nempe robore, deſtituti oblatam ab Hiſpanis amicitiam ſeu acceptarint, ſeu finxerint; Quod Vilelæ, ac Chunipies pedites quietis ſemper amantiſſimi pacem porro ſpoponderint; Quod Lules item pedites, ſed numeroſi in oppido collecti (ſitum Miraflores vocant) & a noſtro P. Antonio Machoni Sardo religionem ſanctam edocti fuerint, is demum expeditionis tantæ fructus exſtitit non poenitendus quidem, Hiſpanorum tamen votis, ac expectatione multo inferior. Sed jam ad ſcopum hiſtoriæ accedamus propius, quamvis nec iſta, quæ præmittere mihi viſum, extra ſcopum fuere.

CA-

CAPUT II.

Qua ratione equorum compotes facti ſint primum Abipones, & horum ope quam formidabiles evaſerint Vicinis.

Seculo quinto decimo ubi terrarum in chaco egerint Abipones, quid geſſerint, haud conſtat. Illos id temporis pedites Indorum aliorum more inglorios delituiſſe, crediderim, ac de Hiſpano evadendo magis, quam invadendo cogitaſſe. Et vero Europææ dominationi ſuccumbentibus paſſim vicinis, conſervata ſemper libertas clariſſimi trophæi inſtar Abiponibus fuerit. Anno ſexcenteſimo quadrageſimo primo ſupra milleſimum illos jam equis inſtructos, iisque dexterrime uſos fuiſſe, ex Paraquariæ annalibus liquet. Sub eadem tempora bellum moviſſe identidem leguntur adverſus Indos Mataràs, quos, Hiſpanis ſcilicet obſequentes, implacabili odio averſabantur. Quidquod & aliis populis pedeſtribus terrori eſſe coeperant Abipones vel hoc nomine, quod jam equitarent. Nil dubium, Americanas nationes ab Hiſpanorum minime numeroſis manipulis cito ſubactas, quod illi bellatores equis ſublimes in conſpectum ſe dabant, & fiſtulis ferreis fulmen imitabantur; Primum Indorum oculos, aures alterum, utrumque animos percellebat. Quid, amabo, negotii fuit primo aſpectu conterritos vincere, quique, quod Europæorum ferro, ac plumbo opponerent, præter lignum & arun-

dities habebant nihil. Haud ſecus Abiponibus equi præcipuum belli inſtrumentum, pro armis, verius dicam, præ quibusvis armis ſemper fuere.

Sed unde Abiponibus equi primum obtigerint, ex me quæris? Dicam, quod ex Abipone ſeculari, viro ingenuo intellexi. Majorum ſuorum aliquot, ajebat, adhuc pedites longo itinere ad campos, nunc urbis ſanctæ fidei juribus obnoxios clanculum adrepſiſſe, quos Calchakies bellicoſi, equeſtresque Indi tum occupabant, equosque pauculos cum aliquot cultris ferreis iſtic ereptos in patriam adduxiſſe. His equis ſubinde uſi ſunt ad alia, aliaque equorum agmina Hiſpanorum e ſolo rapienda. Quæ quidem res parum difficultatis, artificii nihil habet in Paraquaria. Campus quaqua verſus latiſſime patens equorum, uti & cæterorum pecorum, innumerabilium ſtabulum, gramen pabulum eſt quavis anni parte, diebus perinde, ac noctibus. Sæpe culicum importunitate, ſæpe tigridis ſuſpicione territi equi longiſſime excurrunt, & per plurium leucarum ſpatia ſparguntur. Cuſtodes pecorum aliquando nulli, plerumque pauci, & inermes, ſemper meticuloſi, quos vel abſentes ſuo e tugurio trucidare, vel dormientes eludere quid facilius Barbaris? Iſti timentur, dum propinquant; Dumque cum præda avolant, nemo eſt cuſtodum, qui prædones inſequi vel auſit, vel aſſequi poſſit. Equorum ſuorum malunt, quam capitis facere jacturam. Dolent pecorum raptum, ſed de raptorum fuga ſibi gratulantur. Equorum, mulorumque tantam etiamnum ſupereſſe multitudinem, quantam vix usquam terrarum, norunt, quotquot in Paraquaria verſati. Hiſpanorum ſæpe, Indorumque Chriſtianorum prædia ſingula bis mille equos, ephippiis aptos: Interdum viginti equarum, equorumque generatio-

ni

ni destinatorum millia numerant. His neutiquam accenseo tot centena equorum millia, qui sunt, ut cum juris consultis loquar, primi capientis perinde, ut passeres nostra in Europa. Immensa planities, quæ per quadringentas facile leucas a Boni aeris agro quaquaversus porrigitur, equis ejusmodi nullius juribus obnoxiis undique contegi videtur. Barbari innumerabiles fretum Magallanicum inter, ac dictam urbem medii equina carne vescuntur quotidie, equinas pelles pro vestibus, pro tentoriis, pro armis, & ephippiis adhibent. Corduba ad urbem sanctæ fidei, vel inde per Paranæ, & Uruquayi ripas iter facientibus densa equorum vagantium agmina quotidie occurrunt, molestiasque facessunt non raro; Nam vel viam præcludunt, vel equos cicures, quibus utimur, secum abripiunt. Ad quæ vitanda industriis opus est non paucis. Ista jam alias a me, nisi fallor, dicta in memoriam revoco, ne fabulari me putes, si dixero: Annorum quinquaginta spatio Hispanorum e prædiis Centum facile equorum millia ab Abiponibus abacta. Hæc Paraquariensium vetus opinio. Exaggeratum ne putes numerum. Nam subductis conjectura rationibus, ducentis millibus plura, opinor. Nil mirum. Uno sæpe assultu quatuor equorum millia rapuerunt Abipones adolescentens, præ adultis multo furaciores. Astu, sagacitate mediocri opus est, non viribus. Ad meliorem frugem reducti quamvis prædari desinant, equi, qui domino carent, passim in promtu sunt, quos sui juris facere, erudireque licebit omnibus. Novis in oppidis Abipones novi non paucos, quingentorum facile equorum possessores. Jam in quantam Hispanorum perniciem abusi sint equis olim Abipones, restat explicandum.

Cal-

Calchakies, formidabile quondam Hiſpanis nomen, poſtquam iteratis cladibus ſanctæ Fidei agrum funeſtaſſent, uno denique conflictu in ordinem redacti ſunt. Quaranii ex Uruquayenſibus oppidis a Regio Gubernatore in ſubſidium vocati ſtrenuam, ut ſæpe alias, hac in expeditione operam navarunt Hiſpanis. A ſtrage illa ſuperſtites Calchakies variolarum peſtis denique conſumpſit. Triſtes bellicoſiſſimæ nationis reliquiæ ad Carcaranal amnem translatæ ſuperſunt hodie, & viginti circiter capitibus definiuntur. Abipones in Calchakinenſi illo ſolo conſederant, non patriæ illorum duntaxat, ſed hoſtilis in Hiſpanum animi hæredes etiam. Quidquid terrarum a flumine grandi ad ſanctæ Fidei urbis limites; Quidquid a Paranæ & Paraquayi litoribus ad ſancti Jacobi territorium usque eſt, ſuum fecere, Hiſpanis nequidquam repugnantibus, & ni mori mallent, avita ſtatione cedere coactis. Anno labentis ſeculi octavo decimo ex urbe ſancti Jacobi ad ſanctæ Fidei, & inde Cordubam ultro, citroque vel fœminæ citra periculum commeabant; plurium licet dierum equeſtri itinere. Id noſter Pater Joannes Franciſcus Aguilar octogenario major mihi aſſeruit. Profecto tuta fuiſſe omnia, & extra hoſtium ſuſpicionem, argumento ſunt Hiſpanorum prædia copioſa, quæ, uti ſemel, ac iterum illorum rudera per tranſennam vidi, continuata ex dictis urbibus ſerie vias omnes occupaverant, ſed mox ab Abiponibus, ſemper infeſtis, in ſolitudinem redacta adeo, ut jam iſtic præter dirutarum ædium ruinas deprehendas nihil. Campi tamen poſſeſſorum ſuorum antiqua nomina retinuerunt. Hanc ſtationem Don Gil, iſtam Doña Lorenza, illam Alarcon, aliam la Vidua, rincon de cano &c. etiamnum vocant, quia olim ab iſtis hæc loca condita, & habitata. Sed jam ager eſt eheu! ubi Troja ſtetit.

Nec

Nec tugurium per Centum facile leucarum viam usquam videas.

Regio, quam Abipones veluti ſuam impune pervagantur, ab Auſtro ad ſerpentriones centum viginti leucas: Ab oriente ſole occidentem verſus prope totidem multis in locis patet. In multa pro Caziquiorum numero contubernia diviſi hac illac tentoria mutant ſua, eumque ſibi ſitum deligunt, quem tempus, metus, venationis opportunitas ſvaſerint. Fœminis cum ſobole, decrepitisque inermibus fida in ſtatione collocatis adulti velut ex centro ad circumjeƐtas Chriſtianorum Colonias latrocinaturi excurrunt identidem, non niſi demeſſis Hiſpanorum capitibus, aliisque ſpoliis onuſti ad ſuos redituri. Captivorum turba, equorum greges, comperta expeditionis felicitas alios mox, atque alios ad idem audendum exſtimulabat, ut adeo, dum hi redirent, redeuntibus confeſtim illi ſuccederent. Vix menſis abiit, quo Hiſpanarum Coloniarum aliqua hoſtili aggreſſione non Laceſſeretur. Ut fulmen, etſi unum feriat, omnes conterret; Sic quamvis unus duntaxat invaderetur locus, omnis vicinia trepidabat eoque magis, quo tutiora videbantur omnia. Experientia enim didicerant, id genus hoſtium nunquam jugulo eſſe propinquius, quam dum longiſſime abeſſe, perperam credebatur.

Enimvero intelligi ægre poteſt, qua demum ratione Barbari circiter milleni (Bello idoneos vix plures tunc univerſa Abiponum natio numeraverit) vaſtiſſimæ provinciæ exagitandæ ſufficerent. Animorum, dum petendus eſt Hiſpanus, concordia, calliditas, laborum tolerantia, Mocobiorum ſocietas bellatorum paucitatem ſupplevit utique. Franciſcus

Bar-

Barreda ſupremus armorum Præfectus Jacobopoli pro ſua experientia iterum, iterumque affirmaverat: Si reliquis Abiponibus occidione occiſis denos illorum duntaxat ſupereſſe, intelligeret, ubique locorum per Paraquariam perinde excubandum fore. Adeo unicam Abiponum decuriam toti provinciæ perturbandæ parem exiſtimavit. Nulla eſt latebra, quam furiarum inſtar non percurſaſſent; locus nullus tam omni exparte a natura clauſus, quem ſibi impenetrabilem judicaſſent. Paranam, & Paraquayum, vaſtiſſima flumina, etiam uno jam alveo conjuncta natando, quoties collubuit, trajecere, quin & hilariter confabulando. Ardua rupium præcipitia jam aſcendendo, jam, quod vel viſu horridum, deſcendendo equites ſuperarunt, dum Cordubæ, illique finitima S. Jacobi loca aggreſſi ſunt, & heu! quantum iſtic ſanguinis fluxit! Sylvas invias, arundinum, arborumque condenſatarum ſerie horrrentes, paludes item, & lacus profundo Cœno lubricos nullo negotio transmiſerunt. Ingens illa centum & quinquaginta leucarum planities, quæ Paranæ ripis, fluvioque Salado interjicitur, lacus inſtar aquis turgeſcit aliquando, ſi pertinaciores præceſſere nimbi, qui ſi plures, ut ſolet, menſes defuerint, ardente Cœlo ita ſiccantur immenſi illi terrarum tractus, ut aquæ dulcis Guttulam vel avicula nusquam inveniat. Utrumque ipſus ego ſpectavi aliquoties. Abipones, quidquid horum interceſſerit, multorum dierum itinere jam per aquas, jam ſine aquis ad Hiſpanorum domicilia pervenerunt, quos vel necare vel ſpoliare cupiebant. Cum Hiſpanis militibus ſimul, ſimul cum Abiponibus jam illorum amicis iter faciens expertus ſum frequenter, ab his citra tergiverſationem paludes profundiſſimas equitando transmitti, quas illi omnino ſibi impervias, jurabant. Prædæ pinguioris, gloriæ militaris ſpes

lu-

luculentior affulgeat, trecentas, plures etiam leucas conficere, nemo Abiponum recusabit; Adeo nec viarum asperitate, neque locorum longinquitate terrentur. Immensum ni intercederet pelagus, quidni nobilissimos Hispaniæ, vel Angliæ equos furaturi in Europam dudum excurrissent Abipones? Id festive, sed vere cogitatum a nobis, sæpeque dictum in Paraquaria. Certe, ut quædam in Asia gentes crocodilum, simium, draconem ceu divinum quid colunt, sic Abipones equum adorarent, si idolorum cultus apud eos invaluisset. Nec abs re plurimi faciunt equos, præcipua belli instrumenta, quorum usu & formidabiles & perniciosissimi evasere Hispanis Colonis. Barbari pedites etsi eandem voluntatem nocendi Hispanis, haud eandem opportunitatem habent, ac vel ideo ad se se defendendos sæpius, quam ad Hispanos offendendos armis utuntur suis. Si igitur a Barbaris equitibus, ab Abiponibus, Mocobiis, Tobis, Charruis, Malbalais, Mbayis, Quaykuruis, Serranis, Pampis, aliisque Indis Australibus maxime vexantur, sibimet culpam tribuant, quippe qui equos Paraquariæ intulerunt. Sed en rerum vicissitudinem! Indi, Hispanorum dono, equis adversus eosdem veluti armis præstantissimis uti didicere. Hispani equites magnam Indorum partem vicerunt olim; Hodie ab Indis equitibus non raro vincuntur. Illatas variis provinciæ partibus strages jam singillatim exponam.

CA-

CAPUT III.

Quantum in ſanctæ Fidei, & Aſſumptionis urbes ſit ſævitum.

Vrbem ſanctæ Fidei, quia ſibi propinquiorem, quotidianis olim incurſibus preſſere Abipones jam ſoli, jam Mocobiis conjuncti, parumque abſuit, quin opprimerent denique. Colonorum contrucidati plurimi, non pauci in captivitatem abducti. Complures alterutram ſibi ſortem prudenter veriti in tutiora loca cum familiis commigrarunt. Eo loco res erant aliquando, ut de civitate penitus deſerenda palam ageretur. Locuples ſancti Antonii prædium, ut pleraque alia, everſum. Pecora innumera omnis generis vel dominis eorum, vel curatoribus interemptis direpta paſſim, aut quaqua verſus diſperſa. Spoliata identidem mercibus plauſtra. Negotiandi ſecuritas, fons opum iſtic unicus, ictu uno veluti conciſa quidni famem, rerum omnium penuriam invexerit? Viæ omnes a graſſantibus diu, noctuque Barbaris inſeſſæ, ut pedem domo efferre nemo, nemo rure commeatum urbi inferre tuto unquam poſſet. Quidquod intra ipſam urbem trepidatum quotidie. Equeſtres Abiponum, Mocobiorumque turmæ toties per plateas conſpectæ. Forum ipſum frequenter inermium ſanguine tinctum. Barbarorum magnanimitati id, cave, tribuas. Timentur equidem illorum pauci a multis; Sed & illorum plurimi ſæpe timent vel unicum, quem ſclopo ſibi minantem viderint. Urbes

Para-

Paraquariæ ad unam omnes muris, portis, foſſis, ſepibusque carere, patere omni ex parte ſeu ingreſſuris, ſeu hoſtiliter aggreſſuris, primis jam hiſtoriæ meæ foliis dixi. Nil mirum igitur, Barbaros equorum pernicitate confiſos pro arbitratu ſuo irruiſſe identidem. Anno 1750. Corduba ad Mocobios iturus dum in ſanctæ Fidei urbe ad templi noſtri fores conſiſterem, Hiſpanus nobilis: En! Pater, ingemiſcens mihi ajebat, quo loco res noſtræ fuerint ante annos non plurimos. Lege publica cautum erat, ne quis noſtrum, niſi ſclopo armatus, hoc templum adiret. Adeo ne foro quidem inambulare citra periculum nobis licuit, Barbaris quotidie aſſilientibus. Anno 1754. decima Aprilis eandem Urbem reviſenti mihi matrona nobilis, ætate gravis, & antiquitatum urbis tabularium multos inter gemitus dixerat: Quantum vobis, Patres mei, beneficium, quantas pro illo gratias debemus! ferociſſimas gentes cicuraſtis, per quas nobis tot annos reſpirare non licuit (Ego Abipones inter, ſocius meus inter Mocobios tunc verſabatur) vix memini, proſequebatur eadem matrona, iſtam hebdomadem, verni jejunii poſtremam nempe, ſine cædibus hac in urbe nobis fluxiſſe. Dum ſeu comprecantium, ſeu cruces humeris bajulantium pia turba longo per calles ordine procederet, quoties adfuerunt Barbari haſtati fulguris inſtar & raro niſi cruentis manibus abiere. Fratrem meum germanum, dum recepto more has ante ædes publico in foro aram concinnaret, ab illis eheu! Crudeliter confoſſum etiamnum fleo. Hæc tum rerum facies. Tranquillitatem, ſecuritatemque, qua hodie fruimur, vobis in acceptis referimus, per quos pacati Abipones, Mocobiique, & ad humanitatem reducti. Hæc illa. Nec alius fuit urbis univerſæ ſenſus; Namque ejus incolæ ſummi, & infimi ad unum omnes ſemper nos,

qui illis Barbaris erudiendis operam dedimus, ceu liberatores ac tutores suos venerati, omnique benevolentia, & beneficentia sunt prosecuti, tristissima calamitatum priorum imagine semper oculis obversante.

Non defuere illa in urbe viri intrepidi, qui vim vi strenue repellerent; In cæteros tamen, in quibus jam vigilantia, jam arma, jam animi desiderabantur, pertinaciter sævitum est a Barbaris nec pacem, neque inducias unquam indulgentibus. A Boni aeris Gubernatore fatiscenti jam urbi suppetias missi pedites legionarii, sed hi, dum in campo ad manus ventum esset aliquando, risui magis Abiponibus, quam usui Hispanis fuere. Ast denique rebus ad exitium inclinantibus, & propemodum conclamatis propitium velut sidus in decumana procella urbi affulsit Echague vir eximius, qui Gubernatoris nomine illi præfectus Barbarorum audaciam repressit, nunc cunctatorem Fabium, nunc callidum Hanibalem imitatus. Novit efferatos Abiponum animos muneribus demulcere, novit armis terrere, & crebris excursionibus coercere. Respiratum est tantisper. Verum hæc tranquillitas tamdiu duravit, quamdiu ejus vita, cui illa debebatur. In demortui locum dein' suffecti varia fortuna usi sunt, Indis modo antiqua Latrocinia repetentibus, modo pacem spondentibus eum in finem, ut toto pondere in Hispanos aliarum urbium insectandos incumbere, & extorta ab illis spolia in urbe sanctæ Fidei sibi amica cultris, ensibus, hastis, securibus, globulis vitreis, vestibus possent permutare. Ea fuit, quam suspicias, Barbarorum astutia, ut, licet reliquam pro viribus oppugnaverint provinciam, una cum urbe pacem diligenter colerent, ubi scilicet, oblatis pretii loco prædis necessariam sibi armorum, aliorumque utensilium supellectu-

lectu-

lectilem compararent. Verum & acerbiſſima fuit Cordubenſium, Correntinorum, Paraquayenſium, Jacobopolitanorumque querela: Urbem ſanctæ Fidei Barbarorum Latronum perfugium eſſe, ac emporium, ubi ferrum iis porrigitur, quo ad ſe jugulandos uti conſveverunt. De hac Indorum nundinatione multa, quæ riſum, plura, quæ indignationem mereantur, ex idoneis authoribus intellexi. Vel unum hoc accipe: Abiponum aliquis ſanctæ fidei urbem, pace vigente, ingreſſus ſaccum coriaceum (Zurron vocatur ab Hiſpanis) bis mille ſcutis Hiſpanicis gravidum equo vectabat ſuo. Hiſpanus quiſpiam nobilior in foro forte obambulans, quid ſub illa ſarcina lateat, probe gnarus rubrum, quo tegebatur, pallium Indo porrigit, qui illa purpura ad inſaniam lætiſſimus, totum argenti pondus tradit illico, quod alibi paulo ante cum ſociis e plauſtris argento Peruviano onuſtis rapuerat. Id genus alia ex militari Præfecto, viro integerrimæ fidei accepi. Magna Mocobiorum, Tobarumque, maxima Abiponum parte ad pacem, coloniasque varias, quas condidimus, a nobis traducta, quies demum miſeræ dudum civitati indulta eſt, necdum tamen periculi omnis vacua ſecuritas ejus prædiis. Nam earundem nationum barbari, pacem pertæſi, non nunquam equorum gregibus inſidiabantur, ſed populabundi magis, quam more belli. Ad hos prædones cohibendos Hiſpanorum equitum (Blandenges vocabantur) centuria ære publico alebatur, & a Michaele Ziburro eorum centurione egregio gubernata non mediocri uſui fuit, vel latrunculis, ne prædentur. abſterritis, vel, cum & bonus ſæpe dormitet Homerus, præda fugitivorum e manibus erepta. In loco, cui Anapirè nomen, his equitibus data fuere ſtativa, inde ad tuendos fines, viasque ſpeculandas identidem excurrebant. Tres potiſſimum ſta-

tiones Barbarorum olim latibula, theatraque latrociniorum fuere: La cruz alta, El Pozzo redondo puteus rotundus, & sancti Thomæ prædium; Hic fluvii saladi ad urbem est trajectus; Illic via regia cum plaustris ultro, citroque commeantium mercatorum. Prædia item, quæ chacum respiciunt, periclitabantur.

Amplissima Assumptionis provincia, quæ vulgo el Paraquay appellatur, colonis licet abundet pugnacissimis, Abiponum tamen, Mocobiorumque armis plus, quam credi possit, usque exagitabatur. Quis hominum cædes, equorum, mulorumque direptiones, pagorum incendia, prædiorum depopulationes, imbellium captivitatem enumeret? Non ad Paraquayi ripas modo, in locis quoque, quæ a flumine absunt longissime, tot, tantæque strages edebantur passim impune, maxime in prædiis Tebiquary fluvio propioribus. Paraquariæ victoribus olim Hispanis Barbarorum colluviem audacter adeo insultasse, ne, quæso, mireris. Assiliunt hi, ubi, qui sibi repugnent, abesse, suis ex speculatoribus cognovere, vel in imparatos per insidias irruunt. Hæc Paraquariæ Præfectura præ aliis latissime patet equidem, pro colonorum tamen numero angustior videtur. Quot viros, totidem milites numerat, sed ruri sparsos, multis a se leucis divisos, in sylvis, ubi herbam Paraquaricam parant, remotissimis, in flumine, in munitiunculis provinciæ tutandis maxima anni parte occupatos. Has ad Paraquayi litus orientale e sudibus, luto, & paleis structas speculas rectius dixeris ad observandos hostium motus, quam munimenta ad eos arcendos. Aliquas istarum cum Regio Gubernatore Don Josepho Martinez Fontes ipse lustravi, & ut earum miseriam liberaliter risi, sic præsidiariorum sortem ex animo sum miseratus. Pauculi, qui in singu-

gulis munitiunculis excubant, ſolo nomine milites hoſtis, quem eminus conſpexerint, adventum tormenti bellici ictu ſignificant; Hic finitimis in munitiunculis repetitur, ut de periculo admonitus quisque ſibi conſulat, ut ipſe Gubernator (Nam ad urbem usque repetitum in diverſis ſtationibus tonitru propagatur) opportuna imperet ſubſidia, & quotquot militiam profitentur, confluant armati, ubicumque fuerit hoſtium ſuſpicio. At enim, dum equi rure ſemper vagantes conquiruntur, dum apparantur, dum vel pauculi cum armis milites ſe ſe conjungunt, dum eorum ductor expectatur, quot horæ abeunt! Interea temporis jam patratæ cædes, jam ſpoliata prædia, jam incenſi pagi, jam eadem, qua advolarunt, celeritate avolarunt Barbari. Quod ſi ex adrepentibus tandem Hiſpanis aliquot coaleſcat agmen, major plerumque illis lætitia de hoſte jam dilapſo, quam de aſſequendo cura eſſe ſolet. Sed fingamus recedentes Barbaros in conſpectu adhuc, certe haud procul eſſe, Paraquarii ductores niſi illis multo numeroſiores milites ſibi eſſe videant, temeraria aggreſſione raro audent ancipitem belli fortunam tentare; Prævident enimvero omnibus ſe probris onerandos ab uxoribus, & petendos lapidibus forſitan, ſi qui mariti occubuiſſent in velitatione. Quidquid ſiniſtri acciderit, ſibi a vulgo tribui militares præfecti mihi conquerebantur perſæpe. Fremuerunt aliquando animis Hiſpani equites, invehique in Barbarorum fugientium terga peroptabant; At enim ductores militarem coercebant æſtum etiam mortis poenam iis comminantes, fugientem qui hoſtem laceſſere, vel inſequi auderent. Non ſemper culpanda ducum in refrenando militum ardore; Nam ſapienter Tacitus 3. hiſtor. *Militibus cupidinem pugnandi convenire; duces providendo, conſultando, cunctatione ſæpius, quam te-*

 me-

meritate prodeſſe. Livius 21. *Sæpe contemptus hoſtis cruentum certamen edidit , & inclyti populi , Regesque perlevi momento victi ſunt.* Cruentarum dimicationum recordatio cautiores reddidit Paraquarios, & prope dixeram formidoloſos. Ut reliquas taceam, in campo, quem a fluminis anguſtiis la angoſtura appellant, ſexaginta Paraquarii cum Abiponibus neſcio, an cum Mocobiis, credo, cum utrisque manus conſeruere, & quinquaginta novem illorum occidione occiſi ſunt, unico ſuperſtite, qui vulnere non uno ſaucius equi pernicitate mortem evaſit, & ad urbem Aſſumptionis delatus tragoediæ teſtis ac nuncius fuit. Paraquarios, ſemper ſtrenuos, vel parum armatos, vel per inſidias fuiſſe oppreſſos, lubens credidero.

Sæpe alias victoria penes illos ſtetit. Abipones multi, qui Paraquarienſem in agrum venerant, Hiſpanorum capita domum allaturi, ſua amiſere. Abiponum Yaucanigarum ductor clariſſimus Nachiralarin (ut ſupra memini) & Paraquarienſibus coloniis diu pernicioſus in ſylva, ad quam refugerat, Tebiquarý litoribus adſita a Paraquario milite cinctus, & cum commilitonum ſuorum manipulo denique cæſus fuit. Fulgentium de Yegros, qui huic expeditioni præfuit, & milites aliquot, qui illi interfuerunt, novi. Nachiralarin, quia centum aliis fuit nocentior, cædes triumpho digna videbatur. Interdum Abipones equorum, quos rapuerant, Captivorumque turba impediti dum in fluminis trajectu cunctabantur diutius, ab inſequentibus Paraquariis peſſime mulctati fuere. E fauſtis ejusmodi caſibus gloriæ aliquid, utilitatis prope nihil in colonos redundavit. Barbari equidem more ſuo vindictæ ſtudioſi cladem cladi reddere ſolent, atque muſcas imitantur. Hæ, dum vultum occupant, manu terrentur facile, ſed mox reduces eidem,

dem, qua fugatæ ſunt, manui inſident iterum, iterumque ac tertio fugandæ. Res ſane prodigio ſimilis mihi ſemper viſa, Aſſumptionis provinciam non interiiſſe dudum, quæ cum tot validiſſimis hoſtibus tot annos conflictatur. Hinc enim in conſpectu ferociſſimorum Quaykurù & Mbayarum metuenda ſemper vicinitas; Inde Abiponum, Mocobiorum, Tobarumque quotidiani aſſultus multum & negotii, & periculi circumjectis coloniis dedere. His adde Payaquas piratas perfidiſſimos pace, quam bello periculoſiores. Taceo Barbaros ſylvicolas, quos monteſes, montarrazes, vel Quaranica lingua, Caaỳguas vocant, Hiſpanis Paraquariis (dum in remotiſſimis ab urbe ſylvis, uti in Caremà, in Curiỳ, in Mondaỳ, Acaraỳ litoribus, quæ ducentas facile leucas a metropoli Aſſumptionis diſtant, herbam illam Paraquaricam conficiunt) quamvis non ſemper infeſtos, ſemper tamen infenſiſſimos, ac de fide ſuſpectos. Videndum bene cui fidant. En! quot nationes Paraquariis colonis minitentur. Neque Hercules olim contra duos. Paraquayos Hercule majores jure dixerimus, quia tot hoſtibus pares.



CAPUT IV.

Quam infeſti fuerint Abipones Quaranicis oppidis.

Nihil admodum egiſſe ſibi videbantur Abipones, ni & ad Quaraniorum oppida evertenda animum adjicerent. Implácabili in hos odio ferebantur vel hoc nomine, quod ad Romana ſacra a nobis traducti Catholico Regi non modo obedientiam ut ſubditi, ſed operam quoque in Caſtris ut milites præſtitere, quoties a Regiis Gubernatoribus accerſiti. Pro hoſtibus habiti a Barbaris, quia integerrima in Hiſpanos fide nulli mortalium ſecundi. Nullis aut precibus aut minis adduci poterant, ut cæterarum nationum, quæ ad necandos, expellendosque e Paraquaria omni Hiſpanos toties conſpiraverant, impiæ conjurationi aures præberent. Quin imo nullis perpercerunt artibus, laboribus nullis, ut periculoſa ſeditioſorum conſilia detegerent, rebellesque Hiſpanis infeſtos armis profligarent ſuis. Relege, quæ in libro prodromo de Arecayà ſcripſi. Hanc Quaraniorum in Hiſpanos propenſionem nulla unquam ætas Barbarorum ex animis obliterabit; Hanc omni virium contentione ulciſcendam ſibi ſemper putarunt Abipones, eorumque ſocii. Oppida Quaraniorum, vaſtiſſimaque prædia, quæ Paraquayi, Paranæque litoribus viciniora, pluribus ab hinc annis hoſtium furori, rapacitatique quotidie magis patuere. Indi crudeliter trucidati, abacta omnis generis pecora, capti adoleſcentes nume-

merum prope excedunt. Complures suis in aedibus cremati, ubi hostilium mucronum metu latuerunt. Oppidum sancti Ignatii quazù antiquitate, incolarum, armentorumque multitudine, templi elegantia olim florentissimum splendoris amisit plurimum, parumque ab exitio absuit. Eo enim situm est loco, qui opportunitatem insidiarum maximam praebet Barbaris; Nam sylvis adjacentibus tecti, quin eminus sentirentur, & praedio, & oppido ipsi imminebant. Vix mensis abiit, qui caede, ac latrociniis vacaret. Fidem superat, quantum populi, pecorumque numerus assiduis incursionibus fuerit imminutus. Multis diu noctuque excubantibus licet securitatem sibi polliceri nemo audebat. Abiponum seu calliditas, seu audacia vigilantiam omnem, & quantascunque incolarum industrias elusit. Die quodam festo dum sacris populus officiis in templo interesset, longissimum Barbarorum agmen in ipsum forum irrepsit. Incolae pro aris, & focis sibi pugnandum rati, quidquid telorum ad manus fuit, in aggressores conjecere. Dimicatum est a Christianis virtute, quam felicitate majori. Proceres oppidi, & senatores tricenis plures, plurimi alii plebejorum, qui omnes acerrime, sed alieno loco cum Barbaris aliquamdiu pugnaverant, eadem in statione prope templi fores occubuere. Caesi, sauciatique Abiponum non pauci. Captus a Quaraniis Hispanus, qui captivus Abipones inter adoleverat, & hac in expeditione, ut saepe alias, iisdem viae ducem se se praebuit. En! quod asserui: Christianos Barbarorum captivos ipsis Barbaris evadere perniciosiores. Franciscus Maria Rasponi Bergomas, Sacerdos noster, veteranus oppidi Parochus e templo, vix sacris vestibus exutus, accurens quibus oculis, quo animo spectaverit cadaverum strues, plateas sanguine spumantes? Talia quis fando explicet? Idem vir optimus

timus ferale hujus diei ſpectaculum quot verbis, tot gemitibus mihi propoſuit quondam, dudum per omnem Paraquariam vulgatum licet. Cruentiſſima hæc pugna Abiponum animos erexit, Quaraniorum depreſſit, proſtravitque. Majori mox audacia, frequentiaque cum in prædio, tum in adjacentibus oppido agris repetitæ Indorum cædes, pecorumque direptiones. Uno die quatuor boum millia, ingentes equorum catervæ latronibus in prædam ceſſere. Neque tibi iſta legenti in mentem veniat, Patrum, qui oppido præerant, inertiam, vel ignaviam accuſare. Nihil ſane ab illis omiſſum, quod ad ſuorum ſecuritatem facere videbatur. Præcluſi hoſtibus aditus, jam foſſis, iam ſudibus præfixis muniti, additis cuſtodibus, queis ſclopi porrigebantur. Miſſi quotidie exploratores viarum. Excubitores ſuſpectis in ſtationibus velut in ſpecula collocati. Sed quid demum ea omnia? Qui ſpeculari, qui excubare jubebantur, morem ſuum tenuerunt. Periculum ubi ſæpe præſentiſſimum, tuta putarunt omnia. Illud ſuum *Namaraichene* incolumes erimus, ajebant, & ſomno urgente utramque in aurem dormiere. Inde factum perſæpe, ut dum publicæ ſecuritati invigilare debuerant, etiam ſuæ immemores ab Abiponibus oppreſſi jugularentur.

In vicino ſancti Jacobi oppido, quod quinque Capitum millibus definiebatur ipſa illibato divinæ Matris conceptui ſacra die dum ſacerdoti verba facienti aures daret collectus populus, aderant Abipones, & ex iis, qui per domos excubabant interea, centenis plures partim captivitate, partim morte mulctarunt, centuriis aliquot equorum, quos inter Aſturcones, ſeu gradarii permulti, uno impetu abreptis. In ejusdem oppidi conſpectu cum incurſiones plerum-

rum-

rumque cruentiſſimæ identidem repeterentur, dies perpauci terroribus, rumoribusque vacui fluxerunt. Idem prope fatum numeroſiſſimo oppido Nueſtra Senora de fee annis pluribus fuit. Hinc illud ad Barbaros equites detinendos foſſis cinxit undique noſter Joannes Baptiſta Marquiſeti fluminenſis ejus loci Parochus, ſcloposque ſat multos, quos coemerat, Indis jaculatoribus ſuppeditavit maximo certe operæ pretio. Diu namque pacata iſtic omnia. Ex eodem oppido quadraginta Indi milites, totidem fere ex oppido ſanctæ Roſæ ad prædiorum ſuorum tutelam miſſi quinta Februarii periere, pauculis equorum celeritate ſervatis, e quibus cognitum, illos acriter, diuque pugnaſſe, ſed denique Barbarorum multitudine oppreſſos. Hoc die quanta eheu! in utroque prædio equorum, mulorumque jactura! Abducta ſunt aliquot millia. Alias ex S. Roſæ oppido herba Paraquarica mercatoris Hiſpani plauſtris plurimis ad Paranæ litus vehebatur a Qaraniis, quibus Hiſpanus quidam minime ignavus, ſeptemque lectiſſimis ſclopis armatus moderator, defenſorque fuit datus; ſed hic, quin vel illi vacaret de ſclopis exonerandis cogitare, ab accurrente Abiponum globo cinctus, & cum Indis prope omnibus obtruncatus eſt, duobus illorum duntaxat, equorum, boumque turba etiam abreptis. Ad quinquaginta cadavera in campo reperta. Has ſtrages memorare viſum, quæ recentiores, & me iſtic agente illatæ. Infinitus ſim, ſi omnes, tot annorum ſpatio a Quaraniis toleratas ſingillatim referrem. Harum recordatione propemodum exanimati miſeri, quoties jam cum Abiponibus res fuit, non tam de morte inferenda, quam ferenda cogitare videbantur. Ipſa hæc Quaraniorum trepidatio Abiponum in latrocinando audaciam quantum exacuit, tantam victoriæ fidu-

fiduciam iis præbet, ut, dum cum illis congrediendum, non quot Quaranii essent, sed ubi essent, spartanorum ritu interrogarent.

Perspecta Quaraniorum formidine e Regii Gubernatoris Consilio Hispani aliquot milites conducti, qui ad oppidorum illorum securitatem vias obequitarent identidem, Barbarorum itinera observarent, illos repellerent, certe de eorum adventu incolas commonerent. Sed Hispanorum equitum vigilantia quavis Abiponum sagacitas superior plerumque fuit. Eadem frequentia, etsi majore astutia, repetiti hostiles assultus. Cumque adeo utilitatis parum, incommodi plurimum ex istis præsidiariis, qui magno eorum sumptu alebantur, in oppida rediret, domum redire permissi sunt. Remediis tot inveterato malo nil proficientibus deplorari poterant Quaranii, neutiquam juvari. Ferendaque erat calamitas, cui removendæ nulla par industria videbatur. Haud tamen Grassandi licentia semper impune abiit Barbaris. Alienas mortes suis mortibus luerunt non raro. Interdum, dum assultum parabant, detecti, rejectique. Fuga præcipiti avolantes alias ab insequentibus Quaraniis deprehensi, maleque multati sunt, præda sæpe eorum e manibus extorta. Opporune memini Lamelraikin Abiponis, mihi noti. Homo erat frugis pessimæ, & cæteris passim nocentior. Hic in S. Ignatii prædio, dum citatissimo cursu fugiens palustri solo tantisper adhæresceret, sagitta a Quaranico insequente ejus jugulo infixa misere interiit. Sæpius profecto de Abiponibus triumphum cantassent Quaranii, si vigilare, quam mori, maluissent. Contra Barbaros, ut sæpe memini, præstantissimum armorum genus est vigilantia. Metuendi sunt Abipones, dum longissime abesse putantur, spernendi, dum adsunt.

ſunt. Parum equidem audent adverſus paratos, maxime, ſi ſclopo minitentur; Nihil inauſum relinquunt, quamprimum ſe formidari advertant. Miraberis his perlectis, Quaranios domi ſuæ adeo lepores eſſe, qui in caſtris Regiis toties leonum inſtar adverſus luſitanos, adverſus Barbarorum etiam phalanges depugnaſſe ab hiſtoricis dicuntur. Ita prorſus eſſe, nemo, niſi ignorantiſſimus inficiabitur. Rem præclare geſſerunt Regiis in caſtris, ſed nempe ab Hiſpanis Ducibus Gubernati. Domi, dum contra Barbaros eundum, ſibi relicti, parum fere poſſunt. Impetu, quo cuique lubet, feruntur, atque adeo nec boni militis, nec boni ducis partes implent. Membra robuſta ſunt equidem, ſed quia ſine capite, lanquent. Immortali Petro Zeballos, quo duce plura Quaraniorum millia in Luſitanos militarunt diu, aliisque alias Hiſpanis Ducibus omni ex parte ſe probarunt ſemper, ob egregiam, quam in obſidionibus iteratis Coloniæ Luſitanicæ, in variis dimicationibus navabant operam Catholicis Monarchis mirum in modum dilaudati frequenter. Gomez Freyre de Andrada Luſiranus fluminis Sancti Januarii in Braſilia annos plurimos Gubernator, & turbarum ex ſeptem oppidorum Uruquayenſium permutatione author præcipuus palam, ſæpeque Quaranios bonos, ſi bene, & a bono duce regerentur, milites eſſe affirmavit, ſeque ſi ſui juris forent, eorum opera inſigniter uſurum, addidit. Ejus viri judicium perinde, ac teſtimonium magni apud omnes fuit ponderis, cum illi Uruquayenſem limitem cum copiis ſuis invadenti Quaranii pro patria ſua acriter pugnantes multum ſæpe negotii faceſſiverint, felicius utique, ſi Ducem Europæum nacti fuiſſent, rem ſuam acturi. Sed nempe miles etiam optimus, optimo duce deſtitutus palmam deſperabit perinde, ut navis validiſſima, ſed Guberna-

cu-

culo, & Gubernatore idoneo carens, portum. Enſis, quo caſtriotus (Scanderbeg vulgo) Epirotarum Dux Turcorum millia concidit, languente brachio vibratus vix extimam hoſtis cuticulam ſauciabit. A leonum exercitu, cui cervus, vel aſinus pro duce ſit, ecquis ſtrenuitatis miracula expectet?

CAPUT V.

Quid in urbis Correntinæ agro geſtum ab Abiponibus.

Urbecula, quam de las ſiete Corrientes vocant Hiſpani, orientem verſus incumbit litori, ubi Parana, & Paraquaÿ fluvii Paraquariæ principes commiſcentur. Hæc, & alia de correntina civitate memorabilia in libro prodromo adnotavi. Illam vivida incolarum ingenia, formaque liberalis plus, quam opes, magnitudo, ac ædium nitor commendant. Hæ enim e luto fere conſtructæ, palmisque tectæ pagum verius referunt. Urbis præfectus Regius, Regii Gubernatoris in urbe Boni aeris vicarius Hiſpanorum, Indorumque colonias aliquot juribus ſuis obnoxias in territorio ſat vaſto, ac fertili habet; Colonos, armari qui poſſint, vix trecentis plures numerat, Barbaris propulſandis neutiquam pares, ni militaris virtus eorum paucitatem penſaret. Payaquas, piraticam qui faciunt, navigantibus non magis, quam propius litora habitantibus hinc formidandos, inde charruas,

eque-

equeſtres Barbaros, occaſum verſus in chaco Abipones, Mocobios, Tobas, Quaycurus ſibi infeſtos annis abhinc plurimis habuerunt. Abipones equidem, quos Yaaukanigas dicunt, adverſo in litore palantes ſolo fluminis Paranæ interjectu ab urbe dividuntur, quin tamen ab illius acceſſu arceantur; Illud equidem, quoties collubitum eſt animo, quamvis vaſtiſſimum arrepta equi natantis cauda natantes transmittunt in ipſo urbis conſpectu. Hac vicinitate allecti incredibile, quantum repetitis incurſionibus Correntinum agrum vaſtaverint. Olim tamen cum illa urbe amicitiam, pacemque coluerunt aliquamdiu, ut ſcilicet prædas in aliis Hiſpanorum coloniis corraſas rebus ſibi neceſſariis permutare illic poſſent. Hoc animo dum commearent frequentius, ab incolis liberaliter habiti, ab ipſo Præfecto Regio Caſaſus, amicitiæ firmandæ deſiderio, hoſpitio etiam accepti ſunt. Hoſpitum e numero fuerat Abiponum Caziquius Chilome. Concubia nocte is Progubernatoris ædibus clanculum egreſſus, neſcitur cauſa, Hiſpanis ſemper cautis ſuſpicandi occaſionem præbuit: Barbarum inſidias perfide meditari, ex oppoſito litore ad proditionis conſilia exequenda ſuorum ſuppetias expectare. Vulgato ejusmodi rumore concurritur undique. Clamoribus forum perſtrepit. Conſternata tumultuanteque multitudine Caziquius cum ſociis, ni fallor, viæ comitibus noctu obtruncatur. Occidioni qui interfuerant, id mihi retulere. Hæc Caziquii cædes cædium innumerarum ſemen, bellique cruentiſſimi principium fuit. Sic ſæpe alias paucorum noxam luerunt univerſi.

Abipones de Hiſpanorum facinore edocti Caziquium Chilome innoxium, perfideque cæſum, vociferantur. Tantam injuriam ferro, & ſanguine vin-

dican-

dicandam a ſe protinus, jurant. Et vero, quidquid ſibi virium, irarum, aſtutiarumque fuit, in inſectandis Correntinis exhauſerunt, Mocobiis quoque, ac Tobis in ſubſidium accitis. Civibus paucæ hebdomades ſine cædibus fluxere; ſine terroribus dies nulla. Novis quotidie de Barbarorum adventu rumoribus urbs, omni exparte hoſti patens, perſtrepuit. Incolas, mortis metu identidem perculſos, jam jam vitæ pigebat, cujus tuendæ modus ignorabatur. Ædes enim luto tenui illitæ ut firmitatis, ſic ſecuritatis nihil habuere. Templa parietibus ſolidis munita, quod alio loco memini, trepidanti multitudini perfugium ſæpe præbuerunt. Eoque magis indies ingraveſcebat calamitas, quo pauciores ſemper propugnatores numerabantur, plurimis per quotidianas cum hoſte velitationes conſumptis. Milites pauci ſuperſtites commilitonum mortibus conſternati deſponderunt animos, & jam fugere Barbaros, quam fugare malebant. Ruri quoque turbata omnia, & funeribus plena. Prædia, coloniæque, quæ Paranæ litoribus imminebant, hoſtium furorem, rapacitatemque frequentius ſenſere. Sanctæ Luciæ oppidulum ab urbe abeſt Leucas circiter quinquaginta ab Indis & pauciſſimis, & minime bellicoſis habitatum, atque ideo a Barbaris pertinaciter vexabatur.

Illo ex oppidulo aderat forte Indus nuncius, qui Abiponenſium exploratorum veſtigia fuiſſe illic detecta, Progubernatori cevallos ſignificabat. Hic periculum hoſtilis incurſionis diſcuſſurus cum equitum ſuorum turma in viam ſe dat illico. Ad locum, quem las lagunas a lacubus Hiſpani vocant, delatus a ſanctæ Luciæ Parocho (ex obſervantium Divi Franciſci regulam coetu) literas accipit, e quibus tuta in præſens tranquillaque eſſe illic omnia dum intelligit,

de

de ſuo jam in urbem reditu cæpit cogitare. Aſt enim eodem temporis puncto eques advolat Hiſpanus dudum apud Abipones captivus, nunc vero transfuga; Is nunciat: Propinquo in litore, ac propemodum in conſpectu frequentiſſimum eſſe contubernium Caziquii Ychamenřaikin, alias Neruigini, qui cum Abiponibus ſuis Cordubam Latrocinaturus nuper abierit: ſolas domi cum prolibus mulieres relictas, quibus non niſi vetuli aliquot præſidio eſſent: Numeroſum hunc inimicæ gentis gregem tuto invadi poſſe, atque nullo negotio capi. Cevallos, ut erat ſtrenuus, rei bene gerendæ opportunitatem ambabus mox manibus ſibi amplectendam putavit, militum ſuorum plerisque ejus conſilium damnantibus licet, ac diu tergiverſantibus. Haud equidem captivo transfugæ fidem habendam, ajebant, temere, quod quidem hominum genus venalis fidei eſſe, experientia ſua noſſent: Paucos ſe hoſtili in litore ab accurrente fors latentium Barbarorum multitudine opprimi poſſe: Victoriam quantamcunque tanto ſuæ internecionis periculo neutiquam ſibi emendam videri. Aſt contemptis, quæ militibus in mentem, buccamque venerant, contemplationibus Ceballos expeditionem urget, ſcaphasque ad Paranam cum Paraquayo flumine jam conjunctum citra cunctationem trajiciendum admoveri jubet. Paucas intra horas transfuga illo viarum duce detectum Barbarorum contubernium ingens, & ne iis effugium pateret, a circumfuſo milite indagine cinctum. Venationem, non pugnam dixiſſes. Haud equidem armis, ſed nudis Hiſpanorum manibus fere peractum eſt negotium. Captæ cum prolibus matres, quibusdam tamen fugam inſolenter prenſantibus, vel repugnantibus in fruſta conciſis. Fuere etiam complures, qui vel aſtutia, vel celeritate uſi Hiſpanorum oculos, manusque evaſerunt, quod



utique inter ſylvarum ſalebras facillimum. Præda numeroſis equorum agminibus, variaque rerum, quas Abipones Hiſpanis rapuere olim, argentearum ſupellectili definiebatur. Iter fugientium ritu quam celerrime remenſi milites captivorum ingenti turba urbem, incolas admiratione, lætitiaque incredibili impleverunt. Difficile eſt ad fidem, quot omnis ſexus ac ætatis ceperint, exacto numero affirmare; Centurias fuiſſe aliquot proximum vero opinor. Caziquii conjux ipſa ejus cum filiolo Kieemke adoleſcente ovantium militum ornavit triumphum. Alter juvenis Raachik ejusdem Caziquii Ychamenraikin nepos, cum miles cuſtos nimium illi per viam confideret, celeri equo elapſus, in patriam reverſus, multosque poſt annos in Caziquii demortui locum ſuffectus eſt, quod Capite 12. de Abiponum magiſtratibus expoſui. Kieemke cum multis aliis, dum denique pax cum Hiſpanis compoſita, ſuis redditus toti provinciæ nocuit plurimum, captivitatemque ſuam multorum mortibus, atque plurium annorum latrocinio vindicavit. Cum enim captivus Hiſpanicam, Quaranicamque linguam, Hiſpanorum præterea mores, locorum ſitum egregie didicerit, nemo unus illo felicius ſpeculatoris munere fungebatur. Captivarum aliquot a Correntinis ad remotiora Uruquayi & Paranæ oppida miſſæ ſunt, ut præciſa transfugii ad ſuos ſpe Quaranios Chriſtianos inter Romanis ſacris initiarentur. Iſtarum unam in ſanctorum Apoſtolorum, matremque ejus Monicam in Conceptionis, tertiam in candelariæ oppido ſorte ſua contentiſſimas, Quaraniis nuptas, paſſimque a moribus, ſolertiaque laudatas & vidi ipſe, & Abiponum linqua allocutus ſum, quod illas mirifice recreavit, quin tamen patrii ſoli deſiderium proderent, bellicis tumultibus etiamnum turbulenti.

Ex-

Expeditionis memoratæ felicitas ejus authori Ceballos dum gloriam conciliare debuerat, ſuorum invidiam ei conflavit, exiliumque. Tantis Correntinorum civium odiis exagitatus eſt, ut urbe demum excedere coactus ad ſanctæ fidei portum miſerrimo lintre ſua cum familia navigaret. Infeſta ſcilicet ſemper viris fortibus fortuna. Ne hallucineris, huic, de quo mihi jam ſermo, cum celeberrimo Boni aeris Gubernatore Petro Ceballos nullam prorſus propinquitatem ſeu ſanguinis, ſeu patriæ interceſſiſſe, admonitum te volo. Poſt viri de urbe Correntina optime meriti diceſſum incolarum res non gradu, ſed præcipiti curſu indies in deterius ruére. Caziquius Ychamenraikin ſe abſente raptas ab Hiſpanis tot fœminas, proles, conjugem ſuam cum filio, equorum præterea ſuorum greges abactos ex paucis fuga ſervatis dum corduba redux intelligit, ſui impos inſanire videbatur. Tum jactura, tum vindictæ cupidine ardenti efferatus, quotquot amicas ſibi in chaco noverat gentes, ad Hiſpani facinoris ultionem evocavit. Correntinum territorium advolantes ad vindictam Barbaros vix capiebat. Locuſtarum inſtar viſæ protinus hoſtiles campo obequitantium turmæ. Conquiſiti, & ex tutiſſimis latebris in lucem protracti, qui ſeu mactari ſeu capi poſſent, incolæ. Prædia, pagi, coloniæ, viæ omnes miſerorum ſanguine paſſim reſperſæ. Sæpius, ut ex illius temporis ephemeridibus memini, unum intradiem ſeptuaginta, quin plures aliquando obtruncati. Tot cadavera plauſtris rure advehebantur in urbem, ut ad templi Parochialis utrumque latus eorum acervi, ceu lignorum ſtrues, quandoque cernerentur, non ſingula ſingulis ſepulchris, ſed omnia prælatæ ſcrobi injecta ſubinde. Ex Franciſci Soſa correntini, cujus pater, materque eodem die ab Abiponibus jugulata, teſtimonio id refero

quamvis a plurimis aliis ſuperſtitibus me audiente confirmatum. Cumque remotioribus in campis, quos cæderent, ægrius invenirent, urbem ipſam vi tanta, tantoque agmine circumſederunt, ut citra capitis periculum nemini abire, urbem adire nemini liceret diebus aliquot. Viris diu noctuque excubantibus, imbellis turba obverſante oculis periculo a templis vix unquam receſſerant, ubi veniam irarum cœleſtium, finemque calamitatis tantæ ſupplex expoſcebat. Deficiente jam jam annona, nullaque liberationis ſpe affulgente ut vires corpora, ſic animi animos defecerunt. Et vero comprecantium votis, gemitibusque annuiſſe clementiſſimum Numen videbatur denique; Namque octavo obſidionis die præſidiarii milites ſeipſis repente animoſiores eruptionem fecerant, qua territi magis, quam mulctati Abipones ad ſua trans Paranam ſtativa properarunt, ubi eo menſe maturis jam ſiliquis græcis compotationes quotidianas ſibi auſpicandas noverant, ſub quibus & reportatas de Correntinis victorias læti celebrarent, & de futuris in eosdem expeditionibus conſilia conferrent ſua.

Certe quidem poſt breves, quas hoſtium diſceſſus indulſerat, ac compotatio, inducias recrudeſcere in ſe bellum ſenſerunt Correntini. A circum volantibus denuo Abiponum turmis coloniis, prædiisque ab urbe remotioribus vis illata quotidie. Illorum e numero erat locus, qui rincon de luna dicitur, & ad illa usque tempora cuicunque hoſti inacceſſus putabatur, quia Paludibus, ſtagnisque & altiſſimis, & latiſſimis undique cinctus, ad quæ ſuperanda Hiſpanis cymba erat neceſſaria. Abipones equites, Tañerchin ſuo præeunte, natando illud pelagus transmiſere. Plurima iſtic pecorum millia, parque illis cuſtodiendis æthiopum mancipiorum numerus veriabatur. Nemo

iſto-

iſtorum, niſi qui Barbarorum oculos fugiſſet latitans, necem, captivitatemve evaſit. Vicenis adoleſcentibus plures abducti: Natu grandiores quam plurimi jugulati. Sacræ Deo ædes ſacris utenſilibus ſpoliatæ. Campanæ quatuor magnæ molis ablatæ, & aquis, inveniri porro ne queant, injectæ. Equorum, mulorumque incredibilis multitudo abacta. Verbo: Prædium, quo opulentius, tutiusque nullum, paucarum horarum ſpatio ad incitas redactum. Quamvis enim plura boum millia ſupereſſent, nemo unus, qui ad illa dein' cuſtodienda vel ampliſſimo ſtipendio conduci ſe pateretur, uspiam repertus eſt, omnibus Abiponum reditum metuentibus. Pecora, cuſtode remoto, ſibi relicta quaquerſus ſpargebantur. Nemo, qui boves ad urbis macellum inde adduceret, mitti poterat, Barbaris vias omnes inſidentibus. Ipſa longinquitas (quinquaginta facile Leucas ab urbe aberat hoc prædium) auxit periculum, & difficultates. Eandem fortunam alia pleraque Hiſpanorum prædia ſubierunt, quibus carne bubula deſtitutis jam, quod roderent, vix quidquam ſuppetebat, frugibus, quas ager ſuppeditat, dudum abſumptis. Carnem bubulam Paraquarienſibus fere omnibus panis inſtar eſſe, pridem affirmavi. Augeſcente indies annonæ penuria, cum nec vitam tolerare porro, neque calamitati publicæ mederi poſſent, eo res erant loco, ut urbi patriæ terga vertere, & quaqua per flumen tuto licuiſſet, alio commigrare ſtatuerent, mortem præ exilio reformidantes. Mihi equidem multos poſt annos in urbe Correntina verſanti Regii Progubernatoris Nicolai Patron Catalauni uxor firmiſſime iterum, iterumque aſſeveravit: Certum fuiſſe tunc omnibus migrationis conſilium, ut primum Jeſuitas ſuo ex Collegio migraſſe conſpexerint, qui tamen ærumnarum patientiam, fiduciam in providentiſſimo

Deo collocandam & exemplo, & voce incolis perſvaſerunt, urbis utique conſervatores.

Barbaris Correntinum agrum depopulantibus nec milites, neque militum præfecti partibus defuere ſuis. Repetebantur ſtrenuæ contra illos excurſiones. Multi motus, atque impetus hinc & illinc facti. Qui hoſtium itinera clanculum obſervarent, diu, noctuque miſſi; Sed enim quis argus ſufficiat illis obſervandis, quorum, ne videantur, maxima ſollicitudo, dexteritas ſingularis. Frequenter congreſſi cum Barbaris hiſpani, exitu ſemper vario; Jam victi, jam victores. Clades ultro, citroque durante bello & illatæ, & acceptæ. Abiponum, ſi quisquam alter, fama inclytus ductor Ychoalay laqueo, quo ad equos capiendos utuntur, in velitatione aliqua a milite collotenus implicatus eſt quidem, raptandus utique, & ſuffocandus, niſi ſua ſe celeritate extricaſſet illico. Alii alias a Correntinis interfecti. Sæpiſſime in fugam præcipitem acti. Cauſam vero, cur Latrocinantibus Barbaris ad votum ceſſerint toties ſuſceptæ incurſiones, non Hiſpanorum timiditatem, quin potius audaciam, magnanimitatemque fuiſſe, aſſeveranter pronuncio, qua ducti pericula imminentia vel neſcierunt, vel contempſerunt, ut adeo vigilantiam, celeritatemque, præcipua contra callidos Abipones arma, ſibi ſæpe ſupervacaneam judicarent. Argumento ſit eventus, quem referam. In ſtatione hoſtibus obnoxia, ceu in ſpecula, collocatus eſt equitum Hiſpanorum manipulus. Dum patente in campo circumſpicere omnia eos oportuit, ſub umbra conſidentes ad fallendum tempus pictis chartulis luſere aliquamdiu. Hæc inter fulminis inſtar advolat repente Abiponum turma, equos Hiſpanorum ludentium cum ſclopis, quos ex ephippiis ſuſpenderant

ſuis,

ſuis, illis ſpectantibus impune rapit, nemine repugnante. Si videntes, vigilantesque ſic eluſerant, artiſne erat, ſopitos ſuique ſecuros toties opprimere, cædere, ſpoliare?

Provido ſane majorum conſilio Hiſpanorum prædia, Indorumque jam cicuratorum coloniæ arduis Paranæ litoribus impoſitæ fuerant, ut ex iis, ceu turribus adventantes e chaco hoſtes eminus ſpectari, cæterique coloni remotiores de præſenti periculo, de capeſſendis armis, certe de fuga maturanda commoneri poſſent: Flumen Parana his in tractibus plures in alveos inſularum plurimarum interjectu ſecatur, quæ, cum in ſingulis equi nando fatigati interquieſcere per intervalla queant, trajectus opportunitatem maximam offerunt Abiponibus. Hinc ut litoralium colonorum propinquitate ſubiti coercerentur aſſultus, præter complura Hiſpanorum prædia quatuor Indorum oppidula, quæ ab obſervantibus ſancti Franciſci regulam procurantur, ſanctæ Luciæ, ſantyago ſanchez, ohomà, ac ytatì, leucarum aliquot intervallo prope Paranæ ripas condita ſunt olim. Abipones cum clandeſtinis, quibus ad interiora provinciæ loca irrepere ſolebant, itineribus obſtare has colonias, prodique ſe ab illis ſæpius viderent, ad eas evertendas Animum applicuere. Neutiquam irriti fuere conatus. Oppidum Santyago ſanchez dudum deſiit. Miſſis enim ad arundines ſecandas Indis robuſtioribus, dum fœminarum, juvenum, decrepitorumque imbellis turba ſacerdoti ſacrificanti aures, oculosque adverteret, oppidum, templumque ipſum repente obſeſſum a Barbaris, injectisque flammis abſumptum. Nullus ſupererat effugio locus. Sacerdos, cæterique omnes in cineres abiere. Oppiduli, hortique rudera hodie viſuntur. Propinquum oppi-

dulum Ohomà incurſionibus aſſiduis perinde vexatum, ne eandem ſubiret fortunam, ultro deſertum incolis in loca tutiora translatis. Ytati per Payaquas, Abipones, Mocobios miſerrime dilaceratum olim; Sed pacatis denique hoſtibus refloruit denuo, pecorum multitudine, incolis non item, hodie opulentum. Sanctæ Luciæ colonia oppugnata identidem annos plurimos, expugnata nunquam, quamvis ad incredibilem incolarum paucitatem redacta. Decem circiter familias alit, ex transfugis Quaraniis potiſſimum conflatas Modiciſſimi itaque cum ſit ambitus, muro tenui tota cingitur, cui incolumitatem debet ſuam, ſecuritatemque, uti ipſe tranſeunti mihi id affirmaverat loci Parochus Franciſcanus. Hic duplici ad ſui, ſuorumque defenſionem uſus eſt induſtria; Ædibus ſuis altum ſuperimpoſuit cubiculum, e quo Barbaros eminus per campi planitiem adventantes diligenter ſpeculabatur. Machinam adhæc bellicam molis infimæ in promptu habuit ſemper; Illius exploſione ſuis extra murum agentibus, ut domum ſe recipiant, urgente periculo ſignificavit, ſimul Barbaros, ne ſibi propinquent, abſterruit. En præſidia! quibus hoc oppidulum ſervatum hactenus. Ad oppidum recens ſancti Ferdinandi appulſus ab Abiponum quopiam: Qua via iter fecerim? interrogatus, per ſanctæ Luciæ oppidulum tranſiſſe me, reſpondi. Heus tu, repoſuit Barbarus, truculentus iſtic, & peſſimus Pater habitat. Sclopo (tormentum illud intellexit) ingenti utitur. Ejus fragorem prorſus fulmineum noſtri nunquam ferebant equi, dum ei propinquare ſæpe adlaboravimus. Hæc ille, ſed addere, ſi ingenuus fuiſſet, debebat quoque: Non equos tantum, ſed eorum etiam ſeſſores machinæ bellicæ crepitu in fugam converſos toties fuiſſe.

Hoc ſanctæ Luciæ oppidulo, correntini agri Auſtrum verſus limite, quamvis incolumi oppida, prædiaque Hiſpanorum cætera interierunt vel ab hoſte vaſtata, vel ab Hiſpanis hoſtis metu alio dilapſis deſerta. Dum litoralis itaque ora Chriſtianorum domiciliis undique exuta vaſtæ ſolitudinis inſtar jaceret diu, Abipones, ubi ubi libuerat, impune Paranam flumen trajecere, & non jam latrocinantium ritu timide, ſed veluti indigenæ patrio in ſolo confidenter obequitabant campo, ut non graſſari iſtic, ſed prorſus habitare viderentur. Exploratores Hiſpani ex urbe miſſi plerumque a Barbaris eluſi, ſæpiſſime cæſi ſunt. Ad prædiorum tamen, quæ ad amnes ſombrero, ſombrerillo, Peguahò, & Riachuelo ſita, urbique viciniora, defenſionem Hiſpanorum equitum turma remanſerat, qui præſidio etiam eſſent boves illis ex prædiis ad alendam civitatem deducentibus. Ubicunque per circumjectos campos pedem fixeris, Barbaræ crudelitatis monumenta oculis deprehendes etiamnum: Hic ædium dirutarum rudera: Illic cruces plures ſolo defixas. Si, quid iſtæ ſibi velint, ex viæ comitibus quærere lubeat, audies: Triginta, quadraginta, plura etiam miſerorum corpora hoc loco olim fuiſſe tumulata, qui a Barbaris interempti. Campum oſtentabunt alibi, Hiſpanorum infeliciter cum illis dimicantium ſanguine, & cadaveribus funeſtum. Exhorrui ſæpe, has mihi per viam tragoedias dum usque decantarent. Mali citreæ, Perſicæ, Cydoniæ, Punicæ, varia ficorum genera, parietum dirutorum reliquiæ in latiſſime patenti ſolitudine oculis occurrunt paſſim, en, ajebant mihi comites, hic hortus quondam, hic prædium fuit, per Barbaros everſum.

Publicis in urbe calamitatibus aliud miseriæ genus accesserat, lignorum penuria. Orientale, quod civitas occupat, Paranæ litus arboribus, quæ foco alendo lignum præbeant, non omnino caret; Quæ vero materiam ædificiis, plaustris, navibus fabricandis utilem suppeditent, istic nusquam nascuntur. His tamen occidentale litus abundat. Ex ipsa urbe in ripa adversa sylvæ densissimæ spectantur, arborum nobilissimarum omnis generis seminaria, ubi, quidquid lignorum faber sibi optet, ad manum est; Sed, quia illud Abiponum Yaaucanigarum solum, citra capitis periculum Hispani pedibus haud poterat attingi. Audi experimentum. Fervente bello Pater Josephus Gaete Collegii nostri res domesticas procurabat. Trabem prælongam, eamque firmissimam domui jam jam ruinas minitanti confestim fulciendæ necessariam judicavit. Talem hostilis duntaxat litoris sylvæ promittebant. Ad illam tuto quærendam navi, qua flumen trajiceretur, non æthiopas modo, sed & milites armis ignivomis egregie instructos æthiopum defensores imposuit, seque ipsum comitem adjunxit. Paucis a ripa passibus inventa est arbor idonea, hanc cædi jussit. Sed vix aliquot ictibus securi inflictis trunco, Abiponum vicino e campo accurrentium strepitus personabat. Æthiopes, iisque immixti milites nec hostium adventu, neque Patris imperio expectato, securibus, vestibus, cibariis relictis ad navim fugam accelerarunt. Ipsa trabis, quam quæsierant, memoria abjecta adversum litus omni remorum contentione quæsitum, fugiendo crudeles terras, ac litus avarum. Vitæ securitas procurata in beneficiis numerabatur. Hæc ipse Pater mihi olim. Ex istis, quæ recensui, quo loco Correntinorum res fuerint, prona est conjectura. Hos & crudelius, & pertinacius insectati sunt Abipones, tum quia sibi vicinio-

res,

res, tum quia ſibi maxime inviſos. Solo Parana a Correntinis diviſi nullo negotio incurſiones iterarunt identidem, locorum propinquitate ad latrocinandum eos alliciente, & injuriarum, quas ſibi illatas dictitabant, ſemper recenti memoria ad vindictam ſtimulante. Chilomè Caziquii cædes in urbe patrata, Ychamenraikin Caziquii contubernium, tot capitibus in captivitatem raptis, impudenter ſpoliatum nationis univerſæ animos irritaverat, & adhæc usque tempora acerrime pungit. Pax anno 1747 ab Abiponibus emendicata demum, conditæque illis coloniæ diutinis, calamitatibus finem optatum impoſuere. Qua quidem induſtria reliquis in chaco Barbaris vel pacatis, vel certe refrenatis Correntini, ceu fœda tempeſtate defuncti recreari denique cœperunt, & conquieſcere. Quantum nobis harum coloniarum conditoribus, conſervatoribusque debuerint, quantum emolumenti ex propinquo, quod Abipones Yaaucanigæ habitarunt, ſancti Ferdinandi oppido ceperint, deinde dicemus.



CA-

CAPUT VI.

De Abiponum contra sancti Jacobi de Storea Colonias excursionibus.

In bellicosos sancti Jacobi Colonos quoque ecquid ausi sunt Abipones? Plurimum sane. Rem veri vix similem dicere videbor illis, qui horum timiditatem, illorum strenuitatem noverint. E factis, quæ referam, veritas patebit. Cæteris per Paraquariam coloniis hoc cum hoste dudum confligantibus, Jacobopolitana regio semper intacta, quid Abipones essent, quid possent, adhuc ignoravit; Namque isti viam, qua illam adirent, usque nescierunt. Sed denique ipsos Jacobopolitanos (Santyagueños vocant Hispani) viæ magistros nacti sunt, ac Duces. Sua ex patria ad Paranæ ripas ab Abiponibus jam habitatas turmatim ventitaverant, cervos ibi frequentissimos venaturi, quorum pelles magni inter Hispanos pretii, & quotidiani ad thoraces militares usus. Venatores hi jam Abiponibus familiariter usi sunt, jam illorum amicitia abusi eorum aliquando equos rapuerunt, quibus instructi ad suos rediere. Barbari injuria provocati, abeuntium vestigia persecuti provinciam S. Jacobi nosse cæperant primum, mox armis vexare. En belli diuturni fontem, ut ego quidem a Barreda Progubernatore accepi; Ille ab idoneis authoribus. Eam ob rem Abipones tamdiu sibi infestos excusare solebat, quippe a Jacobopolitanis primum lacessitos.

Antequam mutuas ſtrages exponere aggrediar, viſum mihi nonnulla de regionis, & incolarum natura præmittere. Cœlum, æſtivis menſibus Novembri, Decembri, & Januario ardentiſſimum, hybernis Mayo, Junio, Julio perfrigidum eſt. Alpes, quæ chilenſe regnum verſus in conſpectu, auram adflant rigidiſſimam. Solum arenis maximam partem conſitum, ſylvis hinc, inde arbuſtis humilibus interclusum gramen nec copioſum, ut cætcrea Paraquaria, nec pecoribus utiliſſimum progignit. Equi, bovesque per nemora, ac dumeta ſparſi arborum foliis, caprarum more, victitant, quæ ſi pruina decoxerit, lignum quodvis, ligni que corticem mandere ſolent, quod ipſus toties ſpectavi. Æſtate ſiliquis græcis, quæ nusquam uberius proveniunt, veſcuntur ex arbore deciduis, & incredibiliter pingueſcunt. Inde eſt, quod equi Jacobopolitani cæteros Paraquariæ robore, ac firmitate antecellant. Quamvis ad illos firmandos etiam conſvetudinem a prima ætate ferendi ſeſſoris multum conferre, opiner; Nam vix annum nati equuli a pueris conſcenduntur paſſim, qua quidem ratione mirum in modum manſveſcunt, & paulatim ad quosvis itinerum labores obdureſcunt plerique. Mihi certe, qui maximam Paraquaræ partem eques percurri, equos e ſancti Jacobi ſolo oriundos & tutiſſimos. & præ quibusvis aliis utiliſſimos mihi fuiſſe, ſemper fatebor. Ob camporum anguſtias, & pabuli penuriam pauciores pro incolarum frequentia equi, bovesque iſtic procreantur, quam in aliis plerisque Paraquariæ tractibus. Reliqua de ſancti Jacobi territoriis memoratu digna in libro prodromo pertractavi.

Hiſpanos, qua patet ingens Paraquaria, ſtrenuos, intrepidos, liberali forma, robore, altaque men-



te præditos, agiles natandi, equitandique peritia ad Europæorum invidiam insignes ubique locorum deprehendi; Jacobopolitanos tamen ad insectandos quosvis Barbaros præ cæteris omnibus aptiores, tot experimentis doctus affirmate pronuncio, credoque, qui mihi dissentiat, esse neminem. Clarissimo Duci Petro Zeballos Correntinorum, & sancta fidensium equitum in campis percurrendis, tranandisque fluminibus promptitudinem, me audiente, dilaudanti audacter dixeram: His omnibus Jacobopolitanos milites non uno nomine præferendos videri (quos scilicet ipse nunquam fuerat expertus) respondi. Adstans nobis Marchio Valdelirios Regius, ut ajunt, tum plenipotentiarius, in Peruvio natus, & in Paraquariæ rebus versatissimus: Me verissimum asseruisse, Gubernatori dixit. Militares jam illorum virtutes, ex me audi, qui cum illis maxima itinera confeci. Isti perinde, ac equi, queis utuntur, laboris, viarum, ærumnæ cujusvis sunt patientissimi, cibo obvio contenti. Dum adversus Barbaros subito excurrendum, modica farina, quam ex quodam frumenti Turcici genere (quod ab illis Bisingallo dicitur, dulcius vulgari alio, blandius, & acuminatæ extremitatis) conficiunt, melle, vel saccharo conditam. & cum aqua commixtam bibunt, totum viaticum definitur, quod, cum & sitim & famem levet, illis pro cibo, ac potu quotidiano esse consvevit. Neque mihi cum iis iter agenti unquam displicuit, præsertim Cœlo immodicis caloribus æstuante; Nam ad refrigerandum corpus, sitimque depellendam valet plurimum ejusmodi farinæ potus. Hoc maximo temporis, & laboris compendio milites utuntur; Haud equidem opus est lignis, vel igne ad farinam coquendam. Quin ex equis descendant, lacum, vel amnem transeuntes poculo corneo e chorda suspenso inde aquam si-

bi

bi quisque haurit, cumque farina permiſtam ſumit, itineris nullo prorſus diſpendio, qua quidem ratione fugitivos Barbaros feliciter aſſequuntur. Hiſpani Cordubenſes, Bonaërenſes, ſancta fidenſes, quoties Indorum cauſa excurrunt, & equorum & boum greges præ ſe agere conſveverunt tum ad menſæ, tum ad viæ commoditatem. Dum Jacobopolitanus miles eodem equo plurium dierum, quin & hebdomadum iter proſequitur, iſti eodem die alios, atque alios equos alternatim conſcendunt, quibus laqueo, ut moris eſt, capiendis, apparandisque multum temporis conteritur. Caro ſemper recens ut in promptu ſit, boves mactant quotidie, quorum carnibus ſecandis, aſſandis, comedendis, lignis ad focum alendum conquirendis magna diei pars abit interea. Ut adeo mirum haud ſit a Barbaris, qui fugam non interrupto curſu ſua cum præda proſequuntur, inſequentes lente Hiſpanos eludi plerumque, ac explodi, Jacobopolitanos vero ob ſuam celeritatem reformidari. Hoc etiam nomine focus, quem Hiſpani alii per viam excitant, improbandus videtur, quod fumo, qui ſpargitur, prodantur Indis ad hæc omnia attentiſſimis, & ab illis per inſidias opprimantur. Conſumpta jam farina, quin iter interrumpant, norunt Jacobopolitani per campum eſcam invenire. Ferarum, quas equi celeritate aſſequuntur, quotidianis mortibus vitam tolerant ſuam. Pauciſſimos eorum ſclopis inſtructos videas, plerosque haſta non optima, quæ tamen pluribus Barbaris, quam aliorum ſclopus lethalis eſſe ſolet. Parum refert, quam bonis, multisque armis miles ornetur, modo bene iis uti noverit.

Audi aliam iſtorum prærogativam, incredibilem ſcilicet ad quidvis inveſtigandum ſagacitatem. E levif-

viſſima nota, e tenui, quod deprehendunt veſtigio, conjiciunt, odoranturque veluti cætera. Ad indagandas Barbarorum latebras, ad animal, vel hominem fugitivum detegendum, ad res furto ſublatas, vel perditas inveniendas nemo illis oculatior. Hinc jam Antonii Patavini, jam magi per jocum dicuntur, quod miro, neminique imitando artificio incredibilia præſtent quotidie, ut nempe familiare eſt vulgo viribus humanis ſuperius credere, quidquid ſupra ejus captum ſit. Non pauca ejus generis ipſe attonitus vidi, & ut oculis crederem meis, vix a me impetravi. Tanta rerum perveſtigandarum ſcientia quantum ad Barbaros detegendos, tantum ad terrendos, ſuperandosque valuit, quoties illis bellum illatum. Hoſtis equidem ſeu latentis, ſeu inſidiantis deprehenſio victoriæ prognoſticon, quin & dimidium, certe principium eſt in America. Qui aggreditur, victor, qui opprimitur repente, victus plerumque eſt. Illud mihi exploratum, certumque Jacobopolitanos equites ob celeritatem, resque indagandi ſingularem peritiam præ Hiſpanis omnibus reformidari ab Abipone, rariusquoque, ac timidius invadi.

Ipſa Jacobopolis, quippe minoribus undique coloniis ſepta, nil unquam periculi ab Abiponibus, aut incommodi ſenſit. Eadem libertate gaviſa eſt omnis vicinitas. Namque circumfuſa habitationum ſeries munitiuncularum inſtar aditus omnes præcluſit Barbaris, certe reddidit periculoſos. Belli procella territoriis, quæ flumen ſalſum (ſalado) alluit, & Cordubæ propinquiora, per annos complures incubuiſſe videbatur. Ad hæc facilis ex chaco tranſitus. Provinciarum ſcilicet limites ubique gentium incurſionibus maxime patent. Per illos fines graſſati ſemper Abipones Latrocinantium more. Plurimi in

cam-

campis, in ædibus non pauci obtruncati, capti alii, alii fortunis, pecoribus ſpoliati. Moppa, ſalabina, Indorum vetuſta oppidula, & viciniora iis loca quantum tulere! In Manumo, nunc centurionis Herrera prædio, eodem die interempti plures. In ipſo cædis loco noctem egeram aliquando. Viris contubernalibus jam cæſis fœmina, quam jure Amazonibus accenſeas, mulata arrepto gladio Abiponem ſtravit, ſed mox ab aliis necata. Ex urbe ſanctæ Fidei Jacobopolim commeantium iter id temporis periculi pleniſſimum. Identidem Hiſpanorum cavaderibus viæ horrebant. Promam, quæ mihi certiora, e multis pauca, nullo tamen temporis, quo ſingula acciderunt, ordine ſervato. Michael de Luna honeſto apud ſuos loco natus, corporis, quam animi magnitudine ſpectabilior, campi magiſtri tamen titulo ſubinde donatus e ſanctæ Fidei prædiis redux equorum, boumque, quos emerat, longum agmen comitabatur. In campo forte meridiantem, humique ſub arboris umbra fuſum Mocobiorum, Abiponumque numeroſus manipulus opprimit. Sociorum Hiſpanorum, equis ad paſcua jam dimiſſis, pedites alii, alii etiamnum equites illaqueando, mactandoque bove occupantur. Primo mox impetu Barbarorum haſtis confoſſi Hiſpani aliquot. Equorum ungulis ſervati reliqui, impedimentis, pecorumque turba hoſti in prædam cedente. Tinko a viarum, veſtigiorumque ſingulari cognitione celebratus, antequam fugam caperet, Michaelem herum ſuum peditem ambabus arripit manibus, & manticæ inſtar in extremo equi ſui tergore collocatum celerrime ſecum auffert; Neque enim Michaeli, ut equo rite inſidere poſſet, ſpatium concedebatur. Fugientem cum hero famulum Barbarorum turma hinc atque illinc inſectatur, ictum haſtis usque intentantium; Sed enim illorum nemo

audet propinquare ſclopi metu, qui ex dorſo Michaelis jacentis loro ſuſpenſus equi procurrentis ventrem pulſabat identidem; Quamvis ille ſclopus talis eſſet, ut ex eo ſcintillam ignis nec Dominus ſperare, nec hoſtis metuere poſſet. Sed ad ſalutem fugientium, ad inſectantium terrorem ſatis erat, ſclopum videri, etſi tonare neſciret. Multis poſt annis & nobile hoc par fugientium, & ſclopum illum celebrem vidi, ac liberaliter riſi, adeo ſclopi umbra ſolum, & imago fuit. Mocobiorum quoque aliquot, hujus incurſionis olim participes, ſed jam ſacris Romanis in ſancti Xaverii oppido initiatos in nova Conceptionis colonia hoſpitio liberaliter accepi, ubi Michael de Luna mecum id temporis agens illos identidem: Cur fugientem ſe quondam non occiderint? Interrogabat, ac veluti bene de ſe meritos fuit remuneratus.

Eadem via, ubi hæc acciderant, Abiponum in curſibus ſemper obnoxia, plurimisque, qui hac iter fecere, lethalis fuit. Ut vada quædam, ſyrtes, ac ſcopuli naufragiis infames navigantibus metuendi, ſic Jacobopolitanis urbem ſanctæ Fidei petentibus loca: Alarcon, las tres cruzes, la viuda, la punta, las ſepulturas, Don Gil, Doña Lorenza, aliaque flumini ſalado propiora terrorem injicere ſolent recurrente tot cædium iſtic patratarum memoria. Per ampliſſimos hos camporum tractus, ubi & pabuli nobiliſſimi copia, & lignationis, aquationisque opportunitas, opulenta pecoribus prædia olim floruere, ſed his per Abipones vaſtatis triſtiſſima, & latrociniis opportuna ſolitudo ſucceſſerat dudum. Nemo unus per hanc viciniam habitare, nemo, niſi neceſſitate adactus, tranſire jam audet. Hinc via, quæ fluvio ſalado imminet, relicta aliam, quæ a cucurbitis nomen habet, & *el Camino de Los porongos* dicitur, ſecuri-

curitatis gratia frequentandam ſibi porro putarunt Jacobopolitani. At vero incidere in ſcyllam, dum Charybdim vitabant. Nam & illic Abipones vagi turmatim palabantur, obviis quibusque exitiales Horum e numero, ut innumeros alios taceam, me jam in Paraquaria agente Baraſſa cum tribus ſociis, dum merces ex urbe ſanctæ fidei mulis transferrent, miſerrime jugulati ſunt in campo, quem *Los monigotes* appellant. Cadavera a Barbaris, ne proderentur, procul via regia ſtagno injecta, ſed paulo poſt mulorum odoratu detecta fuere, quos Hiſpanus quispiam viator potaturos eo deduxit.

Luctuoſior fuit Jacobopolitanis, & multo acerbior, quam in ſylvis, quibus a ferro nomen, paſſi ſunt, clades. Verum, ut intelligatur ejus magnitudo, præfari me oportet paucula. Mel, ceramque per ſylvas conquirere, purgare, coquere, aliis vendere proprium Jacobopolitanis eſt negotium, negotiatioque præcipua. Ab opulentioribus conducti eum in finem ſervi ſuo cum moderatore ad remotiſſimas ſylvas mittuntur, ubi nativa paſſim exeſis in arboribus alvearia. Pro operarum numero ex paleis, arborumque ramis eo loco caſæ ſtruuntur, ubi campus, aquationisque opportunitas ad manum ſit. Semper equidem mulorum, equorumque turbam alunt; His ad iter faciendum, venandumque, illis ad bajulandas annonæ, ceræ, mellisque ſarcinas utuntur. Anxia ſingulorum cura eſt, equos, qui curſus celeritate emineant, habere in promptu. Iſtis ad venandas damas, huanacos, ſtruthiones, urſos formicarios, alces, aliasque feras excurrunt quotidie. Ferinam carnem pro cibo, pelles pro utribus, queis mel claudant, adhibere ſolent. Eſurit ſæpe, venari qui raro voluerit. Frumenti Turcici enim, aut panis ex

eo parati penus, quam domo adferunt, nec multi temporis ferc, nec jucundissimi saporis est, si alia absint. Dum cæteri alvearia quæsituri per sylvam spargnntur, illorum moderator (Capatàz dicitur) allatam pridie ceram ad ignem excoquit, cibumque parat redituris. Locus est, alveariis, si quisquam alius, abundans; Jacobopoli ad centum facile leucas abest, & a ferro nomen habet. De hoc quid sentiendum sit, in libro prodromo historiæ dixi, & Paraquariam, quantum quidem nobis constat, omnem omni metallo destitutam invictis argumentis probavi. Ad has igitur sylvas cera, melleque affluentes luculentissimi quæstus spe maximi semper fiunt Jacobopolitanorum concursus.

Noverat id Abiponum ductor solertissimus Oaherkaikin. Huc prædaturus excurrit cum fida suorum turma, neque spe delusus est sua; Ingentem enim, qui mel quærebant, Hispanorum numerum eo loco invenit. Hos inter Lisondo eminuit, quo acriorem, strenuioremque militem se habere negavit militiæ universæ Præses Barreda. Servorum aliquis ad hauriendam aquam dum vicinum stagnum accesserat, Abiponem equitem, hastæ suæ innixum, atrisque, quod pugnaturi faciunt, coloribus ora expictum conspicatus: *Amigo* amice! exclamat. Quam salutationem torvo vultu cum abnueret Barbarus speculator, ille perterritus visa Lisondo nunciat actutum. Hic, ut erat semper intrepidus, nil adeo in præsentia pertimescendum sibi videri, ait; Qua quidem animositate cum periculum despiceret, magnanimi famam conservavit enimvero, ast parum cauti, parum providi notam incurrit. *Nemo enim*, ut Vellejus 2 pronunciaverat, *celerius opprimitur, quam qui nihil timet. Frequentissimum initium calamitatis securitas.* Parum

rum temporis abiit, & jam Abiponum manipuli e variis ſylvarum, ubi ſe abdiderant, latebris proſilie-re. Obviis quibusque obtruncatis in fortiſſimi Liſondo tugurium irruunt. Hic ſola ſecuri, & ſcilicet animi præſentia armatus quatuor aſſilientium haſtas rumpit, ſed multitudine demum oppreſſus ſuccubuit. Manus, pedesque validiſſimis loris conſtrictus foras protractus, multisque ſaucius vulneribus exſpiravit. Nil timuiſſe, dum caveri poterant inſidiæ, vel repelli, & huic, & ſociorum plurimis exitio fuit. Sed ignoſcenda videtur veterano militi animoſitas nimia, qui in tot, quibus feliciter interfuit, contra Abipones velitationibus dedidicit illorum timorem. Veriſſima equidem Famiani Strada ſententia: *Crebra inter pericula metus exuitur periclitandi.* In nautis veteranis oceani contemptoribus id obſervare licet, qui decumana in procella trepidantibus cæteris, & lacrimantibus ridere ſolent aliquando. Cæſo jam Liſondo pauci, qui hoſtium oculos, manusque evaſerant, qua cuique licuit, fugiendo vitam ſervarunt. Terni, quaternive in eundem equum inſiliere. Iter ſine ullo commeatu initum nova mortis pericula fugientibus minabatur. Leucæ minimum quinquaginta per vaſtam ſolitudinem, dum prima denique hominum domicilia attingerent, iis fuerant emetiendæ. Per longa terrarum intervalla nec aquæ guttam, nec micam eſcæ ſperare licuit. Hinc inedia, ſiti, terrore confecti, multi etiam pedites, ad ſuos pervenerunt denique, & quamvis mortem evaſerint, mortuis, quam vivis ſimiliores videbantur. Interea in occidionis loco ingens ceræ, mellisque ſupellex, tot menſium, totque manuum labor, equorum, mulorumque optimorum grex, prægrandes ad ceram purgandam ex ære lebetes, ſecures, varia e ferro inſtrumenta, veſtes, Barbarorum ſpolia fuere, heris Ja-

cobopolitanis ut alienas mortes, ſic tantam fortunarum ſuarum jacturam acerbiſſime deplorantibus. Fuerunt, qui infelicium dolerent vices; Non deerant, qui eorundem imprudentiam culparent, eosque jure mulctatos dicerent, quod improvidi id periculum adiiſſent. Paucis enim ante menſibus eodem in loco Lobato Hiſpanus quispiam ab iisdem Abiponibus cæſus, ſpoliatusque fuit, binis pueris in captivitatem abreptis. Iſtorum cautos interitu ſapere oportebat reliquos, illarum ſylvarum acceſſu abſtinere aliquamdiu, certe, ſi lucri ſpes urgebat tanta, non niſi armis, & quod armorum præſtantiſſimum, inſigni vigilantia inſtructos accedere. Harum cædium authores Abipones Oaherkaikin duce ii exſtitere, qui ſtructas jam nationi ſuæ colonias adhuc reſugiebant, quamvis haud ita poſt ad Hiſpanorum ultionem declinandam iis ſe ſe adjunxerint. De hoc copioſius alio loco.

Sed frequentius, inſolentiusque ſævitum eſt ab Abiponibus iis in coloniis, quæ ad Auſtrum vergunt magis, & Cordubæ finibus propinquant. Zumampa, las Barrancas, el oratorio Barbaræ crudelitatis theatrum fuere diu. Pagus integer deletus interfectis aliis, aliis abductis, vix uno, & altero ſuperſtite. Hanc viciniam via regia interſecat, per quam plauſtra argento Peruviano onuſta ad Boni aeris emporium frequentiſſime expediuntur. Certa prædarum ſpes, maxima prædandi opportunitas ad has provinciæ partes Abipones dudum attraxerat, incredibili negotiatorum pernicie; Nam vel perdendæ illis merces, vel multi magnis ſumptibus milites conducendi, plauſtrorum ſcilicet, & aurigarum defenſores, qui ſæpius, dum opes, vitasque tuebantur alienas, ſuas amiſere a Barbaris trucidati. Triginta milites ab Abiponibus, ad

quos

quos obſervandos Jacobopoli mittebantur, ſub auroram oppreſſos, & ad unnm omnes jugulatos, alias memoravi.

Hæc, pluraque id genus, adverſus Jacobopolitanos auſi ſunt olim Abipones. At vero neſciebant iis cum gentibus ſibi rem eſſe, quæ inultum relinquunt nihil. Hoſtiles conatus eluſerunt ſæpe vigilantia, ſæpius manibus ſtrenue repreſſerunt. Sæpiſſime cædes cædibus, vulnera vulneribus reddidere. Illatam ſibi injuriam, quam impedire haud poterant, nequaquam ſilentio concoxerunt. Fugitivos Abipones ut celeriter inſecuti, ſic feliciter aſſecuti ſunt non raro. Toties magno numero chacum ipſum ingreſſi Barbarorum contubernia eo fere ſucceſſu invaſerant, ut captivis cuſtodiendis milites ægre ſufficerent. Solos milites Jacobopolitanos Abiponibus, Mocobiisque plus damni intuliſſe, plusque ab iis timeri, quam cæteros Paraquariæ totius Hiſpanos, mihi extra controverſiam eſt. Id enucleatius porro explicandum. Jacobopolitanos bellatores commendare haud poſſum, quin in laudes clariſſimi illorum Ducis Franciſci Barreda excurram. Parce, ſi meo in illum amori tribuam aliquid, ſimque prolixior in ejus rebus commemorandis. Sed nil metue veritati. Amicus mihi Barreda, ſed præ illo amica ſemper veritas.

CAPUT VII.

De Francifci Barreda Jacobopolitanorum ducis adverfus Abipones, & Mocobios expeditionibus.

Aftigi, Bæticæ urbs, Hifpanis Ezija, patrium illi folum. Honeftiffimo ortus genere Regi a teneris operam addixit fuam. Adhuc adolefcens, cum Regiæ deportandæ effent literæ, in Paraquariam Gadibus navigavit, fcribæ navalis officio functus. Hoc iter, ventis fecundioribus, tertio fere, quartove menfe abfolvitur alias; Barreda cum fociis per Oceanum mifere jactatus vix decimo Boni aeris portum tenuit. Atroces procellæ, finiftri cafus, & inde orta iterum, iterumque quærendi portus obvii neceffitas moram tantam injecere. Confectis in urbe Boni aeris negotiis ad repetendam Europam expedita omnia. Confcenfa navis. Jamjam tollendæ anchoræ, pandenda vela. Sed en! fædiffimus ab Auftro turbo navim nec maximam, nec firmiffimam oppugnavit diu, denique tranfverfam egit, & ni anchoris fidelibus retineretur, fluctibus utique hauriendam. Flumen enim argenteum Auftro tumultuante præ mari quovis turbulentius effe, magisque fremebundum, ipfi heu toties experti fumus. Noctem integram navis procumbentis lateri, quod fpumantibus ex undis eminebat, adhærentes in momenta fingula mortem præftolabantur. Arti nauticæ locus jam nullus, nullus huma-

humanæ ſpei relictus. Nocturnæ tenebræ ut periculum, ita terrorem auxerunt. Ni albeſcente die fatiſcenti jam navi ſcaphæ auxilio veniſſent a litore (quod tres omnino leucas abeſt a navium, quæ anchoras jaciunt, ſtatione) conclamatum erat de omnibus. Barreda tantum hauſit fibris intimis navigandi horrorem, ut ſociis in Hiſpaniam regredientibus ipſe in Paraquaria remanſerit, divino conſilio ad alia belli pericula, & ad reprimendam Barbarorum audaciam reſervatus, a quibus tantum metuebatur natu grandior, quantum ille adhuc adoleſcens mare metuerat. Ex Boni aeris urbe Salabinam tenue in agro Jacobopolitano oppidulum eſt translatus, ubi ob egregiam, qua valebat, ſcribendi peritiam Clementi Xerez de Calderon loci Parocho, viro optimo & utilis diu, & percharus fuit. Militibus adverſus Barbaros excurrentibus ſponte ſua ſe ſocium adjunxit interdum; Poſtquam repetitis in expeditionibus & ſagacitatis, & ſtrenuitatis documenta minime obſcura dediſſet, primum gubernare militares equitum centurias, mox in hoſtem ducere, denique univerſo fluminis ſalſi territorio Pro-tribuni nomine juſſus eſt præeſſe. Qua in ſtatione, hoſtium incurſibus obnoxia, rebus præclare, ac fortiter geſtis Regio Tucumanorum Gubernatori maximopere ſe probavit eo potiſſimum nomine, quod Barbaros, ſed Hiſpanis neutiquam infeſtos, Vilelas pedites ad amplectenda Romana ſacra miris artibus pertraxerit. Illius certe induſtria bis mille Vilelarum avitis e ſylvarum latibulis egreſſi, in colonias novas tributi, & ſacro latice tincti fuerunt. Variolis ſubinde graſſantibus pars eorum maxima interiit; Non pauci contagionis metu ſylvas patrias repetierunt; Reliqui primum Cordubenſi in agro, tum in ſancti Jacobi territorio collocati, demum, quod ſub aliis magiſtris

 in-

indies plus defecerint, sacerdotum nostrorum curæ commissi fuere. Prima illa Vilelarum e sylvis migratio fructus amplissimos Provinciæ pollicebatur, & vero votis majores attulisset profecto, si providi Barreda consiliis obtemperatum fuisset. Qui ad clavum id temporis sedebant, cum utilitates privatas spectarunt, communes, publicasque pessumdedere. Creberrima hæc fuit, me audiente, optimi Barreda querela, & vero æquissima. Explicatius ista dicerem, ni aliorum, qui culpandi, famæ consultum vellem.

Quantum Vilelas, pacis studiosos, blanditiis, tantum Abipones ac Mocobios adhuc inimicos armorum rigore prosecutus est Barreda. Illorum audaciam si non compressit omnino, certe refrenavit, mulctavitque cladibus frequenter. Ejus merita remuneraturo Gubernatori Regio visum est, suas illi vices, supremam armorum, jurisque dicundi procurationem in universis sancti Jacobi coloniis conferre. Quantum conceptæ de se opinioni responderit, ex eo conjice, quod hunc magistratum triginta circiter annos gesserit, & non nisi cum vita deposuerit, bonis omnibus semper charus, Barbaris semper formidandus. Nihil in illo culpandum ajebant plerique, præter bonitatem, quæ nimia quibusdam videbatur. In reis plectendis conniventiorem potius, quam præcipitem, vel severum se præbuit, dicere solitus: satius esse, decem reos impunitos abire, quam punire vel unum innocentem. Quoties sententiam tulit Judex, Indo patrocinari magis, quam Hispano conabatur, illudque suum identidem repetiit: *He de attender a la parte mas flaca.* Meum est pauperioris partes tueri. Indole erat placidissima, qua sibi omnium animos devinciebat; forma liberali, amplo, ac pleno vigoris

cor-

corpore, ut, quantus in illo habitaret animus, quisque facile conjiceret. Morum integritate, candore mentis, religionis ſinceriſſimo ſtudio, ſi non ſuperavit omnes, quos quidem id temporis noveram provinciarum, militumque præfectos, ſuperiorem ſe habuiſſe neminem mihi ſemper eſt viſus. Eximia fuit illius, & officiorum pleniſſima in ſacerdotes reverentia. Circumſtantibus licet militum, Abiponumque noſtrorum centuriis meam pio oſculo venerari manum, ſacrificanti mihi miniſtrare nunquam erubuit. Firmiſſimam ejus in aſperrimis itineribus valetudinem, incolumitatem tot inter pericula, in arduis contra Barbaros excurſionibus felicitatem perpetuam divina pietatis egregiæ præmia ſum interpretatus. Publicis commiſſæ ſibi provinciæ utilitatibus procurandis totum ſe dedit, ut adeo de coacervandis opibus vel cogitare illi nunquam vacaret, quod Europæorum in America primum negotium eſſe vulgo putatur. Verum, quamvis non opulentiſſimus, in omnes liberaliſſimus fuit. Quo quidem virtutum ſplendore, rebusque in Barbaros toties præclare geſtis nominis ſui, quæ nunquam conſeneſcat, immortalem memoriam eſt conſecutus quidem, ſed & ignavorum, inertiumque invidiam ſibi conflavit; Quod fatum viris quacunque re illuſtribus commune, ac prope hæreditarium ſemper fuit. Noctuæ ſolis ſplendorem odiſſe, canes lunam, dum maxime fulget, allatrare ſolent. Hiſtorias cujuscunque ætatis luſtra: Qui plures ſibi invidos, obtrectatoresque numerarint, eos maximos fuiſſe deprehendes.

Verum facta eximia ut validiſſime famam defendunt, ſic quasvis invidorum criminationes clariſſime refellunt. Barreda noſter triginta aliquot jam brevioribus contra Mocobios, & Abipones expeditio-

ni-

nibus non interfuit modo, ſed &, ſi ternas excipias, præfuit militum ſupremus ductor. Victoriarum, quales ſcilicet in America eſſe ſolent, numerus idem, qui expeditionum fuit. Crederes, fortunam illius pediſequam fuiſſe ubique. Etſi plurimum non fortunæ, ſed ſuperis propitiis, militum ſuorum alacritati, ſagacitatique in acceptis referre conſveverit, quaſi vero ad proſperos belli eventus ipſe aut nihil aut parum contuliſſet. Nemo tamen unus Barredæ conſiliis, induſtriis, ac cautionibus felices expeditionum exitus cumprimis deberi, unquam inficiabatur. Haud equidem ex eorum ducum fuit numero, *qui magis animis, quam viribus freti ad certamen deſcendunt*, ut cum Livio libro 7. loquar. Nunquam aut gloriæ, aut prædarum ſpe hoſtes ſibi laceſſendos putavit, niſi dum victoriæ ſpem cladis quantulæcunque periculo luculentiorem opinaretur. Ad hoc perſpiciendum locorum ſitum, hoſtium numerum, itineris, temporisque opportunitates obſervavit diligenter. *Omnia hoſtium haud ſecus, quam ſua, nota ſibi eſſe, conabatur*, quo elogio timendum ſemper Romanis Hannibalem Livius ornavit. Præmiſſus quotidie, in quo plurimum momenti, ſpeculatorum manipulus, qui avium, fumi, veſtigiorum quorumcunque indagatione ſeu hoſtium latitantium inſidias detegerent, ſeu habitationes, ac numerum explorarent, ut illos imparatos, dormientes, compotantes, pedites, ſui ſecuros, ac nil hoſtile ſuſpicantes, tuto, repenteque opprimeret. Et vero non timiditatis nota, ſed prudentiæ eſt rem bene gerendi occaſionem captare. Nam, ut Vegetius Romanæ militiæ magiſter libro 3. capite 22. docet: *Boni duces non aperto Marte, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant.* Id quod maxime cordi ſit duci Abipones aggreſſuro, qui hoſtem eminus odorati fugiunt, vinci ut nequeant, fugam-

que, delusis nempe Hispanis, pro nobilissima, quia incruenta, victoria habent. Detestabatur Barreda quantamcunque Barbarorum occidionem, quæ sibi suorum aliquot mortibus patranda foret. Ubi ego sum, subridens mihi dictitabat, ibi feliciter omnia. Quod si, addidit, Barbaros, quotquot in chaco sunt uspiam, internecione delessem universos vel duorum militum dispendio, næ! ad urbem redux luto, ac lapidibus petendum me a plebe timerem. Hæc Barbarorum mortes peroptat, sed milites suos vult in quavis dimicatione immortales. Hæc verissime Barreda. Nil mirum. Etiam vulgo Europæo solenne est, victoriam singulis militibus tribuere, stragem qualemcunque soli duci assignare. Cum palam esset, experimentisque plurimis confirmatum, Barredæ plus consilii, quam audaciæ esse ad expeditiones suscipiendas, Jacobopolitani omni formidine abjecta promptis, serenisque animis eum, quoquo tenderet, sequebantur. Neque præclari illi milites alio duce plus conficere, aut audere, solebant. Enimvero Ducis fama in spem, metumve impellit exercitum. Sit ille belli artibus, & victoriis clarus, sit circumspectus, lente festinans, futurorum providus, cui amabo, fiduciam, animosque non inspirabit? Sit alter projecte audax, suorum sanguinis, sui non item prodigus, impetu, non consilio irruat passim, sit eorum ex numero, qui toties victi, quoties cum hoste congressi fuere, sub tali Duce ecquis non metuat? Barredæ ductu militare recusavit nemo, talis semper cum fuerit, qualem claudianus pinxit:

— — — Ductorque placebit,
Qui non præipiti rapiet simul omnia casu,
Sed qui maturo vel læta, vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar
Nec pro successu timidus: spatiumque morandi,
Vincendique modum mutatis noscet habenis.

Jacobopolitanos investigandarum rerum ſcientia præ Hiſpanis cæteris clarere, alias dixi; Hac vero eminuiſſe etiam Landriel, nemini dubium eſt. Hoc victoriarum ſuarum præcipuo inſtrumento annos plurimos uſus eſt feliciter Barreda. Hunc Achatem ſuum, hunc viarum ducem, hunc acerrimum Barbarorum inveſtigatorem, quoquo eundum eſſet, itineris comitem adhibuit ſemper. Unus hic pro multis, immo præ omnibus illi fuit. Alii quoque extra ſancti Jacobi fines Hiſpani, quoties vel invadendi Barbari, vel arcendi, eundem ſibi viæ ducem adſcivere frequenter. Plurima, quæ omnium expectationem, imo & captum tranſcenderant, ab illo præſtita ipſus vidi, ſuſpexique. Victoriam de Abiponibus Landrielis ope potiſſimum a Barreda obtentam, jam accipe, & ex hac conjice cætera. Ex ſylvis remotiſſimis, ubi mel, ceramque conquiſiverat diu, redux in Barredam, qui forte ad Abipones oppugnandos cum multis equitum centuriis excurrit, per viam incidit. Quieſce hoc loco tantiſper, illi ajebat Landriel. Mulos ceræ, ac mellis ſarcinis onuſtos, ſine, domum deducam. Cras equis idoneis inſtructus adero. Ad Abiponum ſtativa, me duce rectiſſima cum tuis pervenies. Illa equidem hiſce vidi nuperrime, & in extremæ famis remedium boves Abiponum aliquot jugulavi. Incredibili omnium lætitia, ceu aſtrum propitium, Landriel ſpectatus, nec ſine proſperitatis fiducia auditus eſt. Stetit promiſſis. Poſtridie ad milites redux itineris totius anima, Barredæ oculus, ac dextera fuit. Diebus aliquot in chaco progreſſas copias, dum Abiponum haud procul abeſſe contubernium noſſet, fida in ſtatione locat, conquieſcere tantiſper ac reditum ſuum præſtolari jubet. Ipſe cum alio, quem ſibi delegerat, commilitone, num eodem, quo prius viderat, loco perſtitiſſent Abipones, exploraturus abit.

Die

Die in occaſum præcipite, poſtquam equum ſuum ſocio cuſtodiendum reliquiſſet, ſolus, pedesque ſtationi propinquat, ubi Barbaros habitaſſe nuper viderat; Aſt alio, ut ſolent, migraſſe, deprehendit. In propinquo eſſe ſtagnum, Barbarorum contuberniis opportunum, noverat. Huic, ne ſentiretur, laneis adrepit pedibus, & ex focorum collucentium numero hic conſediſſe, quos quæſivit, Abipones, advertit. Redux ad ſtationem, ubi equum cum ſocio reliquerat ſuum, & hunc, & ejus cuſtodem abeſſe, dolet, qui Landrielem tot horis cunctantem a Barbaris interceptum ratus, fuga ſibi conſuluit. Barreda, militesque cuncti, Landrielis reditum tanto tempore nequidquam expectantes idem ſuſpicabantur. Ignorarunt equidem viam, quam equo prius confecerat Landriel, pedibus jam illi lente remetiendam fuiſſe. Incolumis demum ad ſuos ut pervenit, cum illo animus Barredæ, ſpesque victoriæ rediit univerſis maxime, dum detectas hoſtium latebras ab illo accepere.

Nec mora: Eodem præeunte iter reſumunt omnes. Superato poſt horas complures campo, qui totus aquis innataverat, ſtagno ſimilior, Abiponum tentoria ſimul viſa, ſimul invaſa ſunt. Pauciſſimi, qui aderant, viri non tulere Hiſpani agminis impetum; Neque repugnare auſi, more ſuo fugam maluerunt, quam arma capere. Enimvero Caziquius Alaykin contubernii illius præſes cum ſtrenuioribus plerisque tum domo aberat. Illis equidem præſentibus haud omni ex parte incruentam fuiſſe futuram aggreſſionem, nullus ambigo. Non nullis tamen, qui ad fugam lentiores, Indis conciſis, fœminarum, puerorum, puellarumque imbelles catervæ, præciſa jam effugii ſpe, captæ omnes. Supellex varia, argentum, tot latrociniorum fructus, equorum multæ

cen-

centuriæ, boves copiosi ab Hispanis direpti. Cum diei jam parum esse super, eodem in loco nox ab Hispanis non dormientibus, sed excubantibus acta, captivis omnibus (centenis plures numerabantur) intra sepes, ubi equi clauduntur alias, provide custoditis. Aspernandam hanc ne putes victoriam, quæ solum inermis turbæ captivitate definiebatur. Ego hanc præ adultorum cæde æstimo. Qui pueri hodie, viri erunt aliquando, Hispanorum carnifices. Puellæ matres evadent annis succedentibus, quot filios, totidem Hispanæ gentis hostes in lucem dabunt. Radices arborum evellere perniciosum magis horto, quam fructus decerpere illarum jam maturos. Ex ereptis cum sobole matribus major in progeniem Barbaram pernicies redit, quam maribus etiam multis ferro consumptis. Huic adde: Præ maritis mortuis fœminas vivas Hispanis esse utiliores, quæ religionem subinde, moresque humaniores doctæ domesticis in usibus hero suo & gnaviter, & fideliter famulari consveverunt. Provinciæ totius experimento id comprobatum. Ut Abipones laboris, qui præter militiam sit, vel venationem, impatientes, sic eorum conjuges otii. Rebus, quæ ad familiæ suæ victum, vestitumque pertineant, non occupari modo, sed etiam fatigari gaudent.

Sed jam Jacobopolitanos spoliatis e tentoriis domum properantes oculis comitemur. Captivarum e numero Hispanæ aliquot fuere ab Abiponibus olim bello captæ. Istarum aliqua non hac, qua advenerant, quin alia commodiore redeundum svasit militibus via, quod consilium ambabus, ut ajunt, manibus sunt amplexi ex hesterna aquas inter profectione adhuc madentes. Interea sparsus de Hispanorum incursione rumor Abipones, quotquot in vicinia degebant,

bant, ad vindictam exacuit. Etenim conjugum, liberorumqne fuorum captivitate exacerbati in extremum Jacobopolitanorum agmen invecti, fed ftrenue repulfi fuerunt. Milites tamen aliquot fui, periculique obliti, dum a fociis abfunt longius, quin a Barbaris cæderentur, parum abfuit. Illorum quispiam paluftri in loco ex equo præceps jam jam haftis configendus erat, ni centurio Gorofito fclopi objectu opem tuliffet periclitanti. Indis, cum vanas fibi fine viribus iras, inutilesque velitationes fuiffe viderint, ad fuas latebras regreffis, reliquum itineris tranquillum, ac infidiarum expers Hifpanis erat. Expeditionis felicitas ut Barredæ nomen illuftravit magnopere, ita Landrielis exiftimationem magnis acceffionibus auxit. Alaykin tot contubernalium, tot equorum ereptionem moleftiffime ferens de pace cum Jacobopolitanis fancienda, pofcendaque fibi colonia cogitare cæpit. Utrumque confecutus eft, Barreda ipfo adlaborante. Quo loco, quo fucceffu Conceptionis Colonia demum Caziquio Alaykin condita fuerit, dein narrabitur. Alia, quam Barreda fufceperat, in Mocobios infeftos excurfione interfecti complures, ducenti circiter capti funt. Tanta clade perterriti Mocobiorum qnamplurimi, ne Jacobopolitanorum incurfibus paterent porro, ad S. Xaveri oppidum fe fe receperant, quod in urbis fanctæ fidei agro Caziquiis Mocobiorum Aletin, & Chitalin conditum viginti duntaxat familias id temporis numerabat, fed acceffione illorum, quos Barreda vel terruerat, vel captivitate a fe abfolutos illuc remiferat, mirum in modum augefcebat. Hinc idem Barreda facete, fed veriffime: Se ejus oppidi conditorem effe, dictitavit. Omitto plurimas ejusmodi, quas eadem felicitate in Barbaros abfolvit, expeditiones; Aliquas tamen, dum de Cordubenfium rebus fermo mox e-

rit, attingam. Aſſultus a ſe factos magis utique cruentos fuiſſe Barbaris futuros, mihi ſæpe ajebat Barreda, ſi milites ſuos, quamvis cætera præclaros, ſibi magis morigeros habuiſſet. Audi jam illius querelas.

CAPUT VIII.

De quibusdam militum Jacobopolitanorum nævis, eorum centuriis, & Præfectorum militarium Claſſibus.

Nullum hominum genus adeo omni ex parte perfectum, omni prorſus ut careat labe. Fulgentiſſimum Cœli ſidus ſolem maculis infici aliquando cernimus. Jacobopolitani bellatores quamvis tales ſint, ut nullam illis celebrandis eloquentiam parem exiſtimaverim, Barreda tamen veteranus illorum ductor tria potiſſimum in iis culpanda putavit. Primum eſt, quod Aſſilientes non omni ex latere cingant Barbarorum tentoria, illisque effugiendi relinquant libertatem. Id ſi formidinis eſt indicium, eſt etiam laudabilis providentiæ argumentum. Incolumitati ſuæ conſulere malunt, quam gloriæ inhiare, quæ ex Barbarorum occidione in ſe redundaret. Hinc a fronte primam aggreſſionem faciunt, ſylva, quo hoſtis fugitivus ſe recipere poſſit, illi relicta. Abipones enim, Mocobiosque locorum anguſtiis undique clauſos ferarum inſtar atrociſſime, pertinaciſſimeque depugnare, experientia didicerunt. Norunt probe militum

litum duorum occidione plus perturbari provinciam, quam ducentorum Barbarorum cæde poſſit exhilarari. His ducti rationibus Jacobopolitani neglecto tantiſper Ducis ſui imperio illa ex parte hoſtes impetunt, quam ſibi minus periculoſam arbitrantur. Ignoſcendum id Paraquarienſibus colonis, quos ſola neceſſitas, & haſta miſera eorum manibus obtruſa in milites, melius dixero, in militum ſimulacra transformare conſvevit. Apud legionarios, qui Principi ſacramentum dixere, milites hæc locum non habent. Iſtis integrum non eſt ab aſſignata ſibi ſtatione vel latum unguem diſcedere; E mille quamvis ignivomis machinarum faucibus totidem ſibi intentari mortes videant, e ducum ſuorum nutu pendebunt toti. Tanti obedientiam faciunt, quanti vitam, imo & pluris. Querimoniæ, quam ex Barreda audivi ſæpius, caput alterum fuit: Quod cum ſilentio primos facere impetus eos identidem juberet, milites cum vociferatione ſemper, & inconditis, ut ipſi ſolent Babari, clamoribus iruiſſent. Silentium eo confert plurimum, ut hoſtis ſubita impreſſione imparatus, inermisque opprimatur. Etſi, ut Plutarchus in Catone majore dicat: Aſſilientium *clamor aliquis repentinus magis, quam gladius conſternat hoſtem.* Tertium denique, quod in ſuis jure carpebat Barreda, nimia prædarum ſitis fuit. Capto jam mulierum, proliumque inermi grege, dilapſisque maribus, ipſi per campum ſparſi equorum agmina avide conquirunt, dum potius fugitivis inſectandis, mactandisque operam dare oportebat, & ſolerter excubare, ſi quando Barbari excuſſa formidine e latebris in arenam reduces frontem exhibebant, qui terga paulo ante verterunt. *Sæpe*, ait Tacitus, *obſtitit vincentibus pravum inter ipſos certamen, omiſſo hoſte, ſpolia conſectandi.* 4. Hiſtor. Barreda ipſe in expeditione adverſus Mocobios præſentiſſimum vitæ

discrimen incurrit. Dum enim expilatis in tentoriis Barbarorum unico ſtipatus ſocio, cæteris hoſtium equos in campo captantibus, remanſerat, ex ſtorea, ubi latuit, Mocobius proſiliens repente, fugiensque ad ejus pectus ſagittam vibravit, ni veſtes laneæ obſtitiſſent, lethalem; Sed globo mox trajectus. Putidam tentoriorum hoſtilium expilationem, ut ex Barreda intellexi, ecquis non rideat? Excutiunt omnes angulos. Cantharos, ollas, cucurbitas, conchas, ferarum pelliculas, ſtruthionum plumas, & quidquid ſcrutorum eſt uspiam, colligunt, ac præter pulveres, relinquunt nihil. Ejus generis quisquilias omnes domum ſolerter, nec citra moleſtiam reportant, trophæorum inſtar vicinis accurrentibus & pronepotibus aliquando oſtentandas. Diſplicuere iſta Barredæ, quamvis mihi excuſanda viderentur. Memini equidem, Europæas legiones, certis legibus adſtrictas, dum caſtrorum hoſtilium direptio indulgebatur, vix cohiberi potuiſſe aliquando, & intra diſciplinæ limites contineri; Eccur tumultuariis Americæ militibus tantopere ſuccenſeamus, quorum plerisque curtiſſima domi eſt ſupellex. Stipendio militari, quamvis identidem militantes, carent omnes. Suis in equis, ſuis armis, ſuo commeatu belli onera, quoties evocantur, ferunt miſeri. In alterum ſæpe menſem domo abſunt ſua, rei domeſticæ, familiæque negotiis neglectis. Periculorum non minus, quam aſperitatum pleniſſima itinera conficiunt, eam ob cauſam Hiſpanis cæteris minus opulenti, quia bellicis excurſionibus plus fatigati.

Miles, qui ſtipendio gaudeat, per omnem ſancti Jacobi ditionem nullus omnino. Coloni omnes in centurias tribuuntur; Harum quædam ducentis capitibus, pluribus aliæ, aliæ paucioribus conſtant. Sin-

gulis centurio, Procenturio, ſignifer (vacuum utique, quia ſine ſignis, nomen) ac decuriones præficiuntur. Centurionis eſt milites ad excurſionem evocare ſuos. Procenturionis, equorum ſecuritati invigilare, dum ſeſſore vacui per viam aguntur uno agmine, vel noctu patente in campo paſcuntur. Multi equidem eodem equo longiſſima etiam itinera conficiunt, opulentiores tamen alii quaternos, imo & denos, alternare ut poſſint identidem, adhibent. Signiferi partes ſunt, Procenturionis ſeu abſentis ſeu quieſcentis vices agere. In territoriis provinciæ ſingulis vigiliarum præfectus, qui ſargento mayor dicitur, centurionibus, centuriisque ſibi ſubjectis imperat, & ad bellum profecturos deſignat. Iſte jam partium ſtudioſior, jam munuſculis corruptus opulentiores domi deſidere ſinit frequenter, egentioribus, plerumque minus idoneis, militare juſſis. Quoties hac ſuper re conquerentium murmur auribus inſonuit meis! Peſſimum hunc morem, qui ut univerſæ provinciæ communis, ſic exitialis eſt, damnant omnes, nemo audet corrigere. Barreda, rerum militarium ſummus antiſtes, ut erat eximia in omnes pietate, ad expeditionem deſignari permiſit neminem, niſi qui quatuor ſaltem equorum dominus eſſet, domique haberet vel fratres, vel filios adultos, qui in illius abſentia rem domeſticam curaret, ne quid detrimenti familia pateretur. Me iſtic agente univerſa ſancti Jacobi provincia undecim centurias numeraverat, quæ a ſuo centurione nomen nanciſcuntur. Id temporis centuriones novi: Herrera, Cória, Galeano, Goroſito, Domingues, Ventura, Hilario &c. Cum ſingulis & profectus, & Verſatus ſum diu. His accedit centuria ſpeculatorum (Batidores del campo dicuntur) quæ pauciores quidem numerat, ſed ſagacitatis, virtutisque exploratæ omnes; In iſtis ad res bene Ge-

rendas plurimum ſane momenti eſt. Hujus centuriæ facile princeps, & anteſignanus Landriel ſemper fuit; Merita illius, quæ omnes noverant, remuneraturus Tucumaniæ Gubernator Martinez del Tineo eum magiſtrum equitum (Maeſtre de Campo) renunciavit. Sed maluiſſem eundem opibus, reditibusve auctum, quam inani titulo condecoratum audire. Patre natus eſt, ut fama fert, minime plebejo, matre, ni ejus facies, lingua, color nos omnes fefellit, Inda. In ſancti Jacobi, neſcio, quo pago primam lucem aſpexit. Characteres legere, & exarare novit, cæterum literarum rudis. Candidus in omnes, integerrimis moribus, perſpicaci ingenio, prudentia inſigni, corpore mediocri, ſed robuſto præditus, ac eximia in Deum religione. Semper, quantum memini, cælebs. Ex urbe rediens eum in vili ædicula ſua cum matre ad fluvii dulcis ripas haud procul ſoconcho habitantem inviſi, virique tot nominibus inſignis paupertatem ſum miſeratus: Videbar mihi, ſi in parvis exemplis uti grandibus liceat, videre Marium Romanum tot honoribus, tot triumphis clarum Ducem in villa civernate vitam ruſticam agentem. Tenuis eſt fortunæ Landriel, quod bellicis itineribus identidem occupatus ſibi vacare vix permittitur publicæ utilitatis, quam ſuæ ſtudioſior. Ex iis, quæ porro ſcripturus ſum, id planius cognoſces. Gubernator, cujus paulo ante memini, illi in præmium conceſſit campum Alarcòn ad plures Leucas patentem, ſylvis divitem, ſed qui vaſta ſolitudine cinctus, Barbarorum incurſionibus obnoxius citra periculum nec coli, nec uſui eſſe poſſit unquam. Quod ſi Rex Catholicus ad remunerandos bene meritos propenſiſſimus militares Landrielis labores, pericula, miſerias, utilitates illius opera procuratas intellexiſſet, haud dubium eſt, perpetua illi, ampliſſimaque ſtipen-

pendia dudum fuiſſe aſſignanda. Id optaverant boni omnes Id viro optimo precabar ſemper. Sed enim certiſſimum, in America maxime, illud Poetæ: *Dantur divitiæ, non niſi divitibus.*

Ultima demum, quam omnium primam, atque adeo Prætoriam dixeris, centuria ex centurionibus emeritis conſtat, quos vocant capitanes reformados. Iſti Progubernatorem ſummum Belli præfectum ſtipant in excurſionibus, cæteris belli oneribus, itineribusque immunes. Ad conſequendam ejusmodi immunitatem plures, quibus facultatum plus, minus animorum eſt, centurionis emeriti titulum ſibi emunt, quamvis nec centurionis unquam, neque Procenturionis officio ſint functi. Incredibile, quo ardore Americani omnes (Hiſpani ſint, Indi ſint, nihil intereſt) dignitatum militarium nomina ſibi ambiant, quantum honorificis his titulis capiantur. Sitiant, eſuriant, rumpantur miſeriis, centurionis, vigiliarum Præfecti nomine illos conſaluta, reviviſcent, in Cœlum juſſeris, ibunt Adeo militares tituli eos non titillant modo, ſed & implent, & ad ardua quæque impellunt. Eſurientiſſimus quisque nunquam dapi inhiabit ardentius. Miles quispiam Gregariorum e numero calceos mi· confecerat. Ut a Barreda Progubernatore Procenturionis emeriti titulum ſibi impetrarem, præmii loco popoſcit, nunquam ne decurionis quidem officium promeritus, quin & furca, ut idem Barreda mihi reſpondit, ob bina homicidia, quæ patravit, bis digniſſimus, ni primus ille furor criminis atrocitatem aliquantulum excuſaſſet. Hiſpanus ſenex plauſtra, portas, molæ rotas facere norat, atque ideo a rudi plebecula mathematicus paſſim appellatus, quidni & Archimedi præferendus? Iſtius opera uti cupiebat Barreda ad portas, feneſtrarumque ſcapos in nova

Conceptionis colonia fabricandos. Aſt noverat, nullis ſe precibus impetraturum, ut faber ſenex Abiponum terras adeat ædibus ſuis pertinacius, quam teſtudo conchæ, affixus. Dolo honeſto uſus eſt. Illum centurionem emeritum palam renunciat. Pauci fluxere dies, cum Barredæ ad Coloniam iter indicitur. Ad hunc comitandum centuriæ binæ, ac emeriti centuriones omnes recepto more evocantur, quos inter præclariſſimus ille, ſi ſuperis placet, artifex cum nuper adlectus fuerit, haud poterat iter recuſare. Rem omnem, ut expoſui, in Conceptionis oppido recenti Barreda mihi feſtive narravit, ſimulque, ut dictum fabrum grandiſono Centurionis nomine identidem conſalutarem, me monuit, certiſſimumque id, quo ad ſolertiam ſtimularetur, remedium fore, adjecit. Morem geſſi. Quoties officina mihi adeunda fuit, illud: *Señor Capitan.* Domine centurio, ſingulis prope ſententiis inſperſi. Ita eſt, repoſuit, Per Dei gratiam ſum Capitaneus. Haud poſſum inficiari. Sed quid? Me id eſſe, quod ſum, plerique ignorant, cum gemitu mihi querebatur. Omnem ego protinus exhauſi Rhetoricam in celebranda centurionis emeriti prærogativa, in ampliſſimis ejus meritis recenſendis, idque curavi moximopere, ut hac in panegyri: Domine centurio, *Señor Capitan* cujusque periodi & exordium, & epilogus eſſet. Idem prorſus, me ſvaſore, fecerunt cæteri, & præ omnibus Barreda. Quo artificio id denique conſecuti ſumus, ut bonus ſenex portas, valvas, cætera neceſſaria quam citiſſime, etſi non ſcitiſſime elaborarit. Tantum apud iſtos poteſt vacuus proventibus centurionis titulus. Id quod eodem in oppido, eodem tempore eventu alio confirmatum vidi.

Cam-

Campum longe, lateque patentem per milites ſepibus muniri, arari, frumentum Turcicum, pepones, Goſſipium, & quæ non? Seri mandavit Barreda; quin ipſe, ne Abipones aratri puderet, manibus aravit ſuis. Poſt quatriduum, negotio, neſcio, quo, urgente illi in urbem redeundum fuit. Hos intra dies ager omnis & exaratus, & rite conſitus ut eſſet, militi Gregario, agriculturæ ſcientiſſimo, negotium dedit, centurionis emeriti titulum, præmii inſtar conferendum, pollicitus. Eſca tam dulci illectus miles Barredæ expectationem, ſeque ipſum ſuperavit. A diluculis ad crepuſcula volare cum aratro boves, ſe, ſociosque ſudori innatare ſuo fecerat ardentiſſimo ſole; Solis, prandii, ſomni, ac prope ſui oblitus ea contentione laborem proſecutus eſt, ut omnium opinione citius abſolverit. Jam jam abiturus Barreda circumſtanti equitum ſuorum turmæ, tympano admurmurante, ſtrenuum aratorem centurionem emeritum declaravit. Quis riſum teneat? Ego enimvero haud potui, quamvis eques equiti Barredæ proximus. Aſt jam, quam fluxa ſint omnia, audi, & ride. Novus, & vix dum triduanus centurio & dignitate ſua, & ejus, a quo collata fuit, gratia excidit. Operæ pretium eſt ejus cauſam referre, quæ Jacobopolitanorum militum morem ſæpe vituperatum deteget. Abſentes incredibili domus ſuæ deſiderio tenentur. Ad Abiponum colonias miſſi viam magna lentitudine proſequuntur, maxima remetiuntur celeritate. Obſervavi illos in itu dies quatuordecim conſumpſiſſe, in reditu vix ſeptem. Repere videntur, dum veniunt, volare, dum redeunt. Idem equorum Paraquarienſium mos. Suis e paſcuis adducti, ut progrediantur, calcaribus opus eſt; Ad eadem regredientes ægre freno detinentur. Curſu non interrupto, perruptis omnibus, ad paſcuorum ſocios properant, Ja-

cobopolitani expeditione terminata, ſolutis jam extra hoſtis periculum ordinibus haud quieſcunt. Quisque primus videre ſuos, primus a ſuis videri cupit. Diu, noctuque currendo equos conficiunt ſuos, ut, quamvis vulnera oſtentare haud queant, vivos ſe ſe, ac incolumes domi quamprimum oſtendant. Novi centurionem, qui tridui iter intra diem, & noctem redux abſolvit ſeptem, quos fatigaverat, equis per viam abjectis. Qua quidem reviſendi ſuos cupidine accidit, ut milites certatim feſtinantes ducem deſtituant ſuum. Barreda in hoc, de quo mihi jam ſermo, itinere dum pauciſſimis ſtipatum ſe circumſpiceret, ægerrime tulit, & illum, quem triduo ſuperiore Centurionem renunciaverat, deſiderari ſuo in comitatu. Præmiſit alium, qui gradu dejectum ſuo eum eſſe, illi ſignificaret. Perculſus hoc nuncio feſtinationem damnavit ſuam, titulique jacturam propemodum deflevit. Landriel author illi fuit: Cornua bubula, quibus pro cantharis utimur, aqua recenti impleret illico: Illam Barredæ propinaturus rediret, diceretque: Se, cum per multas leucas nil aquæ in promptu ſit, acceleraſſe gradum, ut frigidam ex fluvio Turugon adferret. Barreda ſitiens hoc officio delinitus, cum fraudem minime odoraretur, centurionis emeriti titulum viro bono reddidit, ac confirmavit. Hæc, momenti haud maximi, eo animo commemoravi, ut, quanti faciant Hiſpani militarium præfectorum titulos, animo comprehendas. Hinc quemcunque Hiſpanum, vel ſemihiſpanum ruri obvium habeas, ni irritare velis, cave, ſolo eum nomine, vel cognomine ſalutes; Militarem ei titulum adjicias, oportet. Infimæ ſi ſit ſortis, eum vel decurionem, vel vigiliarum Præfectum (Señor cabo de esquadra, vel Señor ſargento) appella. Si rugas in fronte, in vertice canos, in pedibus vel calceos, vel ocre-

ocreas obſervaveris, quantumvis obſoleto ſit veſtitu, nil dubita, centurionem illum vocare. Si argenteas in freno fibulas, ſi ſtapedes ex ære (Nam fere ligneis utimur omnes) ſi calcaria ex argento, ſi ſcipionem conſpexeris præterea, ſupremi vigiliarum Præfecti (Sargento mayor) nomine dignum, habeto, vel magiſtri equitum (Maeſtre de Campo) In Tucumaniæ urbe nobili verſatus ſum diu, ubi, quotquot melioris fortunæ, magiſtri campi appellantur, & ſunt profecto. Agrorum enim, pecorumque colendorum ſcientia iſtic alit omnes, & nobilitat. Barbarum te putabunt, aqua, & igni interdicendum, ni honorificis, quas ſitientiſſime ambiunt, appellationibus utaris affatim. Noſtrorum hominum aliquis iter faciens in bivio Hiſpanum deprehendit, quem, dum de via ſibi deligenda conſuleret, centurionem appellavit iterum, iterumque. Is deſpectum ſe autumans, heus tu Bone Pater, minaci demum obtutu exclamat, ecquando tu bilem mihi ciere deſines? Ne tu peregrinus es, parumque ſapis, qui ſupremum me vigiliarum Præfectum eſſe etiamnum ignores! Adeo excandeſcunt, ſi debita appellatione eorum aures fraudentur. Haud tamen erubeſcunt, ſi honorificentiore, quam mereantur, titulo conſalutentur. Literas, me adſtante, Barreda Gubernatori Tucumaniæ ſcripſerat, eumque, etſi ſolum pedeſtris legionis Protribunum (Theniente Coronel) Tribuni nomine honoravit. Ego Barredam, memoria lapſum, ratus admonui. At ille mihi: conſulto a me, id ſcriptum, non errore, ait. Neſcis morem Americæ. Hic urbanitati conſentaneum eſt, dignitatis titulum uno minimum augere gradu. In tanta armentorum frequentia vitulorum feraciſſima eſt Paraquaria, ſed & titulorum, quibus perinde paſcuntur indigenæ, ut Europæi carne vitulina. De Jacobopolitanis militi-

bus,

bus, de eorum Duce Barreda, de illius præcursore Landriel etsi dixerim plurima, plura tamen de iisdem per historiæ decursum mihi dicenda supersunt.

CAPUT IX.

De Abiponum atrocitate adversus Cordubenses.

Corduba, urbs Tucumaniæ princeps, Episcopi Sedes, & Academia, qua paucos ante annos in Australi America vix alia illustrior, florens, ædibus sat nitidis, opulentis civibus gloriatur, honestissimisque. Qui urbem, subjectaque urbi territoria amplissima Gubernat, belli, pacisque arbiter, non Gubernatoris, sed Regis vicarius (El Theniente Rey) appellatur. Situs urbis, quam Pucarà amnis exiguus alluit, & colles circumstant, nec amænissimus, nec saluberrimus. Ager, qua sanctæ fidei, Bonique aeris finibus propinquat, in lætissimam pascuis planitiem ultra centum leucas porrigitur; Qua vero chilense regnum, ac sancti Jacobi limites respicit, hinc perpetuis Vallibus submittitur, inde in irriguas alpes assurgit, ubique infinitam armentorum, equorum, mulorum, ovium alit multitudinem, e quibus præcipuæ Cordubensium opes, & propemodum unicæ. Sola illorum prædia quotannis ultra decem mulorum millia in Peruvium mittunt, proventu sane maximo. Mulus enim biennalis necdum domitus Cordubæ tribus scutis (sex florenis Germanicis) Limæ decem, interdum qua-

quatuordecim venire ſcutis ſolet. Hinc ſuis in prædiis ut divitias, ſic delicias collocant ſuas Hiſpani Cordubenſes, in variis per campos, Valles, montes ſtationibus ſparſi, multoque terrarum intervallo plerumque disjuncti. Hæc Tucumaniæ portio ſalutari gaudet Cœli temperie (ſi civitatem excipias) aura ob alpium Chilenſium propinquitatem ſæpius frigidula, populo frequentiſſimo, incolis ingenuis, robuſtis, vividis, ſed, dum militant, meliori fortuna dignis. Serendo tritico, uberrimam quamvis meſſem ſpondeat tellus, pauciſſimi dant operam. Hinc & plerique extra urbem panem neſciunt, quem, ut paſſim per omnem Paraquariam, ſupplet caro bubula. Nusquam vaſtiores malorum Cydoniarum, Punicarum, Aurearum, maxime Perſicarum ſylvas, ut Cordubenſi in ſolo, videas. Neque ficus, nuces, fructusque alii Americæ proprii deſiderantur.

Felix credi poſſet Cordubenſis ager, Si per Pampas (Barbaros Auſtrales) per Abipones, Mocobiosque reſpirare incolis licuiſſet. Si Cætera, ut dixi, Paraquaria Abiponum incurſionibus vexata eſt perſæpe, Cordubenſes Coloniæ ea ſemper pertinacia invadebantur, ut nec aut locus, aut tempus ullum vacuum a metu, ac ſollicitudine illis eſſet. Non prædiis ſolum ſolitariis, remotisque, ſed urbis etiam finibus ſecuritate tanta imminuerunt crebro Abipones, ut viciniam illam a ſolis fœminis, vel dormientibus habitatam, bellatoribus maſculis vacuam crediđiſſe viderentur. Enimvero provinciæ ampliſſimæ ad profligandos Abipones univerſos ſatis, ſuperque virium, ac virorum ſemper fuit. Animi fere deſiderabantur, ac duces, qui ad tutandam patriam popularium animos exemplo ſuo acuerent, qui viris, viribusque uti noſſent ſuis. Certe equis, equitibusque Cordubenſibus

bus vix alii per Paraquariam ad curſum expeditiores. Omitto reliquas corporis habilitates, opportunitatesque, proceritatem, robur inſigne, alacritatem, armorum copiam. Opulentiores cum ſint cæteris, facilius neceſſaria belli inſtrumenta ſibi poſſunt comparare. Se ipſos, ſuaque utinam noſſent Cordubenſes, & Panicum illum, ſibique innatum Barbarorum timorem exuerent! Illos omnes nullo negotio vincerent, dummodo auderent. *Maximum enim his ſemper periculum eſſe ſolet*, teſte ſalluſtio in Jugurtha, *qui maxime timent.* Et *quo timoris minus ſit, eo minus erit periculi.* Livius 28. Abipones Cordubenſium trepidationem experti ſemper impudenter identidem, & plerumque impune aſſilierunt. Via regia, qua ſeu in Peruvium, ſeu ad Boni aeris, ſanctæque fidei urbes itur, raro cædibus, latrociniisque, nunquam periculo caruit. Adeo Lethales ſemper ictus iter agentibus vel inflixerant Barbari, vel minabantur. Nulla usquam ſecuritas. Nec rupium altiſſimarum juga, nec tutiſſimi nemorum receſſus quempiam tuebantur. Canum venaticorum more ſcrutati ſunt omnia Abipones, vacuisque raro manibus ad ſuos rediere. Clades e plurimis pauciſſimas, referam, quæ recentiores, mihique magis exploratæ.

Plurimi illorum, qui per remotiores ſylvas mel, ceramque ex nativis arborum alvearibus legebant, jam obtruncati, jam capti. Die Divo Joſepho ſacra, albeſcente vix dum Cœlo, ingens Abiponum agmen Alaykin Duce in prædium, quod decem circiter leucas ab urbe abeſt, Sinſacate irruit. Illud ſecularis Presbyter Carranza procurabat. Aderat id temporis frequentiſſimus, qui vicinis e prædiis pridie confluxerat, populus, in propinquo Jeſus, & Maria templo divinis officiis interfuturus. Quotquot a Barbaris

viſi

visi vel cæsi, vel incaptivitatem abrepti sunt. Captivorum partim æthiopum, partim Hispanorum viginti quinque: Jugulatorum multo plures numerabantur, cæteris fuga servatis. Mulier semi-hispana Abiponem, intentato jam ictu minitantem gladio sauciavit, hastamque ei eripuit, quam aliquot post annis, trophæi instar in prædio Carroya asservatam, & Abiponem, cujus fuerat, ipsus spectavi alibi. In sinsacate direpta omnia, equis, mulisque, qui vicinos replebant campos, abactis. Muri altiores Jesus Maria prædio saluti fuere, haud mediocrem tamen pecorum jacturam passo. Tragico rumore exciti milites Cordubenses ex urbe accurrunt denique, ut, quamvis reddere vitam mortuis haud possent, captivorum turbam saltem in libertatem vindicarent. Abiponum fugientium vestigia persecuti sunt aliquamdiu, sed, ne eos assequerentur, stagnum ingens obobstabat, quod, ut Indi nil cunctantes transmiserant, ita Cordubensibus æquor videbatur Cymba duntaxat, non equo superabile. Hinc ne viso quidem hoste receptui cecinere. Cordubenses licet equitandi peritia excellant, ad Barbaros insectandos parum valent, cum natare perinde nesciant, ac volare; Plerique illorum in iis versantur locis, ubi natandi occasio deest, vel consvetudo. In Paraquaria certe nihili faciendus miles, etsi cætera strenuissimus, nandi facultate destitutus. In longis enim per vastas, sæpe campestres solitudines jam lacus, jam fluvii, jam vadi expertes rivi occurrunt, ad quos trajiciendos nec pons, nec navis, nec, ex qua parari possent, materies in promptu est. Sed fingamus, hanc adesse, non vacabit pontibus, lintribusve fabricandis operam dare, dum ad assequendum fugacem Barbarum, vel suis in stativis deprehendendum & celeritate opus est maxima, & silentio. Securium ictibus equidem, & fabri-

can-

cantium ſtrepitu ipſi ſe ſe proderent milites Hiſpani, quos adventare quamprimum ſenſerint Barbari, vel accelerata ſibi fuga conſulent, vel loco ac tempore alieniſſimo Hiſpanis inſidiabuntur, quod crebrius accidiſſe memini. Neque, quod in Europæis fieri aſſolet exercitibus, plauſtra, quibus pontes, vel cymbæ adveherentur, uſui fuerint, quæ præterquam quod equitantium celeritati reſpondere haud poſſint, iterque retardent, paluſtribus ſæpe in locis hæſitabunt, & rotarum ſtridore circumequitantibus Barbarorum ſpeculatoribus Hiſpanorum adventum cum expeditionis fruſtrandæ periculo intempeſtive ſignificabunt. Ut veteres utribus inflatis incubantes tranarunt flumina, ſic nos, dum iter facimus in Paraquaria, Corio bubulo quadrato, & a quatuor lateribus, quæ funiculo colligantur, petaſi inſtar elevato inſidentes ab alio natante, lorumque illi corio innexum manu tenente in adverſam fluvii ripam trahimur. Verum cum ſingulis coriis (Pelotas vocant Hiſpani) non niſi ſinguli inſidere queant, quantum, amabo, temporis abibit, dum quadringenti, quingenti milites flumen, etſi non latiſſimum, transmittant? E quibus tute conjicies milites, qui natatores non ſint, ſubitis in Barbaros excurſionibus minime aptos videri. Quam ob rem Cordubenſibus Correntini, ſantafeſini, Paraquayenſes, Jacobopolitani milites utique præferendi, quippe qui a pueris natatui aſſveſcunt, atque adeo latiſſime patentis alvei fluvios ludendo, ridendoque tranſire ſolent. Qaantum natandi ſcientia cordi fuerit Romanis, ex Vegetio Lib. I. cap. 10. patet: *Natandi uſum æſtivis menſibus omnis æqualiter debet tyro condiſcere; Non enim pontibus ſemper flumina tranſeuntur, ſed & cedens, & inſequens natare cogitur frequenter exercitus. Sæpe repentinis imbribus, vel nivibus ſolent exundare torrentes. Et ignorantia* (Natandi ſcilicet) *non ſolum*

lum ab hoste, sed etiam ab ipsis aquis discrimen incurrit. - - - Non solum autem pedites, sed & equites, ipsosque equos - - ad natandum exercere percommodum est, ne quid imperitis, cum necessitas incumbit, eveniat. Additque eodem loco, Romanos campum Martium Tyberi vicinum delegisse, ubi militaris juventus & pugnandi & natandi artibus erudiretur. Hanc Romanorum maximi ad belli usus momenti industriam utinam Cordubenses, utinam Europaei quoque milites imitarentur! Saepe numero superiores hostem propinquum, sed amne a se divisum aggredi non audent, quem nullo negotio superarent utique, fluvium natando superare si nossent. Memini eorum, quae nostra aetate ab Hungaris equitibus, a Croatis, Sclavonibusque, eximiis sane natatoribus ad Rhenum, ad Padum, ad Moldavam, ad Albim cum insigni Austriaci exercitus emolumento gesta toties fuere. Sed jam illatas Cordubensibus clades prosequamur.

Est locus cordubam inter, & Jacobopolim, quem Rio seco flumen siccum appellant a torrente arenoso, qui Coelo tranquillo exarescit penitus, pluvio aquis e monte praecipitantibus fluminis in morem turgescit, cursuque fertur rapidissimo. Hinc atque illinc, ubi interjecta passim montium juga inplanitiem desinunt, praediorum, pecorumque omnis generis, ac populi incredibilis frequentia. Templum istic & ingens, & elegans e Saxis affabre structum divinae Matris simulacro celebritatem debet suam. Ad hoc, quippe caelestibus beneficiis, ac argenteis piorum donis clarum, maximi undique hominum fiunt concursus. Hispanis e captivis dudum ista intellexerant Abipones. Loci opulentia opimae praedae spem illis injecit. Rebus per speculatores suos solertissime circumspectis longo agmine rupium fauces improvisi oc-

cupant, viasque una omnes, ne ad fugam Hiſpanis paterent, callide præcludunt. Quotquot vicinis in ædibus, quotquot in campo deprehenſi, repugnante nemine, cæſi, vel capti. Quaquaverſus vaſtatus ager. Equorum, mulorumque multitudo ingens præda fuit Barbaris optatiſſima. Omnibus, qui cædi ſuperfuerant, præcipiti fuga dilapſis templo ipſi vis illata. Portam laminis ferreis, repagulisque undique munitam ſecuribus perfregere. Quidquid ſacræ ex argento ſupellectilis, turris campanas, ipſam toti provinciæ dudum venerabilem Deiparæ ſtatuam, aliam item Divi Joſephi equis ſuis avexerunt ſacrilegi latrones. Dumque, quod raperent, nihil, nemo, quem obtruncarent, eſſet ſuper, ſpoliis, & jugulatorum capitibus onuſti receſſere. Divino prorſus conſilio accidit, ut ſub idem tempus toties a me celebratus Barreda haud procul ab iis locis abeſſet, qui, equitum ſuorum turma ſtipatus contra Barbaros neſcio quam excurſionem meditabatur. De Abiponum immanitate factus certior cum ſuis advolat illico. Fugientium veſtigia diu, noctuque perſecutus, illos in duo diviſos agmina duplicem ſubinde viam ingreſſos advertit. Raptum divinæ Matris ſimulacrum, illud provinciæ Palladium, e Barbarorum vindicare manibus Votorum illi ſumma fuit. Et vero, dum anceps animi, quo iret, hæſerat aliquamdiu, duce Numine, illius agminis, quod ſacram imaginem portabat, viam cepit denique. Præcipiti feſtinatione aliquamdiu progreſſus Abipones, equis ſolutis jam, & ad paſcua dimiſſis, ſui ſecuros, humique conſidentes deprehendit. Jacobopolitanis eminus viſis nec expectata aggreſſione in ſylvam adjacentem pedites ſe ſe conjiciunt. Hiſpani in relicta Barbarorum impedimenta involant protinus; Prædas inter Virginis ſimulacrum, cui inhiatum eſt maximopere, læti con-

ſpi-

ſpiciunt. Collecti per campum hoſtium equi. Cremata eorum ephippia. Sylva a militibus, ne effugii relinquatur occaſio, undique cincta aliquamdiu. Viſa demum Abiponum ſuis in latebris pertinacia, ſuorumque equos bidui inedia, ac curſu defatigatos miſeratus Barreda recedendum ſibi putavit. Tempeſtas fædiſſima, quæ pridie eruperat, adeo aquis, cænoque vias implevit omnes, ut equis, ubi tuto greſſum figerent, vix palmus terræ ſuppeteret. Fidem ſuperat, quantis lætitiæ ſignificationibus Barredam cum Mariano ſimulacro reducem proſecuti ſint Cordubenſes. Ejus conſpectus certe cruentiſſimæ, quam ante triduum paſſi ſunt, ſtragis memoriam videbatur abſterſiſſe. De ſancti Joſephi ſtatua nil porro reſcitum. Eam in paludibus altiſſime merſam, vero proximum eſt. Aliquot poſt aunis illo in templo dum rem divinam facerem, vix a lachrimis mihi temperavi, quoties in Divinæ Matris imaginem, Abiponum illorum captivam, oculos defixi, quibus religione informandis id temporis vacabam. Cæterum hoſtilis in Rio ſeco aggreſſio impulit cordubenſes, ut templum illud altis e ſaxo muris cingerent, quaternisque firmarent turribus, tum ne Barbarorum dein' pateret injuriis, tum, ut propinqui coloni, ſi quid diſcriminis impenderet, in illis munitiunculis ſe ſe tuerentur.

Vallem Calamuchitam quoque, licet rupibus clauſam, ſed armentis divitem, penetrarunt Abipones, æthiope quodam ſvaſore, ac duce, qui Hiſpano hero ſuo infenſus vindictæ cupidinem, quam ſuis non poterat, Barbarorum manibus exſaturavit. Nam plurimum iſtic ſanguinis fuſum. Direpta, quæ occulis occurrebant, omnia. Ad Zumampam, & vicina illi loca cædes, & rapinæ propemodum quotidianæ

fuerunt. In viridi fluvio (Rio verde) ſancti Michaelis Parochia repetitis aſſultibus inſolitudinem redacta omnino deſiit. Templi, ædiumque rudera illic ipſus ſpectavi. Illos cumprimis terrarum tractus, quos fluvius ſecundus (El rio ſegundo) alluit, non obſidere modo, ſed & pertinaciter inſidere ſolebant Abiponum catervæ, ac in urbes ſanctæ fidei, Bonique aeris iter facientibus inſidiari. Statio, cui Cruz alta (crux alta) nomen, miram latrocinandi opportunitatem dedit, Terror, quem acceptæ identidem clades ſparſerant, in dies ſingulos augeſcebat. Ob præſentiſſimi periculi magnitudinem plauſtra, queis merces vehebantur, non niſi magno numero conſociata (Tropas de Carretas Hiſpani, Caravanas alii vocant) ultro, citroque poterant commeare. Ad coercendos Barbaros plauſtrorum cuſtodes, rectoresque, miſerrimi fere ex ultima plebe homines, haſtis plerique, nonnulli ſclopis inſtructi quidem, ſed animis deſtituti, & vigilantiæ immemores ad unum omnes contrucidabantur. Plauſtris in cineres redactis merces, equorum, boumque greges Abiponibus in prædam ceſſere. Perfrequens hæc tragoedia, & negotiatoribus exitialis fuit. Miſſis antiquioribus aliis unicam, quippe recentiorem, juvat referre. Quinque ſupra viginti ejusmodi plauſtra Cordubenſia, Urbi ſanctæ fidei deſtinata, altero itineris die paucas ab urbe leucas invaſerant Abipones. Aurigæ, cuſtodesque more ſuo in campo meridiantes (uno, qui eques boves paſcebat, excepto) obtruncati ſunt, quos inter Pater Jacobus Herrera noſter pro Quaraniorum oppidis deſignatus fuit. Hic primo impetu ſolis veſtibus, mox a ſuperveniente alio vita etiam exutus. Corolla Mariana, quadratus pileus, veſtis, quam domeſticam diximus, a Barbaris trophæi inſtar aſportata; Precum ſacerdotalium codices, libri alii per campum

ſpar-

ſparſi. Kebachichi expeditionis ductor interempti ſacerdotis veſte, quadratoque pileo tectus publicis ſuorum compotationibus interfuit ſemper, quo facinoris tanti memoriam identidem refricaret. Idem aliquot poſt annis ſancti Hieronymi oppido aggregatus dum nos in recenti Conceptionis Colonia inviſeret, a Patre Joſepho Sanchez ſocio meo petaſum popoſcit; Sed cum is non ſuppeteret, repulſam paſſus minitabunda voce Patri ajebat: Petaſum negare mihi audes? Num ignoras tu, me Patrum eſſe mactatorem? Quamvis, ut ingenue rem dicam, haud ille, ſed alter quiſpiam ſenex tetricus, mihi dein' perfamiliaris, Kebachichi commilito Patrem Herrera haſta confodit. Sanctæ fidei Pro-gubernator plauſtrorum, & qui ſeu vitæ, ſeu fortunarum jacturam paſſi ſunt, injuriam ulturus aliquot ſuorum centurias in chacum duxit, aſt ſucceſſu ſibi neutiquam honorifico. Inciderat equidem in Abiponum contubernium aliquod, ſed hi peractarum cædium ignaros ſe ſe, atque adeo innocentes mentiebantur. Interea vulgato per viciniam Hiſpanorum militum adventu alii, atque alii Abiponum manipuli confluxerant, e quibus ſenſim agmen tam numeroſum coaluit, ut Progubernator, neutiquam animoſiſſimus, Abipones non ceu hoſtes plumbo, nitratoque pulvere ſalutandos, quin tutius ceu amicos biſcocto pane, aliisque munuſculis deliniendos ſibi putaverit, militibus ducis ſui timiditatem cum fremitu indignantibus. Reditum ſibi periculoſum, funeſtumque metuens urbem verſus iter acceleravit, Abiponibus præcipiti cum feſtinatione regredientium Hiſpanorum terga diu prementibus. Ipſi, qui expeditioni interfuerunt, milites reditum probri pleniſſimum, & fugæ, quam itineri ſimiliorem me audiente damnarunt. Flagitiorum enim impunitate, & Hiſpanorum quorundam ignavia ad quidvis porro ten-

tandum indies audaciores Barbari evadunt; Terrentur, si quis audaculus se se illis assilientibus objiciat, sclopumve minitabundus obvertat. Expertus id præter alios complures Galarza Cordubæ Regius vicarius (Theniente Rey) Huic cum plaustris aliquot ex Boni aeris urbe redeunti Idem Kebachichi cum Abiponum suorum caterva in campo occurrit. Hostem eminus conspicatus ex equo desiliit Galarza, Sclopo uti ut posset expeditius. Sed dum vestem viariam (Poncho, vel camiseta dicitur) ad cubitos defluentem cum impetu in humeros conjicit, ne manus in armorum usu retardaret, equus territus fugit, & ut erat phaleris pretiosis, argenteis fibulis, sclopisque manualibus instructus ab Abipone accurrente interceptus est. Nemo unus tamen hostium plaustris imminere fuit ausus, quorum defensor Galarza sclopo identidem minitabatur. Hunc plumbo vacuum fuisse, inde conjicio, quod, cum globorum, nitratique pulveris supellectilem suo in plaustro reliquisset, biscocti panis frustilla, sclopo onerando servitura, sibi porrigi a famulo suo postularit. Rei gestæ præter alios testis mihi erat Michael Angelus Amilaga Laicus noster, Galarzæ Comes. Præsentia animi, quam is semper tanto in discrimine retinuit, & quamvis innoxii sclopi ostentatione a mortibus inferendis, diripiendisque plaustris absterriti hostes. Ne tamen boum, equorumque turba a plaustris remotior abigeretur, impediri haud potuit. Illorum custos quoque æthiops juvenis diris adeo verberibus mulctatus est, postero mox die ut expirarit. Plura ausuros utique duo de viginti Abipones (Neque enim plures tunc adduxerat Kebachichi) vicina Mazangani munitio videtur absterruisse. Munitionem, seu propugnaculum Mazangani quoties & nominari, & celebrari audiveram, locum vallis, fossis, muris, aggeribus, tormentorum

sug-

ſuggeſtibus, præſidiariorum cohorte munitum animo concepi. Aſt quantum mea me fefellit opinio! Namque ex urbe Boni aeris Cordubam iter faciens Mazangani aream quadratam, cujus diameter quadraginta pedes Geometricos vix æquaverit, arborum truncis, ramisque ſpinoſis circum ſeptam deprehendi. Hujus lateri tugurium ſtramine tectum, e ligno, lutoque miſere conſtructum incumbit, & a miſero homuncione habitatur, qui Gubernatoris, præſidiarii, & ſpeculatoris vices iſtic agit, & vulgi lingua Mangrullero dicitur; Nam arborem altam in medio areæ collocatam ſcandit identidem, num Barbarorum aliqui in circumjecta planitie immineant, ſpeculaturus. Ad hos terrendos ſimul, ſimul ad eorum adventum vicinis ſignificandum ſclopum explodit. En horrendi illius propugnaculi veriſſimam imaginem! Hoc tamen qui attigerant, in tuto, & veluti in portu eſſe, ſibi videbantur. Quam parum ſufficiat ad Barbaros illos heroes terrendos, vel ex hoc conjice. Verum tot experimentis facti indies audaciores didicerunt denique ejusmodi munitiunculas ridere. Igne enim ſagittis vibrato ſepes, tuguria, eorumque defenſores accenderunt. Hinc ſecuritati ſuæ conſulturi Hiſpani variis in ſtationibus munitiunculas e lateribus, vel ſaxis erexere, machinis bellicis firmatas præterea, ſed parum profuturas, ſi propugnatores animis careant, & vigilantia. Namque, ut veriſſime Salluſtius, *audacia pro muro habetur.*

Campus (El tio) qui Cordubæ, ſanctæque Fidei urbibus interjicitur, Leucas plus minus triginta humano cultu vacat, atque adeo commeantibus periculoſus ſemper, ſæpiſſime exitioſus fuit. Nam non ſolitudo dantaxat, ſed & longa, quæ a ſeptentrionibus ad Auſtrum planitiem percurrit, ſylva latrocinan-

 di,

di, insidiandique opportunitatem præbet Abiponibus, maxime ad lacum rotundum (El pozzo redondo) multis cædibus infamem, de insidiis Barbarorum in adjacente sylva latentium semper suspectum. Quoties enim Cœli siccitas diuturnior præcesserit, vastissimo in campo aquæ Guttulam nusquam reperias, nusquam, quo focum alas, ligni particulam. Utrumque lacus rotundus suppeditat, sylvæ propinquus. Eam ob rem, qui hac iter suscipiunt, hoc loco vel meridiari, vel pernoctare coguntur. Viatoribus aridam illam planitiem emensis nihil hoc lacu optabilius, quippe qui siti tabescentibus vitam servat; Sed nihil quoque illo formidabilius, cum citra vitæ discrimen adiri vix queat. In ista equidem statione, quam identidem ab Hispanis transeuntibus frequentari norunt, insidias illis tendere solent Mocobii, & Abipones. Uti Piratæ Algirienses, & Maroccani circa sancti Vincentii in Algarvia promontorium Grassari assolent, ubi naves ex America reduces facillime, frequentissimeque deprehendunt. Bis mihi cum quaternis sociis Hispanis ad lacum rotundum iter fuit. Prima vice ob recentem cædium ibi patratarum memoriam multum timoris; Altera plus molestiæ sensimus; Nam biennali cœli siccitate, quæ fluvios non contemnendæ magnitudinis exhauserat, hic quoque lacus exaruit omnino. Siti pereundum nobis erat, cunctisque, quibus vehebamur, equis, ni horrendis immugiens tonitribus Cœlum aquæ vim maximam illa nocte effudisset. Trepidantibus nobis metum auxit viæ dux Hispanus senex Hyacinthus Baez; Hic enim narraverat: Hispanum quemdam Gubernatoris Regii officio, bellisque pluribus in Europa defunctum hac transiisse olim, noctemque egisse. Militibus Paraquariensibus, qui eum comitabantur, stationem hanc Abiponum insidiis obnoxiam, timendamque af-

fir-

ſirmantibus: Americanos hos Latrunculos non metu, ſed riſu dignos eſſe, verbis magnificis reſpondit. Verum aſſilientibus ſub auroram Abiponibus, eorum ululatu, aſpectuque adeo perculſus eſt, ut humanum quid pateretur, quod timidis accidere ſolet, neque tamen ſalva verecundia a me ſcribi poteſt. Direpti a Barbaris equi, &, quæ eorum arriſere oculis, cætera. Vitam Paraquarienſibus, qui ſtrenue hoſti obſtiterant, comitibus debuit Europæus heros, didicitque timere Indos, quos inexpertus pridie contempſit. Hanc hiſtoriam ſibi honorificam Europæis magnanimitatis ſuæ buccinatoribus decantant cum riſu Hiſpani Paraquarienſes. Verum ſupremis, quos in Paraquaria egi, annis campo, quem el Tio vocant, latiſſime, longiſſimeque patenti procurata eſt ſecuritas. Duplici in loco munitiones collocatæ, ubi centuria militum excubat ſemper, & vias, unde Barbari timeri queant, omnes quotidie ſpeculatur. Quamdiu equitum magiſter Alvarez his limitibus, præſidiariisque præfuit, incredibiliter refrenata eſt Abiponum licentia, qui prius intactum nihil, nihil intentatum reliquere.

Certe quantum iſtic terrorem ubique ſparſerint, ipſi experti ſumus, dum e portu Boni aeris, ubi ſexaginta ſocii Europæi paulo ante appulimus, Hiſpanis indigenis aſſociati Cordubam Tucumanorum centum quadraginta aliquot leucarum iter confecimus. Comitatus noſter centum aliquot plauſtris definiebatur, quæ ſingula a quatuor bobus, ſi paludes occurrant, ab octo trahuntur. Hos auriga longa pertica clavo armata pungit, gubernatque, & plerumque eques, viæ dux, præcedit. Plauſtra binis rotis vaſtæ, magnæque molis incumbunt. Faſtigium fornicem refert, & corio bubulo tegitur, ut aqua pluvia decurrat. Latera jam ſolis ſtoreis, jam tabulis clau-

 dun-



duntur, & ciſtæ ſpeciem referunt. Plauſtra e ſtoreis carretas, e tabulis carretones vocant. In toto opere nihil omnino ferri eſt. In puppi, ubi porta, per ſcalam plauſtrum conſcenditur. In prora feneſtram habet. Singula plauſtra ſingulis attribuuntur, quandoque binis. Quodvis plauſtrum & domus, & lectus, & triclinium cujusque eſt. Nam in ejus medio culcitra locatur, cui incubantes provehimur, ſuccuſſu tanto, ut, quemadmodum in mari navigantes, primis diebus ad vomitum concitemur. Nocturnis horis plurimum itineris conficitur, cum diurnum ſolis æſtum boves haud diu ferant. Singulis plauſtris ſex boum paria aſſignantur, ut alternare poſſint, & laborantibus aliis alii interquieſcere. Ex quo palam fit, centum plauſtra mille ducentis bobus indigere. Ad cuſtodiendam, paſcendamque tantam multitudinem multis opus eſt cuſtodibus. Horum ſingulis equi plures ſunt neceſſarii. Et his, & aurigis, & qui equites plauſtra præcedunt præter carnem bubulam vix alius ſuppetit cibus. Eadem & omnes, qui plauſtris vehuntur, quotidie veſci conſveverunt. Ad tot ſemper eſurientium ſtomachos implendos quotidie ingens boum numerus conſumitur præterea. Ex his argue, quanta hominum, beſtiarumque multitudo conveniat, dum centum, ſæpius ducenta ejusmodi plauſtra per centum quadraginta leucarum ſolitudinem conſociata progrediuntur, & quantum, ſuperi boni! Stridorem cient, cum rotæ ungantur nunquam ac vel ideo diuturniore axis lignei affrictu flammam concipiunt interdum, & plauſtrum ipſum inflammant. Plura, quæ iter ejusmodi advenis Europæis propemodum intolerabile reddunt, mihi dicenda reſtant. Prædia, tuguriaque, quæ urbi Boni aëris, & Cordubæ imminent, paucula ſi excipias, præter campum incolarum, ædium, arborum, amnium, collium prorſus

ſus expertem, ſed equis, aſinisque ſylveſtribus, ſtruthionibus, damis, vulpeculis fœtidis (Zorrinos) & paſſim tigridibus affluentem deprehendas nihil. Ligna pro foco alendo, aqua præterea, ut maris in trajectu, plauſtris devehenda ſunt ad quotidianos uſus. Aqua pluvia, quæ humiliore in ſolo, vel ſcrobibus remanet, luto prægnans, & vix aquæ nomine digna nobis haurienda, rectius dixero, devoranda fuit toties, quamvis nec beſtiis, niſi ſitientiſſimis, arriſerit aliquando. Quodſi imber dudum defuerit, hac via iter omne intercluditur omnino. Immenſa hæc, quam ingreſſi fuimus, ſolitudo moleſtias indies novas, nova pericula, & iis, quibus in trimeſtri per Oceanum navigatione defuncti nuper ſumus, prope majora nobis minabatur. Vix diei pars aliqua, vix una nox abiit, qua viarum ſpeculatores Hiſpani Barbarorum veſtigia a ſe viſa, eorum ſibilos, tibiasve eminus auditas non nunciaſſent. Cum a rerum peritis fides vagis rumoribus haberetur, plauſtra pleraque ad mutuam defenſionem in circuli formam quotidie collocata, haſtis, ſclopisque inſtructa fuerunt. Sed tot alios majoribus præſidiis munitos Indorum ferocium manibus ſuccubuiſſe per hanc viam quoties meminere, vel tutiſſima illis ſuſpecta erant, quemvis graminis altioris motum Abiponum adventantium prodromum crediderant, & dum Paraquarienſes Veterani indigenæ umbras metuerunt, nos in America novitios iterum, iterumque conterruere. Trepidatum eſt, plus, quam credi poſſit, quadam nocte, dum præcipuus plauſtrorum ductor in ducentos equos ſpadicei coloris ad unum omnes inciderat. Abiponum præda credebantur, nosque ab iisdem mox invadendos non pauci ſomniabant. Sed enim duo malæ frugis Hiſpani, qui nobis eminus viſis diffugere illico, hanc equorum ejusdem coloris turbam e prædio, neſcio, quo clam

ra-

rapuerunt. Vanus fuit omnis, qui nos usque comitabatur, hoſtium metus. Barbarorum nemo ſe nobis in conſpectum dedit, quam felicitatem propitio utique Numini jure in acceptis retulimus, cum viam illam & cædium, & latrociniorum ferale theatrum plures jam annos exſtitiſſe, conſtaret. Tot equorum millia, tanti captivorum greges, tot Cordubenſium miſere obtruncatorum capita in chacum ab Abiponibus translata, Viæ omnes, qua Cordubenſis ager patet, humano ſanguine madentes incolis perinde, ac advenis eam formidinem injecerant, ut nemo usquam ſe tutum exiſtimaret. Tantam Cordubenſis populi patientiam num mirari magis, an miſerari nos oporteat, jam diſcutiendum reſtat.

CAPUT X.

De irritis Cordubenſium in Abipones excurſionibus.

Heus tu, mihi inquis, usque adeone Cordubenſium animus occalluit ad tantas clades, ut eas jam nil ſentirent? Tantumne illis refrixerat bilis, ut de vindicta ne cogitarent quidem? Num viri, num arma, num vires Cordubæ deerant? Nihil ſane iſtorum deſiderabatur in florentiſſima urbe. Bona virorum optimorum venia dicam, quod Sentio. Duodecim, qui militare queant, virorum millia in promptu habent. Sed nempe viris plerumque duces, ducibus ſemper fortuna, & neſcio, quid aliud defuerat. Equis, ſi

quod

quod aliud ſolum, robuſtis, ac pernicibus Corduba abundat. Nusquam gentium juventus alacrior. Equitandi dexteritas non ars apud illos, ſed natura. Corpora vigoris, ac ſucci plena. Animi militaris gloriæ appetentiſſimi. Non Abiponibus profligandis, ſed univerſo etiam chaco expugnando ſufficerent. Omnia conra Barbaros poſſent, ni vano illorum timore præ occupati nil ſe poſſe perperam judicarent. Depreſſis acceptarum cladium memoria animis dum victoriam Abiponibus ſemper deberi autumaverant, nihil admodum in illos audebant, vel ideo a fortuna deſtituti, quæ audaces juvare conſvevit. Victi ſunt Barbarorum aſpectu ſæpius, quam armis, quibus, ſibimet injurii, impares ſe ſe opinabantur. Adeo, quod Livius 27. aſſeruit, *fama bellum conficit*, & *parva momenta in ſpem, impellunt animos*. Audi aliquas Cordubenſium expeditiones vel triſti ſemper vel ridiculo exitu terminatas.

Fluvii ſecundi fines populabundi percurſabant Abipones. Ad eos coercendos aliquot Cordubenſium turmæ excurrerunt. Deprehenſus patente in campo hoſtis. Hinc Hiſpanorum, inde Abiponum agmen in acie conſtiterat. Alii aliis minabantur diu. Nemo auſus pugnam ordiri. Abiponum aliquis moras pertæſus ex equo deſiliit; Pedes, ſolaque inſtructus haſta Hiſpanorum propinquat ordinibus. Illorum quemcunque ad ſingulare certamen provocat. Haud deerant, quibus congredi cum audaculo luberet, milites. Aſt expeditionis ductor: Ne quis vel manum moveret, mortis comminatione vetuit confeſtim. Quo viſo, paſſu lentiſſimo, Hiſpanis liberaliter exploſis, quo cuique libuit, impune receſſerunt Abipones. Enimvero, ſi unquam alias, hodie ab Hiſpanis & numero, & armorum genere ſuperioribus occidione oc-

ci-

cidi potuissent omnes, si quanta victoriæ opportunitas, tanta Cordubensium duci magnanimitas fuisset. Hæc ab Hispano Europæo, Valentiæ nato, aliquamdiu Cordubensi Colono, dein' apud Jacobopolitanos supremo vigiliarum Præfecto, qui expeditioni ridiculæ interfuit, accepi. Sæpe alias rei bene gerendæ occasionem suis elabi e manibus passi sunt militares Cordubensium præfecti, dumque timiditatem prodidere suam, Barbaros ad audendum projectiores reddiderunt. Militum incolumitati nimiopere cavebant, sed famæ suæ parum consuluere. Cauti esse voluerunt, sed timidi, ignavique dicebantur. Ad sedandos populi latrociniorum acerbitate frementis animos alia, atque alia in chacum expeditio suscepta est tanto militum numero, tanto strepitu, ut Trojam oppugnandam rursus crederes; Sed nullo prorsus operæ pretio. Causa non una fuit. Ingens equorum, boumque agmen præ se agebant semper delicati bellatores, ne variatione equorum equitandi commoditas, neu caro recens mensæ deesset unquam. Bestiarum multitudine itineris celeritas retardabatur. Centuriones militibus prope plures numerabant; Hinc, qui imperarent, plurimi, qui imperata facerent, paucissimi. Si quantum militarium dignitatum titulos ambiunt, tantum eos mereri satagerent, dudum cum Barbaris debellatum fuisset. Adhæc præter mulos sarcinis onustos, plaustra quoque ad annonam vehendam non pauca adhibuerunt, certissima itineris impedimenta. Quid, quod & supremus militum dux essedo ad pompam utebatur. Quis Paraquariensium risum teneat? Ipsius ego locum vidi in chaco, ubi & essedum illud, & plaustra omnia a Cordubensibus quondam cremata, dum paludibus, stagnisque circumventi undique nec progredi porro, nec regredi potuere. Locus ab exustis curribus nomen obtinuit:

Naug-

Nauglina, retinetque etiamnum apud Abipones. Longe, lateque, ubi tuto greſſum figerent equites, terræ palmum haud detexerat oculus, ut adeo vel ſuis, vel equorum pedibus e Cœno, ac aquis tandem emerſiſſe, in beneficiis, miraculisque numerarent. Nil dubita, vias, quibus in chaco ad Barbarorum latibula adrependum, ipſis Barbaris eſſe formidabiliores. Victoriæ principium, atque adeo pars maxima itineris felicitas. Ea equidem eſt illius ſoli natura, ut poſt longam imbrium intercapedinem pumicis inſtar exareſcat, & vel aviculis potum neget. Quod ſi nimbi increbreſcant, ubi cubes, ubi ambules nusquam ſiccam humum, quoquo te verteris, deprehendas. Ut fontibus, ſic collibus, lapidibusque caret campus, qui dum in imenſam planitiem excurrit, molli gleba lubricam, aquis e Cœlo receptis turgeſcens, timendi lacus imaginem exprimere ſolet. Alias paludibus, fluviisque reſtagnantibus via intercipitur, qui militi, etſi natare ſciat, moram injiciunt; Si id neſciat, tranſitum interdicunt, quippe vado, pontibus, lintribus deſtituti. Corio bubulo hæc omnia ſuppleri, toties affirmavi. Verum, cum ſingulis coriis non niſi ſinguli inſideant, quadringenti milites dum hac ratione in adverſum transportentur litus, & multum temporis effluet, & multo ſtrepitu admoniti hoſtes vel fuga ſibi conſulent, vel irruent in imparatos, diviſosque flumine Hiſpanos. Cur igitur Cordubenſes ne viſis quidem Barbaris toties ex chaco inglorii domum redierint, cauſam præcipuam noſſe ſi cupis, dicam: Natare neſcierunt.

Ejus rei authorem, ac locupletiſſimum teſtem habeo Landriel alibi a me celebratum, celebrandumque ſæpius. Hunc ſibi viarum ducem adſcivere aliquando Cordubenſes in chacum profecturi; Et vero

illius

illius ductu, ac hortatibus multorum dierum itinere ad fluvii Malabrigo (Neboke Latél *mater palmarum* Abiponibus) orientale litus feliciter pervenerunt. In adverſo litore Abipones Riikahès non vagari modo, ſed & ſtativa habere ſæpius ſolebant. Arduum erat negotium illorum latibula detegere, quibus oppugnandis deſtinata fuit expeditio. Campus enim omnis quaquaverſum aquis innatabat adeo, ut nec hominum, nec beſtiarum ulla veſtigia potuerint obſervari. Altiſſimi duntaxat formicarum tumuli ex aqua eminuere, in quorum uno favum mellis (quod *Lechiguana* vocant) recentiſſime decerptum Landriel ſpectavit. Hac de propinquis Abiponibus conjectura ductus ultro, citroque ſcrutatus omnia illorum denique contubernium ingens deprehendit. Oppugnari, expugnari, ſpoliari, deleri eodem die poterat utique, ſi Landriel Jacobopolitanos, Correntinos, vel Santafeſinos, egregios nempe natatores, non Cordubenſes, quippe natationis ignaros adduxiſſet. Nam, ut hoſtium ſtativis imminerent, trajiciendum erat flumen Malabrigo id temporis vadi expers, latiſſime efſuſum, atque adeo pontis impatiens. Milites ad unum omnes corio bubulo ſenſim transferre in oppoſitam ripam oportuerat. Trajectus ejusmodi, quantumcunque acceleratus, intra diem vix abſolvendus prævidebatur. Abipones interea Hiſpanæ gentis ſtrepitu, quin ſolo equorum hinnitu exciti, imbelli familia in tuto collocata, Cordubenſes, ſibi neutiquam metuendos, & fluvio jam diviſos haud dubie invaſiſſent, profligaſſentque nullo negotio univerſos.

Diſcuſſis hunc in modum rationibus viſum eſt reditum accelerare, qui ſane periculo haud vacabat, moleſtiarum certe, & quod maxime lugendum, probri pleniſſimus fuit. Cadendo magis, quam Gradien-

dien-

diendo viam remensi sunt ut eluvione lubricam, sic a Scrobibus altissimis, quippe aqua tectis, periculosam. Scrobium istorum originem accipe. Campos omnes infinita boum, qui nullius Dominio obnoxii, agmina oppleverant olim. Tauris, quoties furunt, solenne est cornibus humum fodere. Inde tot passim per campum scrobes eo periculosiores equiti, quod aqua tecti nec videri possint, nec vitari. Multi cubitum alti, tantundem lati sunt. Si quis Cordubensium in latentem sub aquis scrobem cum equo prolapsus, ibidem subsequentes socii lapsi plerique. A Landriele moniti, ut dextrorsum, vel sinistrorsum equum flecterent suum scrobis, ubi prior prostratus est, declinandi gratia, raro morem gesserunt; Ita est, reposuere, lapsus istic est noster commilito, sed vidimus illum surrexisse incolumem. Aliorsum si declinaverimus, in scrobem forsan profundiorem incidemus, unde citra noxam surgere nobis forsitan minime licebit. Hæc Landriel cum risu & spectavit, & mihi narravit subinde. Easdem ego vias repetitis itineribus sum expertus. Fateor eadem prope cum anxietate illos inter scrobes equiti incedendum esse, cum qua scopulos latentes, ac brevia inter in mari navigatur. Jure ab Hispanis putei (Pozzos) dicuntur hi scrobes, quod aquam pluviam recipiant, & ad proficiscentium utilitatem conservent perdiu, campis, sylvisque diutina Cœli siccitate dudum arefactis.

Ex his, quæ adnotavi, colliges, Cordubensium in chacum expeditiones non ad plectendos, terrendosque, sed ad confirmandos in latrocinandi proposito Barbaros valuisse; Tanto licentius equidem vexandis Cordubæ Coloniis institere, quanto luculentior jam Cordubensium militum imbecillitas iis fuit, quip-



pe qui, etſi maxime vellent, haud poſſent injurias injuriis, cædes cædibus referre, ipſisque viarum difficultatibus a chaco, Abiponum ſede, arcerentur. Ad majorem igitur commeantium mercatorum ſecuritatem comparandam, milites denique, qui aſſidue viis, limitibusque invigilarent, ære conducti. Herbæ Paraquaricæ, quæ in Peruvium plauſtris devehitur, vectigal impoſitnm, ſtipendiorum militarium nervus. Sed hæc quoque induſtria optimo conſilio excogitata, etſi mercatorum crumenas inſigniter emunxerit, latrociniorum ſeu licentiam, ſeu frequentiam vix imminuit, Barbaris exiguam militum manum nunc aſtu fallentibus, alias numero ſuo territantibus, plerumque aſpernantibus. Atque iſta, quæ de pertinaci Cordubenſium inſectatione, quam in annos plurimos Abipones produxerant, explorata omnibus, typoque etiam Matriti vulgata pleraque, noveris. Poſteaquam vero & Mocobiorum, & Abiponum pars major in Coloniis per nos locata eſt, libera jam tot hoſtibus provincia cæpit reſpirare. Reliqui tamen ambarum nationum, qui aviti in Hiſpanos odii tenaces extra novas illas colonias vagabantur adhuc, quamvis ſanctæ fidei, & Aſſumptionis agrum vexarent, vaſtarentque identidem, in Cordubenſibus tamen territoriis vix hoſtile quid tentarunt. Fluminis ſecundi Præfecto militari Alvarez, & in Rio ſeco militaria procuranti Benavides, origine Jacobopolitano ea tranquillitas debebatur. Uterque in detegendis Barbarorum inſidiis Lynceus, in propulſandis impiger, ac ferreus commiſſo ſibi limiti maxima, qua poterat, cura invigilabat. His ſimillimos duces dudum nacta ſi fuiſſet Corduba, totidem victorias, quot ſtrages cruentas luxit, olim cantaſſet. Indigenæ coloni, ut ſemper boni cives, boni equites fuerant, etiam illorum ductu, & exemplo boni milites evaſiſſent. Equidem

dem quod cor, caputque humano corpori, idem copiis præſtat ductor providus, intrepidusque. Militum ignaviſſimorum, fugaciſſimorumque animis animos, ſagacitatem, fiduciam inſpirat. Illud mihi compertiſſimum, utprimum viris ſtrenuiſſimis Alvarez, & Benavides rem militarem Gubernantibus Cordubenſes vigilantiores, audacioresque, Abipones ad aſſiliendum timidiores eſſe cæperunt, maxime, dum illornm unus a Cordubenſi milite in Campo captus, alter, Alaykin noti Caziquii filius Pachiekè nocentiſſimus interfectus fuiſſet. Novi utrumque. Hæc urbi clariſſimæ honorifica Europam celare, nefas ſit, ne quis aut Abipones mori non poſſe, aut Cordubenſes mactare neſcire, putaret. Nobis in Europam revocatis Abipones plerique omnes Coloniis ſuis, quas condidimus, procuravimusque ingenti Hiſpanorum emolumento, mox terga veterunt; Amicitiam, pacemque, quam cum Hiſpanis rogati iniverant, pertæſi arma reſumpſerunt quo ſucceſſu? Id illi noverint, quibus jam cum iratiſſimis, noſtrique deſiderio amentibus Barbaris conflictandum fuerit. Pro ea, qua in omnes Paraquariæ colonos, animi propenſione feror, opto certe, ut vel tranquillitate pacis, vel proſpera belli fortuna utantur ſemper, quam tamen, quid Abipones vel ſoli poſſint, expertus vix auſim polliceri. Hactenus illatas, acceptasque ab Abiponibus clades memoravi. Quam formidabilis toti provinciæ, quam exitialis fuerit hæc Barbarorum natio, ad illam compeſcendam quam parum profecerint Hiſpanorum arma, expoſui. Quis conatuum noſtrorum in illis domandis, inſtituendisque fructus exſtiterit, porro dicendum reſtat.

CAPUT XI.

Noſtrorum hominum in Abiponibus ad Hiſpani Regis obedientiam, & ad Romana ſacra traducendis crebri conatus.

Morbum a ſe profligatum medicus dum refert, totus eſt in ejus impetu, vehementia, pertinaciaque exponendis. Ægri imbecillitatem, dolores, deliramenta, ſomni fugam, cibi nauſeam, phreneticas jactationes, febris acceſſiones, deceſſionesque, & quæ non alia? Minutatim explicat, alia, atque alia medicamenta recenſet, ut denique, quantæ artis, quam ancipitis negotii fuerit fugientem ægrotantis animam retrahere, labefactatumque reſtaurare corpus, palam fiat. Victor miles hoſtium numerum, robur, aſtutias, repetitas impreſſiones exaggerat, quæ ſcilicet ad victoriæ difficultatem ponderandam facere videntur. Sculptor, ut, quanti laboris ſit, ac temporis e trunco formare Mercurium, ſignificet, quercus indocilis duritiem, ſcalpri, ſecuriumque ictus enarrat. Medicos, milites, ſculptores mihi imitandos putavi in meo de Abiponibus commentariolo. Barbaros illorum mores, ritus, feritatem, latrocinandi pertinaciam, infenſiſſimum Hiſpanis animum deſcripſi hactenus, ut ex rerum illarum meditatione conjicias, quanto labore nobis ſteterit, has feras humanitate imbuere, dogmatumque, quæ ſupra captum ſint, divinorum cognitione informare. Noſtri equidem homines, nec periculis, neque difficultatibus ærumnisve ter-

territi, in alterum jam ſeculum omnem moverunt lapidem, ut nationem & capitum numero, & mille nocendi artibus conſpicuam ad frugem revocarent, videbanturque ſibi eo majus operæ pretium facturi, quo firmius ſibi perſvaſerant, nationes Paraquariæ pedeſtres, ſi Abipones equites Deo, Hiſpanoque Regi ſe ſubderent, eorum exemplum paulatim ſecuturas. Qua ratione Coloniarum Hiſpanarum tranquillitati conſultum ibant cumprimis, resque Chriſtiana maximis acceſſionibus augenda prævidebatur. Egregii Quaranios inter noſtrorum hominum progreſſus, oppidaque numeroſa ex illis ad Paranæ, & Uruquayi ripas conflata in ſpem eos erexerant uberrimæ in chaco meſſis.

Eos inter, qui ſeculo ſuperiori Abiponum inſtitutionem ſibi cordi ſumpſere, præcipuo loco memorandus venit Pater Joanes Paſtòr Hiſpanus. Apoſtolicis ad Indos excurſionibus dudum illuſtris ſancti Jacobi de Storea Collegio Rector præfuit, quando animum adjecit ad Abipones adeundos, ſubindeque, ſi morem ſibi geſſerint, Chriſto authorandos. Illorum ſtativa ab urbe ſancti Jacobi aberant leucas ſupra centum ſexaginta. Viarum ſumma, quam quidem animo fingere poſſis, calamitas, aſperitasque fuit. Vicit omnia viri intrepidi animus. Patrem Caſparum Cerqueira, in Paraquaria natum, linquæque Tonocotè, pluribus nationibus familiaris, probe gnarum ſibi comitem adlegere, viſum, quo tantæ expeditionis inſtrumento feliciter eſt uſus. Vaſtam centum prope leucarum ſolitudinem emenſi apud Mataras Indos tantisper divertunt. Hi ſalutaribus undis luſtrati omnes a ſacro curione, ſeculari presbytero una in colonia procurabantur equidem, ſed præter nomen Chriſtianorum Chriſtiani moris parum habuere

Barbaris omnia ſimilores. Noſtri ſacerdotes Bárzana, & Añaſco, ac ante illos Divus Solanus operam illis navarunt non inutilem; Verum lapſu temporis chriſtianæ, quam docti olim fuerant, diſciplinæ memoria penitus defluxit. Compotandi licentia, ut cætera, quæ inde naſcuntur, omittam, illis non frequens modo, ſed quotidiana erat etiam. Solennes inferiæ, quas quot annis pro ſuorum manibus celebrarunt, potu magis, quam lacrymis maduere. Triticum Turcicum (Màyz) vetularum, ut paſſim mos fert iſtic, dentibus contritum, & in aqua aceſcens vinum ſupplet. Singuli ſingulos ſtruthiones ad inſtruendas feralis menſæ epulas conferre jubebantur. Triduum convivati horam lamentis, fictisque, ut in theatro aſſolet, lacrymis dedere. Mox reſumptis poculis, dapibusque luctum abſtergebant. Suo calentes vino altercationes, rixas, vulnera, cædesque mutuas, & alia, quæ pudor vetat, anniverſariis his inferiis non raro aſperſerunt.

Tantam populi, qui Chriſtianum ſe jactabat, impietatem ex omnium mentibus ut delerent, nulli pepercerunt labori pii hoſpites Paſtor, & Cerqueira. Non diebus, non noctibus ceſſabant ſui illos commonere officii. Et vero tum privatis alloquiis, tum publicis in templo ſermonibus id impetratum, ut ſacra homologeſi expiati complures meliora ex animo pollicerentur. Nationis Matarà, quæ numeroſiſſima olim Hiſpanorum privatorum urbis ſancti Jacobi ſervituti addicta, ſenſimque conſumpta eſt, pauciſſimæ reliquiæ ſuperſunt hodie ad ripas fluvii ſalſi in miſero oppidulo, quod Matarà dicitur, & a me ſpectatum. Poſt dierum aliquot commorationem meditatum ad Abipones iter proſecuti ſunt Patres. Ipſe loci Parochus, præcipui Caziquii cum ſuorum manipulo comi-

mites ſe ſe Patribus adjunxerunt. Id officii genus non benevolentiæ impulſu, ſed emolumenti, quod ex hoc itinere ſibi pollicebantur, expectatione præſtabatur. Sperabant equidem Patrum iſtorum opera ſe cum Abiponibus in gratiam redituros, quibuscum ſibi antiquæ ſimultates, cruenta odia interceſſerant. Enimvero iſtorum comitatu opus erat Patribus. Sexaginta leucarum via conficienda reſtabat, & qualis illa? Incognita, quam neuter viderit unquam. Sylvis, lacubus, ſtagnis horrida. Profecto ni Mataràs duces, adjutores, defenſoresque nacti eſſent, nec tuto iter tantum, neque prudenter ejusmodi negotium aggredi potuiſſent. Reptandum erat diu per invios ſaltus, & cum ſentibus, cruento plerumque certamine, ad paſſus ſingulos luctandum. Sitim a Cœlo æſtuante, ipſaque corporis defatigatione accenſam non niſi aqua putida, e ſtagnis ſcilicet, ſcrobibusque emendicata, reſtinxit, naribus ſæpe invitis, ut adeo potus præ ſiti acerbius miſeros excruciaret. Quocunque circumferrent oculos, tigridum veſtigia, culicum, inſectorumque, quæ felix ignorat Europa, conferti greges paſſim occurrebant. Per horum aculeos, illorum inſidias noctu quieſcere vix licuit, etſi interdiu egregie defatigatis. E ſylvis in campum egreſſi continuis paludibus obſideri ſe viderant, quæ ex fluminis Rubri, ſeu grandis (Nam utrumque illi apud Hiſpanos nomen) dum ſuo exiens alveo ad quinque leucas ſe effundit, alluvionibus naſcuntur. Aquis albeſcens planities quaqua verſus ſe maris inſtar oculis explicabat, & ſi vado perinde caruiſſet, ſolum in ſalum rara metamorphoſi abiiſſe, dixiſſes. Quantum fluvius grandis anniverſaria alluvione omnem late viciniam ſubmergat, ipſus vidi, dum in oppido Roſarii, paucas ab illius litoribus leucas diſtante, per biennium inter Abipones verſabar. Ex mo-



leſtiarum numero magnitudinem animi metire, qua illas tolerarunt non ipſi modo Patres, ſed & viæ ſalebroſiſſimæ patientiam exemplo ſuo Indis comitibus inſpirarunt, dudum ad ſuam Coloniam iter relecturis, ni comitate Patrum, munuſculis, precibusque quotidie in officio continerentur. Nullis aſperitatibus fracti cæptum iter conſtantiſſime una omnes tenuerunt, dum denique Abiponum fines attigiſſent.

Ab eorum ſtativis duas leucas aberant, & ne pro hoſtibus habiti hoſtes experirentur Abipones, gentem ſuſpicacem, cædiumque avidiſſimam, ſubſtitere hoc loco tantiſper nec ſine excubitoribus, quorum tamen fuga magis, quam Abiponum aggreſſio Patribus metuenda fuit, probe gnaris ſcilicet, Mataràs Indos vel audito Abiponum nomine trepidare alias, nunc vero ob eorum propinquitatem propemodum metu exanimari. Tantæ formidini eximendæ omnis Patrum eloquentia vix ſuffecerat. Ad affirmandam omnium ſecuritatem Patri Cerqueiræ, Duobis comitibus adjunctis, datum negotium præcedere, viamque, qua citra hoſtilis animi ſuſpicionem Abiponum ſubire oculos, contuberniaque liceret, ſpeculiari diligenter. Vix leucam progreſſum Patrem ducenti equites Abipones circumſiſtunt, per emiſſarios de exterorum adventu edocti. Nudi nuda equorum terga preſſere. Vultum atris coloribus fucati, manus telis longioribus gravidæ, vertex plumis verſicoloribus coronatus, lituorum militarium clangor, barbarus e labiorum percuſſione ululatus, cætera omnia terrorem ſpirabant equidem, inſpirare tamen Patris Cerqueiræ animo haud potuere. Is ultro propinquans Barbaris lingua Tonocotè uſus, quam Abiponum plures ea ætate noverant; Hallucinamini vehementer, ait, ſi veſtro me conſpectu terrendum pu-

ta-

tatis, quo nihil mihi optatius. Veſtri deſiderio per immenſas ſolitudines, per trecenta diſcrimina huc eluctatus adſum denique! Hoſtem me veſtrum, cavete, ſuſpicemini, hoſtilive me animo petatis. En! qua demum ratione felices eſſe queatis, docturus vos, inermis venio. Si quidem ſalus vobis cordi eſt, ejus authorem me, ac magiſtrum ne rejicite, quin ceu ſupremi rerum omnium conditoris me caduceatorem, atque amicum veſtrum ſuſpiciatis, oportet. Vel hoſtium legatis vim inferre ubique gentium nefas ſemper fuit, quæ lex a majoribus accepta apud vos quoque locum habuit, ut adeo nil mihi a vobis reformidandum putem. Placati oratione Barbari minas in ſalutationes convertunt, Patremque, quem ſtrictis armis cinxere prius, officiis certatim proſequuntur. Uſus benevolentia Pater: Alium ejusdem animi Patrem & annis & pietate eximium paucis cum comitibus in propinquo eſſe, ſignificat; Eum forficulis, hamis, acubus, globulis vitreis onuſtum venire, quibus Divinam legem audituros liberaliter eſſet remuneraturus. Munuſculorum expectatione ſtimulatus proximi contubernii Caziquius Patrem Paſtòr a ſuo filio, cui honeſtum comitatum adjunxerat, adduci confeſtim jubet. Veniens publicis lætitiæ ſignificationibus, feſtiva oris pulſatione acceptus in vicino contubernio, magnique Patris nomine (Pay' Latenk) compellatus eſt. Humus tigridum, aliarumque ferarum pellibus conveſtita pro ſedili fuit. Expoſitis adventus ſui rationibus aciculas, & quæ ſuperius memini, dona in præſentes ſparſit. Hæc ut ridicula Europæis, ſic Americanis pretioſa. Allatæ dapes, queis tamen abſtinere, quam veſci famelicis licet hoſpitibus multo jucundius utique fuiſſet. Epulæ enim rancidis piſcibus definiebantur, quibus nullus, niſi ab offerentium benevolentia, ſapor. Ne barbaras



aspernari cupedias viderentur Patres, repugnanti licet, tergiversantique stomaeho aliquid obtrusere.

Postridie cruce alta humi defixa terram illam Divino servatori authoravit Pater Pastor, ac sub tentorio rem divinam fecit. Sacrificio defunctus, sacrisque vestibus conspicuus Abiponum catervam supplicantium ritu circumduxit simul, simul coram salutari ligno in genua procumbere docuit. Morem, quod stupeas, gessere Barbari. Ad quos verba faciens dum adventus sui causas, religionisque sanctæ capita explanat, auribus, animisque promptissimis acceptus est. Mirifice probavit dicta præcipuus tum gentis illius Caziquius Caliguila, qui ambos Patres ad suum, quod in adverso fluminis rubri litore habuit, contubernium perhonorifice deduxit. Faustis hic quoque acclamationibus recepti hospites, & dum Christiani dogmatis instillare succum, religionemque eorum mentibus insinuare adlaborant, avidissime auditi fuere. Rumore per viciniam percrebescente majores indies advenarum fiebant concursus. In Caziquiis sibi devinciendis, sacræque disciplinæ studio inflammandis præcipuam sibi operam collocandam putarunt. Hi victas dent manus, & dociles habebis e vulgo reliquos. Optimatum exempla leges fere sunt, ac norma plebejorum in America. Enimvero Caziquiorum Princeps Caliguila religionis nostræ inter suos vulgandæ copiam fecit. Sacram Deo ædiculam condere, teneram ætatulam sacro latice expiare, Christianorum scitis imbuere, Patribus integrum fore, palam edixit, ea tamen conditione, ut adolescentes ante, & post meridiem longis comprecationibus, institutionibusque non detinerentur, ne per otium, ac sessitationem militaris illorum alacritas, armorumque usus flaccesceret. At vero negabant

bant Patres, pietatis exercitiis ardorem illum, ſcientiamque militarem extinqui, idque juventutis Hiſpanæ exemplo evicerunt. Illud ſaltem Patres indulgerent, obteſtabatur reliquorum nomine Caliguila, ut pueris arcum, ſagittasque circumferre ſemper liceat etiam, quando rebus divinis interfuerint, ne, etſi Chriſtianos ſe profiteantur, militaris inſtituti unquam oblivifcerentur, neu quoque aſſiliente, ut fieri aſſolet, præter opinionem hoſte inermes periclitarentur. Id quod, cum nec a Chriſtianis legibus, neque a Chriſtianorum moribus abluderet, ultro permiſſum; Quis enim neſcit aliarum in Europa gentium Chriſtianos jam Gladiis, jam enſibus armatos in templo verſari. Iterum, iterumque tamen monuere Patres, ne Barbaris, qui avitam ſuperſtitionem olerent, ſepulturæ, auguriorumque ritibus porro uterentur.

Acceptatis utrinque conditionibus eo in loco crux, quam ex palma altiſſima finxerant, apparatu perquam honorifico eſt collocata. Quotidianis inſtitutionibus religionis capita edocti Abipones, convulſæ barbararum conſvetudinum, & opinionum fibræ, omnis ætas, ut occaſio ferebat, ſaluberrimis monitis firmata contra præſtigiatorum, quos magos (Keevét) dicunt, fraudes. Hi malum dæmonem, quem avi ſui nomine dignantur, familiarem ſibi, beneficumque jactant, atque adeo, ne detectis fallaciis ſuis timeri a vulgo, colique deſinant, Chriſti præconibus maxime obſtrepunt, antiquæ ſuperſtitionis acerrimi propugnatores. Vetulam præſtigiatricem jam jam exſpiraturam conſpicatus Pater Paſtor, præmiſſa inſtitutione ſalutaribus eam undis abluere nequidquam conabatur. Obſtitit pervicax anus Patris obteſtationibus ſeu perennes Cœli delicias pollicentis, ſeu cruciatus a malo dæmone inferendos comminantis.

Haud

Haud esse, subridens reposuit, cur dæmonem metueret, sibi tot annos familiarem. Alii tamen sagaciores Patrum verbis fidem adhibere, præstigiatorumque suorum & dictis & artibus diffidere jam palam cæperunt. Quotidianis, ut breviter dicam omnia, industriis id impetratum, ut paucas post hebdomadas Christianum quid velut in herba efflorescere hos inter Barbaros non sine jucundo animi sensu videretur. Posita feritate humanitatis indicia ex illorum moribus, sermonibusque eluxerunt minime obscura.

Patre Cerqueira ad Mataràs remisso Joannes Pastòr conatus duplicavit suos. Quamvis ætate gravis, viribusque nequaquam athleticis ædiculam sacram e palis, & paleis, quas luto obleverat, construxit. Abiponicæ linguæ epitomen, verborum notiones, ac Indicem pro brevitate temporis operose conscripsit, cujus quidem Vocabularii præter memoriam, me istic agente, nihil omnino fuit super. Sed en! Florentissimas de Abiponum correctione spes, quæ uberrimum hoc in agro fructum pollicebantur, non expectatus cursor præcidit, per quem Joannes Pastor, rebus provinciæ urgentibus, domum revocabatur. Neque, qui ejus in locum substitueretur, id temporis suppetiit, in tanta sacerdotum nostrorum paucitate. Enimvero conservandæ cumprimis erant & Hispanorum, & Indorum jam cæptæ coloniæ, dum denique acceptis ex Europa operarum supplementis ad novas subinde condendas animus adjici posset. Hujus ad Abipones expeditionis meminerunt annuæ literæ Provinciæ Paraquariensis ab anno 1638. usque ad quadragesimum tertium scriptæ. Pater Petrus Lozano noster in sua de chaco historia refert: Patrem Joannem Pastorem electorum suffragiis Procuratorem in Europam ad tractanda de more in aula Matritensi, & Ro-

Romana Provinciæ negotia miſſum fuiſſe, collectumque ab eo variis ex Provinciis noſtrorum, qui in Paraquariam ſecum navigarent, hominum numerum neceſſarium tot Barbarorum inſtitutioni. Sed e portu Gaditano jam jam cum Apoſtolicis ſuppetiis vela facturus, Matritenſibus ſenatus Regii literis prohibitus eſt repente alienigarum quempiam Paraquariæ invehere. Hinc in Italiam, Germaniam, Belgium, patrias nempe provincias remiſſis cæteris, plerisque ſacerdotibus jam, cum pauciſſimis Hiſpanis adoleſcentibus fere, & non niſi multos poſt annos recepto apud nos more ſacerdotio initiandis in Paraquariam navigavit maxima pro tot coloniarum numero ſacerdotum penuria laborantem. Quam funeſtum hoc Patri Joanni Paſtòr ſpectaculum! Maturas meſſi ſegetes meſſorum inopia interire vidit, & non potuit non flere. Matritenſium procerum decretum exteros ſacerdotes Paraquaria excludens ipſis Hiſpanis certe, ſi quod aliud, perniciosiſſimum fuit. Quodſi enim Jeſuitæ illi alienigenæ ſeu Germani, ſeu Itali, ſeu Belgæ cum Patre Paſtòr in Paraquaria appuliſſent, illorum opera ad Romana ſacra, ad Monarchæ Hiſpani obedientiam perducendos fuiſſe jam tum Abipones, Tobas, Mocobios haud dubito, qui Sacerdotum ob penuriam per unum prope ſeculum in ſua feritate relicti omnem late provinciam infeſtis, plerumque victricibus armis percurſarunt, ut ex dictis patet. Fuſo tot Hiſpanorum ſanguine & victoriis quotidianis magis indies, magisque efferati ut Hiſpanorum amicitiam, ſic Chriſtianam diſciplinam annis ſuccedentibus pertinaciſſime recuſarunt, quamvis noſtri homines nullam illos cicurandi occaſionem e ſuis elabi manibus paterentur, vitamque ſæpe ſuam ſacrificarent.

Sed



Sed nempe ut tempora, ſic humana quoque conſilia mutari in hoc, quod tractamus, argumento experti ſumus. Cum Hiſpania indigenarum numero minime abundans ſacerdotes neceſſarios vaſtis Americæ ſuæ provinciis ſuppeditare haud poſſet, aula Matritenſis Jeſuitas exteros, quibus olim Paraquariæ aditum clauſit, non invitavit modo, ſed & Regiis ſumptibus eo transportari fecit, luculentiſſimo ſane Monarchiæ emolumento. Id liquet ex Regiis Philippi quinti literis anni 1743. die 28. Decembris ex Caſtro Buen retiro datis, ex Hiſpanico in latinum anno 1745. traductis, quibus titulus: Præſcribuntur obſervanda in Miſſionibus, & populationibus Indorum in diſtrictibus Paraquariæ, & Boni aëris curæ Patrum Societatis Jeſu Commiſſis. Puncto duodecimo hæc Regis ſunt verba; *Intellecto denique, contra Societatem Jeſu inter cætera, etiam ſpargi: Ab ea in harum provinciarum miſſiones etiam exterarum nationum ſubjecta acciri, cumque id per Regia decreta fieri meminiſſem, & quod anno 1734. meo Decreto decima ſeptima Septembris Generali Societatis indulſerim, ut in quavis Miſſione* (dum nempe Miſſionariorum ſupplementa ex Europa in Americam transportantur) *Societatis curæ, & meæ Indiarum ditioni ſubjecta Miſſionariorum eo mittendorum quarta pars Germani eſſe poſſint, qui in omni occaſione fuere fideliſſimi &c. &c.* Infinitus ſim, ſi commemorem Italos, Belgas, Germanos ſingulos, qui plurimis abhinc annis in Paraquaria, aliisque Hiſpanicæ Americæ provinciis & Hiſpanorum Monarchiæ, & rei Chriſtianæ inſignem operam navarunt ſemper noſtra etiam ætate. Hanc laudem invidere poterunt exteris, neſcio, qui homines, nunquam inficiari.

CA-

CAPUT XII.

Colonia Mocobiis condita, Abiponenſium ſubinde Coloniarum occaſio.

Fracti quotidianis ſtragibus Hiſpani ad pacem revocare Barbaros peroptabant, quos armis domare tot annos nunquam potuere. Veteri aliarum nationum experimento docti Mocobiorum, Abiponumque amicitiam ſtabilem nec expectari unquam, neque conſervari poſſe, ſibi perſvaſerant, ni in noſtram ſe diſciplinam tradidiſſent, ad humanitatem ſubinde, religionemque erudiendi. Et vero noſtris hominibus nihil antiquius fuit, optatius nihil, quam viam denique inveſtigare, qua Barbari illi, ut in coloniis ſibi condendis degerent, adduci poſſent. Urbium præfecti Regii operam ad hoc ſuam, opesque nobis ſpopondere liberaliter; Aſt promiſſis & raro, & perparce ſteterunt plerique. Satis erat illis, Abipones, ut feras cavea clauſas, novo in oppido a nobis coerceri, latrociniisque abſtinere; Sollicitudinem tamen omnem eos alendi, veſtiendique in nos unos rejecere. Rem magnam præſtitiſſe ſibi videbantur, dum in nova Colonia e ligno, & limo aliquot conſtruxere tuguria, ubi nos, ubi indi habitarent, ubi res divina fieret. His tumultuario militum labore pauculos intra dies abſolutis magnificas mox ad Pro-Regem Peruvianum, ad aulam Matritenſem dedere literas, quibus ſe novi oppidi conditores, Barbaræ nationis domitores magnifice magis, quam vere jactarunt, ſibique pin-

pingues dignitates, illustres titulos, meritorum suorum praemia a Rege deberi, plenis buccis affirmabant, & vero Regias remunerationes illorum meritis fere superiores sum expertus. Quod si boni illi Gubernatores provinciae sibi commissae incolumitati, Indorumque, quos erudiendos nobis dederant stabilitati cautum, beneque consultum vellent, id cumprimis providendum erat, ut novae coloniae bouum armentis, ovium gregibus, necessariis ad agriculturam instrumentis, securibusque instruerentur, ne carne pro quotidiano victu, lana ad texendas vestes, cultris ad quotidianos usus destituti Barbari incolae rapto, & venatu vivere, extra coloniam vagari, ac rursus sylvescere cogantur, rerumque omnium egentes nobis identidem objiciant: Hispanorum jam amicos se miseriores esse, quam olim, dum eorum inimici exstiterant, atque adeo bellum prae tali pace sibi plus expedire. Neque mirum, Barbaros rerum penuria exasperatos coloniis suis terga vertisse aliquando, arma in Hispanos, latrocinandique consvetudinem resumpsisse. Sed uberius de hoc argumento alibi agendum.

Urbs sanctae fidei ante alias Abiponum, Mocobiorumque amicitiam sibi conciliavit quondam. Aliquot istorum turmae suis cum familiis pacis initae fiducia campos urbi propiores pro stativis habuere, & seu emendi, quae cupiebant, seu vendendi, quae aliis Hispanis nondum amicis rapuerant, proposito in civium aedibus, publico in foro impune versabantur. Collegium nostrum adibant frequenter. Quotidiana cum Hispanis consvetudo eorum ferociam sensim abstersit. Aletin, & Chitalin Mocobiorum Caziquii principes nostrorum hominum tum familiari alloquio, tum munusculis mansvefacti sanctam doceri

re-

religionem cum ſuis jam non recuſarunt. Ingens operæ pretium facturi ſibi videbantur & Hiſpani, & noſtri, ſi & militari audacia, & numero magis metuendam Mocobiorum gentem Deo, Regique acquirerent. Loco ab urbe paucas leucas diſtante a noſtro Patre Franciſco Burges Navarro poſita, & ſancti Xaverii nomine inſignita eſt Colonia. Primum a ſolis viginti familiis habitata, ſed paulatim magnis venientium acceſſionibus aucta omnium expectationem ſuperavit. Pauci equidem cum eſſent principio, Hiſpanorum, & maxime Quaranicorum oppidorum liberalitate adjuti Patres non neceſſitati modo Mocobiorum, ſed deſideriis quoque, ac petitionibus facere poterant ſatis adeo, ut abjecto mox latrocinandi more ſuam ſibi ſortem læti gratularentur omnes, aliosque, qui propius ſeptentriones habitaverant, populares ſuos ad idem vitæ genus, & contubernium ſtimularent. Mocobii extra ſancti Xaverii Coloniam alii, qui popularium ſuorum exemplum, amicitiamque Hiſpanorum aſpernati eorum adhuc in finibus Graſſabantur, a Barreda, ut alias dixi, Jacobopolitanorum duce peſſime mulctati ſunt cæſis aliquot, ducentis circiter captis. Cladi ſuperſtites metu ad S. Xaverii oppidum perfugere, quo etiam captivos complures optimus Barreda remiſit ſubinde, qui propterea facete quidem, ſed veriſſime oppidi illius ſe conditorem alterum dictitabat.

Aucta incolarum numero Colonia incredibiles in religionis ſchola fecit progreſſus. Lætiſſima erat rerum facies, & quam a ferocibus paulo ante Barbaris ſperari poſſet, ſecundior. Patrii ritus ſenſim eliminati. Mores, qui ſeu feritatem, ſeu ſuperſtitionem ſaperent, aboliti, quorum in locum omne virtutum genus ſucceſſit. Omnis ætas religionis ſci-

entia imbuta, & ſacris undis, ut quisque his dignus videbatur, expiata eſt. Quam dociles ad credenda omnia, quæ audierant, tam morigeros in præſtandis, quæ jubebantur, ſe præbuere. Haſtis duntaxat, ſagittisque aſſveti hactenus jam aratrum, jam ſecures verſare manibus, jam agrorum cultu, ædiumque ſuarum fabrica occupari in deliciis numerarunt. Duplex adhæc ſchola aperta. Alia, qua pueri legendi, ſcribendique artem condiſcerent magno parentum rudium ſolatio: Alia, ubi muſicen, muſicorumque, quæ in templo adhibentur, inſtrumentorum tractationem docerentur. Magiſtrum nacti ſunt in paucis eximium Patrem Florianum Pauke Sileſium, non fidicinem modo dexterrimum, ſed & in modulis muſicis inveniendis, componendisque inſigniter verſatum. Quotidiana iſtius inſtitutione belli fidicines, cantoresque evaſerunt complures, a quibus ſacræ in templo functiones, plaudente populo, mirum in modum condecorabantur. Percrebeſcente per provinciam fama Mocobii muſici ſuo cum magiſtro jam ad urbem Boni aeris, jam ſanctæ fidei evocati ſunt, ubi, conſonantibus ad omnem muſices legem inſtrumentis & Miſſam, & Veſperas, ut vulgo dicimus, eleganter decantarunt. Symphoniam ſvavem omnes admiratione, ac laudibus, multi Hiſpanorum etiam lacrymis proſecuti ſunt, memores ſcilicet terroris, quem paucos ante annos Mocobii, muſicorum adoleſcentum parentes, ſibi toties injecerant, quoties Barbaræ illorum buccinæ, ac vociferationes repetitis in aſſultibus inſonuere.

Illud mihi indubitatum, ut principia recentis coloniæ, ſic progreſſiones induſtriis, exemplisque optimis Caziquiorum Aletin, & Chitalin ſecundum Deum maxime deberi. Ille placidiſſima indole, nativaque probitate inſignis nihil eorum, quæ ad ſuorum

cor-

correctionem pertinerent, omisit unquam. Primus omnium divino sacrificio mane, primus a meridie sacris disciplinæ Christianæ institutionibus quotidie interfuit. Ipse, quos classico olim ad patrandas cædes Hispanorum adhuc hostis animaverat, jam sacræ adstans ædiculæ campano ære ad sacras functiones convocare in more habuit. Si quid à morum integritate alienum observaverat, vel correxit illico, vel Patri corrigendum significavit, quem obedientia promptissima, omnique officiorum genere prosequebatur semper. Hac solum re cæterorum se principem ostendit, quod, licet natu grandior, plus omnibus domi, forisque laboraret. Virtutem mediocri majorem in illo suspexi, quoties eum aspicere mihi licuit. Chitalin genere, factisque militaribus apud suos clarior ea fuit mentis perspicacia, ut Pater Bonenti Italus, Patris Francisci Burges aliquamdiu socius de illo dicere non dubitarit: Enimvero Gratias Deo agamus, oportet, quod hic Indus Chitalin literis non studuerit; Universis profecto mortalibus decipiendis is unus suffecisset. Cæterum quamvis vividissimi ingenii, florentis ætatis, arrogans, & militaris virtutis fama inflatus, divinæ tamen legi, Patrumque arbitrio submisit se se, ac cæteris ad meliorem frugem fuerat incitamento. Incredibile quanti momenti sint apud Iudos, ponderisque Caziquiorum exempla. In America maxime locum habet vetus adagium: Talem esse gregem, qualis Rex fuerit. Tertius Coloniæ S. Xaverii Caziquius, cui Dominici nomen in baptismo impositum, junior utroque, sed omni ex parte superior. Reliquis Mocobiis annos jam aliquot huic coloniæ adscriptis iste cum suorum turma per Cordubensem maxime agrum latrocinari, terroremque spargere haud desiit. In velitatione aliqua illius latus Hispani ense transverberatum, sed feliciter consanatum est. Vidi toties, dum nudatus me præsente fluvios transmitte-

 te-

teret, horrendam cicatricem. Quid, quod popularibus suis Mocobiis ob sancitam cum Hispanis pacem iratissimus eorum oppidum pertinaciter est insectatus aliquamdiu, cumque patrandarum cædium opportunitas sibi deesset, equorum greges e pascuis oppidi iterum, iterumque abegit. Pater Burges, homo noxius ad frugem ut redeat, Deum obtestabatur quotidie, & vero auditus est tandem. Qui ferocior ante, nocentiorque, ut primum illi coloniæ se adjunxit, omnibus melior, utiliorque evasit. Nemo unus illo ad obsequendum promptior, pietatis, laborisque studiosior nemo. Res erat maximi ad omnes exempli vel eo nomine, quod stirpis nobilitate præcelleret reliquos, reique bellicæ scientia sibi parem vix habere, diceretur. Aliquot post annos scipionem, centurionis insigne, meritorum præmium a Boni aeris Gubernatore Petro Ceballos est adeptus.

Caziquiorum talium exemplo, authoritate, ac vigilantia impetratum est denique, ut oppidum e barbara gentis sanguinariæ colluvie nuper conflatum pietatis Christianæ Seminarium existeret. Conjugiorum ad Romanæ Ecclesiæ mentem sanctitas, adolescentum utriusque sexus verecundia incredibilis, obedientiæ promptitudo, laboris contentio, litigiorum expers inter omnes concordia, propensissima in sacerdotes suos voluntas Hispanos in admirationem dedit, antiquæ illorum barbariei necdum oblitos. Non se ipsos modo, sed infantes quoque, utprimum in lucem editi, sacro expiari fonte ultro petierunt, quamvis errore barbaris communi id lethale sibi prius existimaverint. Ultimo verni jejunii triduo, dum de servatoris nostri cruciatibus seu audirent, seu cogitarent, in se se excruciandos promiscue omnes exarserant. Flagellis acriter in se sævire plurimi, plurimi cruces

per

per forum bajulare ſupplicantium ritu videbantur, quod idem ab Hiſpanis pientioribus factitari in ſanctæ fidei urbe olim vidiſſent. Nec adoleſcentuli ab adultorum ſe flagellantium imitatione Patrum minis, ac interdictis poterant cohiberi. Nodoſi e loro funes flagri vices plerumque ſupplebant. Dum cruces deeſſent, boum juga, plauſtrorum axes, trabes magni ponderis, ligna, quæ ad manum erant, rudiſſima in crucis formam aptarunt. Ex cruento corporis ſui laniatu incredibilem cepiſſe voluptatem videbantur. Iſtorum aliquis ſociorum terga ſanguine diffluere conſpicatus in foro: En! quantum nos mutavit Patrum inſtitutio, quam nobis diſſimiles, majoribusque noſtris ſumus! exclamavit. Alienum fundere ſanguinem a pueris olim aſſveti nunc noſtrum ultro fundimus. Id enimvero æquiſſimum. Pro tot, quos rapuimus, equorum gregibus, pro tot cædibus, quas olim patravimus, par eſt noſmet de nobis pœnas ſumere. Recepto apud equeſtres Barbarorum nationes more Mocobiæ etiam matres ſuos plerumque fœtus trucidare conſveverant. Exterminata penitus hac matrum crudelium impietate, polygamia, uxorumque repudiatione proſcripta feliciter, ſoboles mox numeroſa Coloniam locupletavit, quamvis per peſtilentes variolas iterum, iterumque exhauſtam. Si quæ huic oppido honorifica, commemorarem ſingula, quot paginas implerem! Noſtrorum hominum, qui illud moderati ſunt, laudibus abſtineo. Qua tolerantia, qua ſagacitate & prudentia, qua laboris contentione conſtet feras in homines, barbaros in Chriſtianos transformare, illorum & animos rite imbuere, & corpora curare, ni ipſus in Americam naviges, ne conjectura quidem unquam aſſequeris. Patri Franciſco Burges oppidi huius conditori, & per annos complures moderatori ſeu ſucceſſores, ſeu ad-

jutores dati Michael Zea, Joſephus Cardiel, Joſephus Garzia, Bonenti, Emanuel Canelas, Joſephus Brigniel, Joſephus Lehmann, Petrus Pol, Florianus Pauke, qui mihi ad Abipones translato ſucceſſerat, cujus etiam opera Mocobiorum altera Colonia ſanctorum Petri, & Pauli nomine inſignis principium ſumpſit. Caziquius Amokin illi præfuit, qui ad illa usque tempora cum ſuis Mocobiis per Hiſpanorum fines atrociſſime fuerat graſſatus. Novi hominem, illiusque interpretem multos ante annos in urbe correntina egi, dum Coloniam ſibi, ſuisque petiturus Progubernatorem iſtic acceſſit.

Noveris, ſuperiore jam ſeculo in Tucumania juxta urbem Eſtéco Mocobiorum Coloniam aliquam eodem ſancti Xaverii nomine inſignitam exſtitiſſe. Ejus originem, ſtatum, ac ruinam hoc loco memorare, a propoſito meo alienum haud putavi. Ingens ea tempeſtate per Indos conflata ſeditio in Tucumania, & quidquid usquam militum, quidquid armorum, comprimendo tumultui impenſum eſt ab Hiſpanis. De urbe Eſtéco, olim florentiſſima, conclamatum jam videbatur, ni a quotidiana ejus vexatione Mocobii cohiberentur. Alphonſus Mercado Tucumanorum Gubernator armis diffidens, pacemque ſine bello certius parari poſſe ratus, Binos Jeſuitas, ceu feciales, ad pacandos Mocobios ablegat. Et vero inermes legati eblandiri verbis poterant, quod, qui eos legaverat, ferro nunquam extorſiſſet. Pacem ſpopondere Barbari, ſervaruntque eodem Tucumaniam Gubernante. Verum de ejus ſucceſſore Angelo de Paredo facti certiores arma reſumpſerunt protinus luculento, ut ſemper alias, provinciæ damno. Illatas ſtrages ulturus, impediturusque porro inferendas novus Gubernator, Bellis tum in Belgio, tum in Luſi-

tania exercitatus, quotquot poterat Hiſpanos, atque Indos cicures ad arma convocarat. Chacum ſemel, atque iterum ingreſſus cepit, cæciditque Mocobiorum manipulos, domumque ſe recepit. Victoriæ ingens ſtrepitus, fructus adeo nullus exſtitit, ut fauſtiſſima licet expeditio non ad ſtabiliendam provinciæ quietem, quin ad irritandos potius ſuperſtitum Barbarorum animos, plurimum conferret, ipſæque victoriæ novarum cladium ſemen victoribus eſſent. Enimvero conſtans annorum plurium experientia Hiſpanos docuit, Indos, dum vincuntur, ſibi magis formidandos eſſe, quam dum vincunt. Cladi enim ſuperſtites, etſi pauciores, duplicatis animis, viribusque extrema audent adverſus victores Hiſpanos, cladis acceptæ memoria vindictam exacuente, numerumque ſupplente. Provinciæ ſecuritati conſuluiſſet Gubernator, ſi continuato bello victorias victoriis, dum internecione demum Mocobii delerentur, cumulaſſet. Verum vir cætera bellicoſus a ſuſcipiendis porro in Barbaros excurſionibus abhorrere cæpit. Caſtris Europæis aſſvetus viderat per ſalebroſas Americæ ſolitudines longe aliam eſſe belli rationem, easque offerri difficnltates, quæ nunquam evitari, raro vinci & ægerrime queant tolerari, & præ loricatis, barbatisque Europæ bellatoribus nudos illos, ac imberbes Paraquariæ equites plus negotii faceſſere, quippe qui vel fugæ celeritate, vel latebris ſe ſuis tueri norunt, & inſequentem exercitum jam eludere, jam defatigare. Experientia igitur ſua miteſcens Angelus de Paredo Leniores, quibus Mocobiorum tranquillaret animos, vias circumſpexit. Blanditiis, munuſculisque id demum impetraverat, ut illorum contubernia aliquot, poſita tantiſper ſimultate, in urbis Eſteco vicinia conquieſcerent, coloniæque, cui ſancti Xaverii nomen inditum, ſpeciem referrent. Cumque ſince-



ra religio pacis ſit firmamentum, frugisque bonæ inſtrumentum certiſſimum, Romana ut ſacra amplecterentur, diligenter procuratum eſt. Inſtituendis Barbaris Pater Didacus Altamirano noſter nobili in Hiſpaniis proſapia ortus, Theologiæ prius magiſter, Paraquarienſis dein Provinciæ Præſes, & Pater Bartholomæus Diaz in Tucumania natus, & linguarum Barbarorum ſciens, præfecti ſunt, haud tamen Mocobios inter habitare permiſſi a provido Gubernatore, qui ſcilicet diſcipulorum Barbariem veritus magiſtrorum vitæ cautum volebat, quamvis ipſi religionis cauſa mille ſibi mortes expetiere. Atque eam ob rem cum Gubernatoris juſſu in urbe Eſteco noctem agerent, diem erudiendis Indis ſemper impendebant. Octo quotidie leucas itu, redituque equo conficere oportuit; Quatuor enim ab urbe Mocobiorum ſtativa abfuere. Sacra donec ædicula iſtic ſtrueretur, crux prægrandis erecta eſt, ad quam divinæ legis præceptiones quotidie explanabantur. Indos pueros aliquot dociliores ſuo habebant in Comitatu Patres, ut Mocobiam ipſi linguam, illi Hiſpanicam condiſcerent, mox interpretes, & Chriſtiani moris apud ſuos norma futuri. In colenda hac gente nulli pepercerunt labori Patres, nullo tamen præter inſignis patientiæ meritum operæ pretio, niſi infantes non paucos, qui ægrotantes baptiſmo luſtrati ſunt, in cœlum translatos fructum haud pœnitendum arbitreris. Gubernator, qui jacta vix ſemente intempeſtivam poſcebat meſſem, utroque Patre repugnante, dolenteque coloniam, rectius dicam, coloniæ rudimentum ſuſtulit, varia cauſatus. Ejus incolas Mocobios, aliosque, quos poſtrema in chacum expeditione ceperat, Barbaros in Hiſpanorum ſervitutem per Tucumaniæ urbes ſparſit; qua liberalitate ſuorum ſibi animos devinxit quidem, & operam, quam in ſuſceptis ad Cha-

cum

cum excurſionibus navarunt, remuneratus eſt; Barbaræ tamen nationes, & cumprimis Mocobii a patrio ſolo abſtracti novum Hiſpani nominis odium concepere, illatamque ſibi, ut putabant, a Gubernatore injuriam ad hæc usque tempora ulciſcebantur, toti provinciæ infenſi ſemper, ſemper infeſti.

Alieniſſimo tempore, locoque primam illam ſancti Xaverii coloniam a Gubernatore fuiſſe collocatam, haud eſt, quod dubitemus. Nam ſub idem tempus, quo Mocobios religionem docendos Patribus tradidit, illorum populares, ac propinquos ad Chacum eſt acerrime inſectatus. Neque coloniæ ſitus prudentioribus probabatur. Urbs enim Eſteco, quæ aliquot poſt annis terræmotu hauſta penitus interiit, uti fortunis ac opibus, ſic publicis flagitiis abundabat, quod ab ipſis Hiſpanis toties accepi. Vicini Mocobii, qui oculis ſuis malebant, quam auribus credere, fortiusque ad vitium libidinoſorum, ebriorumque exemplis, quam ad virtutem Patrum ſermonibus trahebantur, ſibi utique licere putabant, quod ab urbis incolis Chriſtianis palam, impuneque fieri identidem ſpectarunt. Præter alios hæc quoque princeps cauſa fuit, cur S. Xaverii oppidum alterum, noſtra ætate, ut dixi, condita ad triginta leucas ab urbe Sanctæ Fidei fuerit remotum, ne ſcilicet impiorum exempla, quæ probiſſimis in Civitatibus nunquam deſunt, in Mocobiorum oculos incurrerent, eorumque mentes, ut pruina teneras plantas, labefactarent. Excubandum maximopere Patribus, ne, quos in Chriſti ſchola diſcipulos habent, Indos, promiſcua cum Chriſtianis quibuslibet conſuetudine implicari patiantur. In plurimis eorum ſpurcitias, nefandaque libidinum genera cernent, quæ ipſi vel ignorarunt ſemper, vel certe


execrantur Barbari. Conſtat equidem, non ſolos Hiſpanos in Paraquaria degere. Africani, ex his, vel Hiſpanis miſti, ac Indis, quos mulatos, meſtizos dicimus, paſſim præſto ſunt. Honeſto genere, ac probitate conſpicui a coloniarum noſtrarum aditu prohibentur nunquam; quin honorifice a nobis accipiuntur, noſtris in ædibus habitare, noſtræ menſæ accumbere, quidquid in oppido eſt, circumſpicere, ac luſtrare ſinuntur, ut cuique lubuerit. In oppido certe ſancti Joachimi, aliisque, ubi verſabar, omnibus pauci ſane fluxerunt dies, quibus Hiſpanum Hoſpitem domi non haberem. Regiis tamen legibus cautum eſt, ne temere ad Indorum oppida fex homminum admittatur, quippe ad indos ſtupidos ſeu pervertendos, ſeu decipiendos aptiſſima. Ad hanc oppido arcendam nulla Patrum ſollicitudo, vigilantia nulla aut ſufficiens, aut nimia eſſe unquam potuit. Ejusmodi nebulones quamvis interdum citra noxæ propoſitum adveniant, raro innoxii recedunt; Jam enim fraudibus ab Indis eorum veſtes, aliasve reculas eblandiuntur, jam laſcivis facetiis, vel actionibus corrumpunt innocentes, jam, quod frequentiſſimum, adoleſcentes, puellas nubiles, quin et nuptas mulieres clam abducunt, ad domeſticam ſervitutem, ſæpe ad deteriores uſus domi adhibendas. Quantus mihi hic ſcribendi, lamentandique campus pateret! ſed parco verecundiæ, parco famæ. Quodſi igitur in libellis quibusdam legeris: Hiſpanos ab Indorum oppidis excluſos, repulſosque fuiſſe per Jeſuitas, noveris, id vel ab ignorantibus, vel a malevolis calumniandi animo ſcriptum eſſe. Vitio nobis dari laude digniſſima, hoc fatum noſtrum, invidorum hic mos ſemper fuit. Chriſtianam diſciplinam, eorumque integritatem in illis Indorum oppidis maxime floruiſſe, quæ

ab

a Hiſpanorum vicinitate, ac conſuetudine longius aberant, experti ſumus. Hinc et Pater Franciſcus Burges prudenti certe conſilio ſancti Xaverii oppidum ad triginta leucas a ſanctæ fidei Urbe removit, Mocobiorum ſuorum probitati conſulturus. Quamvis et in hac ſtatione advenis invigilandum fuit diligenter, qui Indis perniciofa effutiunt ſæpe, & , ſi occaſio ferat, obſcœna patrant. Semi-hiſpanus quispiam (Mulato) ex Urbe literas Patri attulit. Vidit puellam Mocobiam equitantem curſu ad propinquam ſylvam, ubi ligna arida pro foco alendo colligeret, directo. Hanc eques inſecutus eſt. Sceleris propoſitum, quod linquæ Mocobiæ ignarus verbis haud potuit, petulcus nutibus prodidit. Puella verecundiæ ſuæ timens, cum periculum, ac vim alia ratione eludere non poſſet, impacto ejus capiti ſtipite ſimul vitam illius, ſimul laſciviendi cupidinem ictu uno extinxit, Romanorum heroina Lucretia fortior utique, feliciorque; Hæc violatum a Tarquinio pudorem morte vindicavit ſua; Illa aggreſſoris morte & pudorem ſuum, & vitam ſervavit.

Abipones pro veteri cum Mocobiis amicitia, dum frequenter hac iter agerent, hoſpitio accepti, liberaliterque habiti ſunt in ſancti Xaverii oppido. Tum ſuavi Patrum alloquio, tum munuſculis capti eam vitæ rationem, cui Mocobios acquieſcere viderant, probare cæperunt demum, eandemque ſibi peroptare. Kebachin clari Abipones inter nominis acturum ſe, ut contubernales ſui ſibi Colonias ab Hiſpanis quoque poſcerent, ſpopondit. Debayakaikin (El Petizo parvus a parvitate corporis ab Hiſpanis dicebatur) Caziquiorum Abiponenſium facile princeps noſtra ſub diſciplina in ſanctæ fidei

terri-



territorio vivere dudum cupiit; ſed cum Sanctæ Fidei Progubernator fluvii Saladi ripas condendæ Coloniæ deſignaſſet, Abiponibus hunc ſitum minime probantibus, tanti momenti negotium eſt ſuſpenſum. Ychoalay equidem cæteris ſagacior illam futuræ coloniæ ſtationem ea mente ſibi deſtinari, ajebat, ab Hiſpanis, ut obſequiis ſuis mancipatos haberent Abipones perinde, ut Calchaquies reſiduos in Carcaranal habent. Servitutis metus, avitæ libertatis amor ſaluberrima conſilia disjecit maximo Hiſpanorum detrimento, quin & ſuo. Malebant Barbari Hiſpanorum hoſtes eſſe, quam ſervi. Quibus denique modis impetratum ſit, ut univerſa prope Abiponum natio ad quatuor novas colonias redigeretur, id porro ſingillatim exponendum reſtat.



XIII.

CAPUT XIII.

Prima Colonia Sancti Hieronymi Abiponibus Riikahés condita.

Belli impatiens Corduba, & jam calamitatibus impar placatos ſibi videre Abipones, pacatosque optaverat. Ad eam felicitatem procurandam Patris Didaci Horbegozo Cantabri opera feliciter uſa eſt, qui Procuratoris Provinciæ officio iſtic defunctus Collegium ſanctæ fidei tum regebat. Is, ut erat acri ad omnia ingenio, facundia ſingulari, parique religionis ſtudio, commiſſum ſibi negotium acceleravit. Cum Abiponibus, qui ad urbem ſanctæ fidei commeabant, cum Regio item Progubernatore Franciſco de vera Muxica egit diligenter: Hic ut coloniam conſtitueret, illi ut acceptarent. Utrinque ad votum ceſſere omnia. Neruigini, alio nomine Ychamenraikin princeps apud Abipones Riikahes Caziquius, præterquam quod pacem Hiſpanis omnibus polliceretur, Jeſuitis in diſciplinam ſe cum ſuis tradere nil recuſavit ea tamen conditione, ut juventus religionis elementa edoceretur quidem, adultiores tamen ad ea condiſcenda a nemine compellerentur. Nos, qui conſenuimus, ajebat Barbarus, more noſtro vivere ſinant, & ſentire. Nolumus profecto diſcendis rebus caput noſtrum defatigare. Subſcripſit libenter conditioni non optimæ Progubernator tum, quod ſibi perſuaderet a Patribus effectum iri, ut omnis ſubinde ætas nullo diſcrimine & aures & animos præbeat ve-

veritati; Tum quod pacem, qua publicæ quieti, tot mortalium vitis, atque, fortunis consulebatur, quacunque demum conditione oblatam ambabus, ut ajunt, manibus amplectendam sibi putarit.

Situs, ubi colonia locaretur, Abiponum arbitrio sapienter fuit relictus. Hi litus septentrionale amnis, quem Hispani el rio del Rey, Indi Ychimaye a cucurbitis vocant, delegerunt. Ab urbe Sanctæ Fidei septuaginta leucas abest locus, Septentriones versus, territorii, quod hæc sibi natio vindicat, prope umbilicus, si ab Austro ad Boream spectetur. Immensam, quæ ad ducentas plus minus leucas excurrit, planitiem sylvæ utilissimarum arborum feraces intersecant hinc, atque illinc patenti campo inspersæ, ut adeo omni pecorum generi pingue pabulum, foco, fabrilique operi idoneum lignum, venatui ingens ferarum multitudo affatim suppetat. Gleba opima est, & sementi cuivis par. Lapidem istic ne quæras, ne lapillum quidem. Nullæ usquam fontium scaturigines. Aquam dulcem sæpe desideres, limpidam semper. Namque omnis, quæ potatur, ex stagnis circumjacentibus est haurienda. Amnes equidem plerique omnes, qui in conspectu sunt, & tenui alveo fluunt, & aquam turbidam, fæculentam, amaram, adeoque salsam ferunt, ut vel a bestiis respuatur, diuturnis tamen, vel violentis imbribus aucti dulcescunt. Idem de præcipuo illius viciniæ fluvio Ychimayo sentiendum. Piscibus, testudinibus crocodilis, tribusque luporum aquatilium generibus abundat. Cœli siccitate in plures, ut solet, menses producta exarescit propemodum, certe peditibus vadum præbet, & quo minus aquæ, eo

plus

plus ſalis habet. Paranæ, a quo in oppidi conſpectu ſorbetur, reſtagnantis alluvionibus, nimbisque profuſioribus ſæpe intumeſcit adeo, ut ripas transgreſſus lacus inſtar latiſſime ſpargatur, et quamvis aquam dulcem tunc porrigat, moleſtiam incredibilem, periculumque trajicientibus creat. Aquis recedentibus palus undique, et undique cœnum remanet, ut palmum terræ, cui tuto inſiſtas, vix deprehendas. Litus hoc tantis difficultatibus impeditum transmittere oportuit, quotquot collem, cui nova colonia incubuit, adire vellent. Is locus ab Abiponibus quantæcunque Hiſpanorum amicitiæ ſemper diffidentibus eo conſilio delectus eſt, ne opprimi ab illis per inſidias unquam poſſent; Hancque trajectus difficultatem, quæ adventantes Hiſpanos moraretur, ſibi præſidii inſtar eſſe, putarunt. Verum cicuratis animis, abſterſisque de Hiſpana perfidia ſuſpicionibus aliquot poſt annos ab iis impetratum, ut a Boreali litore ad Auſtrale oppidum transferretur, amæno, amploque in colle rurſus locatum. Generatim dici poteſt, cæteros quoque Abiponum Caziquios pro oppidis Conceptionis, ſancti Ferdinandi, Roſariique eas ſtationes delegiſſe, ad quas ſubitus Hiſpanorum acceſſus formidari neutiquam poſſet. Adeo, cum ſibi vel amiciſſimorum fides ſuſpecta ſemper, ipſo loci ſitu ſe ſe tueri conabantur.

Ex his, quæ de coloniæ ſitu diximus, conjicies, nos ſæpe, diuque aquæ dulcis penuria iſtic laboraſſe. Poſtquam biennalis Cœli ſiccitas, & lacus, & fluvios mediocres exhauſit, in eas ſane anguſtias redacti ſumus, ut ex ſtagni unius reliquiis, ubi et bipedum, & quadrupedum genus omne potabat quotidie, nobis petenda eſſet aliquamdiu.

Hæc

Hæc juri ſpiſſo ſimilior, cum limi plus, quam liquoris haberet, non niſi diligenter percolata bibi poterat; Quantumque ejus humor aridis ſiti faucibus, blandiebatur, tantum fœtor nares territabat. Ecquid enim aqua putida, rancida, hirudinibus, bufonibusque innumeris ſcatens, quadrupedum pedibus, ac excrementis identidem conſpurcata balſamum oleat, vel Crocum? Neque aliud tamen ſitis remedium in promptu fuit. Puteus cubitos quatuordecim altus, improbo, ſed irrito labore cavatus aquam ſalſam reddidit. Ingens Parana vix binas ab oppido leucas diſtabat. Qua Chacum reſpicit, ripa humili ubique eſt, & paluſtri, arundinibus præterea, arborumque denſis ordinibus veluti ſepimento quodam, vallatur, unde ſeu pediti, ſeu equiti perquam arduus acceſſus. Culicum ad hæc mordaciſſimorum examinibus aer, ſolum omne anguibus teterrimis ſcatet, tigridibusque. Atque hæc ratio eſt, cur ipſi ripæ admoveri colonia non poſſit. Alluvionum, quæ bis quot annis redeunt, tempore cum altis litoribus non coerceatur flumen, ad unam, ad duas ſæpe leucas ſe ſe effundit. Adverſum Paranæ litus, quod Hiſpanorum occupant Coloniæ, ſaxis, collibusque paſſim attollitur quidem, alluvione tamen præter morem invaleſcente, periculo haud vacat, quod Correntina civitas ſæpius experta. Hæc de ſitu illius coloniæ, de qua mihi ſermo. Nunc cætera perſequamur.

Rebus in urbe Sanctæ Fidei compoſitis ipſe Collegii Rector Didacus Horbegozo dierum aliquot moleſto itinere eques Abiponum, in fluvii Ychimaye litoribus, ſtativa adiit, tum ut gentis univerſæ ſibi devinciret voluntates, tum ut ſitus, ubi collocandum oppidum, opportunitates circumſpe-

cta-

ctaret. De Abiponum propoſito certus jam in urbem redux ſacram pro Sacerdotibus ſupellectilem, agriculturæ, fabricæque domorum inſtrumenta, & quod rei caput, neceſſaria ad Indorum ſuſtentationem pecora Hiſpanos inter conquiſivit, ſine quibus nec inchoari illa colonia poſſet, neque conſervari. At enim, qui ad avertendos a ſuo jugulo Abiponum cultros, pacis deſiderio aureos promiſere montes, in promiſſis implendis parci admodum, ac ſegnes fuerunt, maxime Cordubenſes. Nec mirum, cum verba dare, quam res, ſit utique facilius. Indos non erudiendi modo, ſed & alendi ſollicitudo, ut ſæpe alias, in ſolos Patres recidit, quibus cum rerum neceſſariarum inopia perpetuo erat conflictandum. Quidquid enim ſubſidii e Regio ſubinde ærario impetratum precibus, neceſſitates coloniæ, Barbarorumque expectationem æquavit nunquam. Bini ſocii noſtri procurando oppido deſignati: Joſephus Cardiel Caſtellanus intrepidi vir pectoris, & variarum jam gentium Apoſtolus. Franciſcus Navalon itidem Caſtellanus mitiſſimi ingenii, & œconomicis maxime curis idoneus illi ſocius datus, per 20 admodum annos de hoc oppido optime meritus.

Anno 1748 Regius demum Sanctæ Fidei Progubernator cum binis Patribus, militumque turma ad locum, coloniæ deſtinatum, profectus eſt. Sacra ædicula, tuguriolum pro Patribus, alterum item pro Caziquio Principe Neruigini e ligno, ac limo militum manu obiter conſtructa, ſiccoque gramine tecta fuere. Denſo imbre ingruente plus in Patrum cubiculo, quam in campo pluiſſe videbatur. Talis erat domus fabrica, ut vinearum, vel pecorum cuſtos Europæus illi neutiquam ac-

quiesceret. Portæ tam humiles fuerant ut decennem puerum, ni caput deprimeret, haud caperent. Abipones eodem jam loco collecti storeis suis porro pro tentoriis utebantur, dum denique annorum aliquot institutione perpoliti & sacris usibus, & Patribus, & sibi ædes aliquantulum honestiores condidissent. At vero quantum hæc languisset fabrica, ni ipsi quoque Patres manus suas, consiliumque operi admovissent strenue architecti simul, simul fabri, & adjutores. Domus nostræ area sudibus cincta, ut adversus Barbarorum hostium incursiones præsidio esset, haberetque imbellis sexus, quo se, suasque proles reciperet, viris interea foris dimicantibus. Abipones Riikahes, qui Neruigini, & Ychoalay præcipuis ductoribus parebant, hanc primum constituere coloniam, vix trecentis capitibus definitam. Naarè, & Kachirikin Caziquii cum suis Yaaukanigis sat numerosis hic quoque subsistere, dum illis correntini oppidum sancti Ferdinandi condidissent. Aliquot post menses Lichinrain, dein Ychilimin, & Kebachichi sua cum turma recenti se coloniæ adjunxerunt, mox alii, aliique confluxerunt. Plurimos non religionis studium, sed novitatis attrahebat. Non paucis munusculorum spes, carnis bubulæ, quæ in dies gratis porrigebatur singulis, desiderium, & securitas pro magnete, ac hamo fuit. Pasci a Patribus, vestirique cupiebant plerique, non doceri, quod Barbaris, dum primum comparent, solenne universis. Sancti Hieronymi oppidum in 28 gradu 50 minuto latitudinis. 317 gradu 40 minuto longitudinis situm affirmant, qui observarunt.

Patri Josepho Cardiel antistitum arbitrio ad Mocobios translato Pater Josephus Brigniel suffectus,

ctus eſt, ex Auſtriaca tunc Societatis noſtræ Provincia, Patre Gallo, matre Carintha Clagenfurti natus, muſices, matheſeosque inſigniter peritus, præter latinam, germanicamque linqnam Gallicæ, Italicæ, Hiſpanicæ, & Quaranicæ perfecte gnarus; Quaranicis, enim in oppidis annos undecim verſatus Correntino etiam Collegio quadriennium præfuit Rector. Sedulitatem, comitatemque ſingularem, quam pari morum ſanctitate condiebat ſemper, in illo ſuſpexi, ejus per biennium in ſancti Hieronymi oppido ſocius, ac in lingua Abiponica diſcipulus. Ad Abiponum ingenium natus is, factusque videbatur. Abhorrent illi a Catonibus, altumque fugiunt ſupercilium. Facilitate capiuntur maxime. Quantum in Abiponicæ linquæ notionibus inveſtigandis, conſcribendo vocabulario locupletiſſimo, Grammatica, Catechismo, Concionibus &c. laboraverit, jam alias dixi. Quantum omnes Paraquariæ urbes illi debeant, nunc accipe. Quo pacis ab Abiponibus urbi Sanctæ Fidei conceſſæ beneficium omni Paraquariæ commune eſſet, nationis univerſæ optimates Caziquii ad ſancti Hieronymi oppidum, veluti ad comitia, ut evocarentur, impetravit. Enimvero adfuere Debayakaikin princeps omnium, Kaapetraikin, Kebachin, Alaykin, Malakin, Ypirikin, Oaaikin, oaherkaikin, omnes Nakaiketergehe Caciquii. Naarè, Kachirikin, oabari Yaaukanigæ. Caziquii ſinguli lectam ſuorum equitum catervam, terribiles viſu formas, ſuo in Comitatu habuerunt. Riikahes Caziquii Ychamenraikin, Ychoalay, Lichinrain, Kebachichi, in ipſo, ubi comitia celebrabantur, ſancti Hieronymi oppido degebant. Num pax, quam omnes Hiſpani optima fide obtulerunt, acceptanda? Num pax Hiſpanis promiſcue omnibus ab univerſa Abiponum

natione concedenda eſſet? id in barbaro illo cœtu deliberationis erat argumentum. Ingens animorum, opinionumque diſſenſio primum notabatur. In amicitiam Sanctafidenſibus, Cordubenſibus, Jacobopolitanis, non item Correntinis, ac Paraquais indulgendam multorum ſententiæ propendere. Negabant equidem univerſalem, quæ Hiſpanos omnes complectatur, pacem rebus ſuis expedire. Hac ceſſatione, ajebant, armorum uſus, militaris gloriæ avitum decus apud nos lanquebit. Innati adoleſcentum noſtrorum animis ad dimicationes igniculi otio refrigeſcent. Indorum peditum inſtar effœminati ſub jugum mittemur ab Hiſpanis, ut primum formidabiles illis eſſe deſierimus. Id nobis curandum eſt maximopere, ut timeri ab omnibus, neminem timere debeamus. Cum una ſaltem Hiſpanorum provincia bellum nobis neceſſarium videtur, ut prædandi ea, quibus ad quotidianos uſus indiguerimus, opportunitas noſtris hominibus relinquatur. Plura ab Hiſpanis inimici, quam amici obtinebimus. Fomidari ab illis præſtat, quam amari, & quis noſtrum amorem ſimultatibus, ac vindictæ ſtudio vacuum ſibi polliceatur, ſi in memoriam revocaverit, quam pertinaciter, quam acriter tot annos omnem hanc provinciam inſectati ſimus? victi raro victores amant. Libertate, quam veritate majori dicta hæc ſecundis admurmurationibus probarunt plerique omnes, eam in ſententiam præcipites: ut aliqua Hiſpanorum territoria communi pace excluderentur, ne belli theatrum, prædandi occaſio, armorumque exercitatio ſibi omnino deeſſet. Videntur mihi Barbari cum priſcis Romanis ſenſiſſe, qui Carthaginem in Africa nolebant deletam, ne hoſtis, a quo militum ſuorum virtus exerceretur, impoſterum deeſſet.

Ychoa-

Ychoalay contra cæteris & ſagacior, & facundior contentione, qua potuit, maxima pacem ad omnes omnino Hiſpanorum urbes extendendam, ſvaſit. Amicitiam, ait, quam nobis Hiſpani univerſi offerunt, univerſis non concedendam modo, ſed et beneficii inſtar ambabus manibus amplectendam, affirmo. Argumenta, quæ pro neganda quibusdam pace attuliſtis, futilia magis, quam utilia mihi videbantur. ut ne militares noſtrorum hominum ſpiritus flacceſcant otio, neu arma veſtra rubiginem contrahant, timetis? Ecquid tigrides, leones, urſi formicarii, cervi, dorcades, ſtruthiones, pennigeri, ſquamigerique greges usquam vobis deſunt, adverſus quos haſtas, & quidquid telorum eſt, vibretis? ſi tantus vobis dimicandi ardor, contra Yapitalákas, Oaékakalót, Ychibachí, Ra̋regra̋n-ra̋ika, Petegméka, aliosque nobis ut infenſos populos arma, irasque convertite. Si tanta confligendi lubido, occaſio ad manum eſt quotidie. Usque adeone priorum victoriarum recordatio, futurarum demens fiducia animos inflat, titillatque veſtros, univerſos Hiſpanos amicos ut dedignemini? His illatas a nobis clades equidem memini. Sed acceptarum ab iisdem cladium, utut velitis, obliviſci unquam num poteritis? Res jam ſecundæ, jam adverſæ ſatis, ſuperque nos erudierunt, ut ancipiti, volubilique belli fortunæ nos porro haud credamus. Ego quidem meliorem, tutioremque nobis certam cum Hiſpanis omnibus pacem, quàm incertas, quas de illis ſperatis, victorias ſemper exiſtmavi? Quam volupe erit nobis in utramque aurem dormire, poſito Hiſpanorum metu, poſſe dein, quibus propinquantibus quot olim noctes inſomnes egimus! quot dierum inediam toleravimus! quot paludes, ac flumina fugitivi tranamus, ut latebras,

 qui-

quibus vitam tueremur, denique remotis in ſylvis inveniremus. Ah pudet, pigetqne illarum trepidationum meminiſſe! At enim prædarum ſpes a pacis univerſalis ſponſione vos retrahit etiamnum? Enimvero metuo, ne bello dein proterve a nobis continuato Hiſpanorum præda ipſi ſimus perinde, ut Kalchakies nobis quondam & multo numeroſiores, &, pace veſtra dicam, bellicoſiores fuere; Ex frequentiſſima natione adeo paucos hodie ſupereſſe videtis, digitis numerari ut queant. Iſtorum exemplo tempeſtive ſapiamus, ne idem nos fatum opprimat aliquando. Noſtra omnium intereſt talia non providere tantum, ſed et cavere. Videte iterum irerumque, ne ſi nunc Hiſpanorum omnium amicitiam recuſaveritis, illorum inimicitiam nationi noſtræ exitialem fuiſſe ſero doleatis. Neque Hiſpanorum metu ſed veſtri amore hæc abs me dicta, exiſtimetis. Nemo unus ignavum me dixerit, meticuloſum nemo. Multis abhinc annis eum me fuiſſe, noſtis, qui nec Hiſpanorum cervicibus, neqne meo ſanguini unquam pepercerim, ſeu ducis, ſeu commilitonis veſtri officio perfunctus.

Hunc fere in modum affatus Barbarorum Cœtum Ychoalay cum contumacioribus pacem univerſalem nondum perſuaſiſſet, hæc adjecit: Vana ſurdis auribus videor hactenus ceciniſſe. Si ratio vos non convincit, ſi belli pericula non terrent, ſi pacis dulcedo non allicit, at commiſeratio animos emolliat veſtros. En! Abiponum, Mocobiorumque greges Hiſpanorum captivi in miſera ſervitute vitam vivunt quavis morte acerbiorem. Proles a matrum ſinu, conjuges a maritorum amplexibus avulſæ ad nos redibunt nunquam, ni nos cum Hiſpanis omnibus in gratiam redierimus. Tot ſanguinis propin-

qui-

quitate, & antiquis fœderibus nobis conjuncti, patria extorres, per miseros civitatum, prædiorumque angulos sparsi, alienis imperiis mancipati, laboribus oppressi lugent, & mœrore conficiuntur. Tot miserorum libertas in vestra manu est, & pacis universalis pollicitatione emi vel hodie potest. Iterum, iterumque vobiscum dispiciatis, amabo: Præstetne irasci vos porro hostibus, an amicorum misereri, eorumque lacrymas abstergere? Animi fortitudinem, quam armis probastis semper alias, nunc pacis acceleratione reddetis illustriorem. Tanti apud Barbaros ponderis fuit ea Ychoalay oratio, ut mitigatis repente animis oratoris consilio ad unum omnes acquiescerent. Pax sancita cum universis, quæ in Paraquaria sunt, Christianorum coloniis, Josepho Brigniel Hispanæ nationis personam egregie sustinente, causamque agente pro viribus. Ex animi prorsus sententia, fideque integerrima amicitiam Hispanis promisisse Abipones vel inde colligas, quod Caziquiis singulis singula Hispanorum territoria sint commissa, ut vigilarent scilicet, ne quis Abiponum Hispanorum cuipiam vim porro, damnumve inferret. Debayakaikin custos designatus urbis Assumptionis; Kebachichi Correntinæ; Alaykin sancti Jacobi; Ychamenraikin Sanctæ Fidei; Ychoalay Cordubæ. Unicuique horum datum negotium creditæ sibi provinciæ incolumitatem, securitatemque adversus suos tueri eum fere in modum, quo olim in nostra Germania Marchiones ab Imperatoribus constituti patriorum limitum defensores.

Pactis adjecta hæc conditio, ut Abiponibus, Mocobiisque apud Hispanos captivis redeundi ad suos libertas gratuita concederetur. Christianis quoque Abiponum captivis, persoluto tamen libertatis

pretio, integrum ut eſſet, quoquo lubuerit, abire. Et vero Cordubam, ad urbes Aſſumptionis, & Correntinam, copioſi redivere, enſe, veſtibus laneis, frenis, petaſis, globulis vitreis redempti. Non pauci captivorum Hiſpani, Æthiopes, Quaranii longo uſu adeo Abiponibus conſueverant, ut libertatis, qua apud iſtos vel in ſervitute potiebantur, jacturam veriti ad patrium regredi ſolum neutiquam vellent. In ſolo ſancti Hieronymi oppido ſeptem ſupra quadraginta utriusque ſexus remanſere captivi Spontanei, ſed nempe ipſis plerique Barbaris intolerabiliores, novarum coloniarum peſtes, religionis impedimenta, Patrum flagella, flagitiorum, fraudumque architecti, verbo tales, ut, præter Baptismum, quo in Patria tincti ſunt infantes, nihil Chriſtiani moris retinuerint. Ipſi heri Barbari iſtorum plures in malam crucem ut abirent, peroptabant ſæpe, quippe quos adeo furaces, immorigeros, e flagitiis compactos, verecundiæ plus, quam credi poſſit, expertes toto animo execrabantur. Idem de Abiponibus, qui ex Hiſpanorum terris rediere, captivis fas eſſet lamentari. Didicere apud Chriſtianos Scelera, quorum ne nomen quidem inter Barbaros audierant. Complures tamen ſeu Abipones, ſeu Mocobii Romanis ſacris initiati apud Hiſpanos, morumque humanitate a pueris imbuti, ut patriam reviſerent terram, nullis poterant precibus induci. Novi ejusmodi aliquot, qui, mechanicas docti artes, ſorte ſua contenti magna cum probitatis laude in urbibus verſabantur.

Comitiorum tempore quo de pace agebatur, conſultatumne fuerit, an compotatum frequentius, ſtatuere vix auſim. Neque enim aut perſpicaces ſatis in deliberando ſe autumant Abipones, nec in exe-

exequendis, quæ propoſuerint, firmos, ſi pocula abeſſent; Ex his namque & conſiliorum promptitudinem, & linquæ facundiam, & alacritatem animi haurire ſibi videntur. Pacis hoc in cœtu ſancitæ nuncius eo jucundior fuit Hiſpanis, quo minus expectatus. Totam ſubito revixiſſe provinciam vidiſſes, & publicis lætitiis geſtire, ut navigantes ſolent, dum procella diutina jactati portum attigere. Verum breve hoc Hiſpanorum, fluxumque gaudium fuit. Quamvis enim Abiponum natio cætera pactis religioſiſſime ſtaret, paucis poſt menſibus datæ fidei immemores pauculi hoſtilia patrarunt. Oaherkaikin cum ſuorum aliquot Aſſumptionis territorium cædibus, ac rapinis vexavit. Caziquiis cæteris eius excurſionem vel ignorantibus vel conniventibus unus Ychoálay perfidiam hominis indignatus non modo injuriam Hiſpanis illatam ſed & labem Abiponenſi nomini aſperſam acerrime ſibi vindicandam putavit. Perpaucos Oaherkaikino commilitones eſſe, ac contubernales, noverat. Hinc irarum, & ſpei plenus ad illum compeſcendum cum exigua ſuorum manu iter ingreditur. At enim jamjam conflicturus, quotquot Debayakaikin contubernales numeraverat, Oaherkaikino ſuppetias veniſſe ſpectat. Receptui canere haud decuit. Tentatur belli alea. Pauciſſimi Riikahes cum plurimis Nakaiketergehes acerrime dimicant aliquamdiu, quamvis clamoris plus, & buccinarum, quam ſanguinis fuerit. Jactura intra duos utrinque cæſos, & ſaucios aliquot ſtetit. Parum tamen abfuit, quin Ychoálay, ni denique cum ſuis in fugam ſe daret, a fremebunda multitudine opprimeretur. Vitæ ſuæ conſulturus haſta, quod ſummum apud ipſos probrum, amiſſa acie exceſſerat, quod binis item ſociis evenit. Haſtæ tres, ut apud Europæos

ſigna hoſti erepta, trophæorum inſtar Oaherkaikini victoriam ornarunt. Riikahes ad hæc equos plerosque, quos pedites de more pugnaturi a tergo reliquerant, hoſti ceſſere. Internecionis periculo urgente ad fugam accelerandam bini, ternive eundem in equum inſilierunt propterea, inermes alii, alii, quod veſtes amiſerint, nudi, omnes inglorii maxima, qua poterant, celeritate ad ſancti Hieronymi coloniam refugerunt. Adeo cauſæ juſtiſſimæ defuit fortuna. Fuerunt, qui Ychoalay vices dolerent, multi; Qui projectæ ejus audaciæ inſultarent, plurimi. Atque hæc quantulacunque expeditio belli origo exſtitit, quod ultra viginti annos Riikahes inter & Nakaiketergehès varia fortuna productum recentes quatuor Abiponum colonias, primam maxime ſancti Hieronymi graviſſime afflixit, perturbavitque. Strictim attingam præcipua. Nam ſi ſingulas belli hujus viciſſitudines ordine deſcribendas ſuſciperem, vaſtum mihi volumen exiret, plusque atramenti conſumerem, quam ſanguinis toto bello ſit fuſum. Nunc Ychoálay, & Oaherkaikini, qui authores belli fuerant, imaginem juvat exhibere.



CA-

CAPUT XIV.

De Ychoálay, & Oaherkaikin, belli authoribus, memorabiliora.

Risum comprime, si Abiponense hoc bellum Trojano præferendum dixero. Hoc cruentum magis. Illud majori cum strepitu ac pertinacia gestum. Helenæ venustas Græcos cum Troibus commisit; Abipones cum Abiponibus militaris gloria. Alter alteri fortitudine cedere noluit, alter ab altero nunquam potuit superari. Hinc litigatum tamdiu, nihil tamen post illatas, acceptasque strages decisum. Decennali obsidione capta a Græcis Pergama, postquam illorum octingenta sex millia, Troum sexcenta septuaginta sex millia occubuere, nisi fabulam putes, quod pro historia nobis Græci obtruserunt, de fide semper suspecti. Sancti Hieronymi colonia duobus decenniis oppugnatur, necdum expugnatur. Nos certe, dum in America adhuc egimus, belli finem, quem optavimus dudum, non vidimus. Duo ut belli authores, sic belli fulmina Ychoálay, & Oaherkaikin exstitere, si, pace tua, in parvis uti exemplis grandibus mihi liceat, illum Hectorem patriæ defensorem; Hunc Achillem fuisse dicam, Græcæ per omnia fidei, ac vulnerum contemptorem. Neuter horum Caziquii nomen sibi arrogavit, quamvis uterque, perinde ut Caziquius quisque, Contubernales habuerit suos, qui eos magnanimitate, factisque militaribus inclytos ad hostiles expeditiones sequerentur. Abiponum

Caziquii, quod alias dixi, ſimul hæreditario jure, ſimul populi, merita, virtutesque eorum ponderantis, ſuffragiis fiunt, & Nelareykatè Capitanei appellantur. Alii, quamvis obſcuro genere prognati, virtute militari, & expeditionum felicitate id obtinent, ut aliorum ductores ſint, ac *Yápochi* ſtrenui dicantur. Ad hanc claſſem Ychoalay, & Oaherkaikin pertinebant. En! aliqua iſtius lineamenta!

Oaherkaikin Nakaiketergche, Debayakaykini Caziquii primarii contubernalis, & aliorum ſubinde ductor, mediocri proceritate fuit, macer, firmis oſſibus, facie lurida, ore tetrico, refugientibus introrſum, minutisque oculis, colore ad fuſcum accedente, crinibus curtis, & monachi ritu per intervalla attonſis, per artus omnes luculentis cicatricibus obſitus, auribus, quibus e cornu bubulo nodulos ceu inaures inſeruit, pertuſis, ſemper minanti, contemplantique ſimilis, poculorum multorum amans, verborum parciſſimus, incredibili in aſſeclas ſuos facilitate, implacabili in Hiſpanos odio, ſemper, etſi minetur nihil, metuendus, in haſtæ, telorumque uſu, in equitandi, natandique artibus ad ſtuporem verſatus, ſuperſtitionis Barbaræ tenaciſſimus, etſi ſpoliis ſæpe dives, veſtis elegantioris ſemper contemptor, lutrarum pellibus plerumque tectus, animo, ſi quisquam alter intrepido, & ad quidvis audendum projecto, promiſſorum negligens, mendax, & verſipellis, atque nomine ſuo, quod mendacem ſignificat, Oaherkaikin digniſſimus. Quam callidus in hoſte eludendo, repellendoque, tam protervus alias in laceſſendo fuit. Progubernatorem Correntinum Nicolaum Patrón, virum cætera animoſum cum centum quinquaginta equitibus ſuis hoſtili animo

ſta-

ftationi fuæ imminere e fpeculatoribus cognoverat. Non paffus eft fe quæri ab Hifpanis. Ipfe relictis domi cum fobole matribus cum una fuorum decuria illis it obviam. Thorace militari, atrato ad terrorem vultu, fagittis, haftaque formidandus fida fe in ftatione pedes locat, ubi fylvam a tergo, a fronte amnem vadi expertem habuit. Adventantem Progubernatorem per captivum interpretem monet: fi confligendi animus illi effet, fe quidem hoc propofito adftare pugnæ avidiffimum. Hifpanorum minas fibi femper rifui, nunquam terrori fuiffe. Percul fus Barbari confpectu Progubernator, & contumeliofa provocatione irritatus: Impudentiorem audaciam ecquis mortalium viderit unquam? exclamat milites circumfpiciens. Agite, funibus, ut foletis, hanc mihi illaqueate beftiam. Obriguere ad hoc imperium & animi, & manus militum. Domine, repofuit Protribunus quispiam, cui Añafco nomen: Si tanta tibi capiendi hujus Barbari lubido, tute, per nos licet, fortunam experiare tuam; Noftrum equidem nemini aut lubet, aut vacat per jocum vitam prodigere fuam. Cum amnis trajectus, Barbaris adverfæ ripæ incumbentibus, periculi effet pleniffimus, de reditu, qui fugæ fimilior, cogitatum illico, nihilque tentatum in hoftes præterea. Progubernator, ne irrita excurfio in ora hominum pro ludibrio abiret, fibique timiditatis maculam afpergeret, Barbarorum fe cædibus abftinuiffe, dixit ad urbem redux, ne pax ab Abiponibus data turbaretur. At, fi pacis confervatio tantum illi cordi erat, cur excurfione illa non abftinuit? Terrere fcilicet Oaherkaikin fancti Ferdinandi coloniæ perniciofum, volebat. Sed tantum abfuit, ut illum terreret, ut is etiam Correntinos domum properantes eminus infequeretur, & eadem

nocte

nocte equorum gregem ex ſancti Ferdinandi colonia, Correntinæ ditioni obnoxia, raperet. Hiſpani hanc injuriam ſibi illatam jure putaverunt quidem, ſed, ne Crabrones irritarent denuo, taciti concoxerunt. Faſſus mihi ingenue eſt militaris Præfectus, qui celebri excurſioni interfuit: Equis, armis, quidſi & animis miſerrime ſe fuiſſe tunc inſtructos, & ſi Barbaro lubuiſſet occaſione uti, ſeſe omnes nullo negotio deleri potuiſſe. Plura de eodem Oaherkaikin, in hiſtoriæ meæ decurſu dicenda, omitto. De Ychoalay paulo majora jam audi.

Præter nomen omnia Caziquii habuit. Nam & honeſtiſſimo apud Riikahes loco natus ipſum Debayakaikin propinqua cognatione attingebat. Ab hoc jam ætate provecto is puer adhuc equo pumilioni inſidere, moderarique doctus fuit. Sed mox audies, magiſtrum a diſcipulo cognato multis poſt annis in acie jugulatum. Proceritate fuit eximia, facie oblonga, naſo aquilino, robore quibusque militiæ oneribus pari, eaque, quid quid ſpectes, corporis conformatione, quæ virum militarem exprimat, ac commendet. Fors Riikahes olim cum Sanctafeſinis inducias pacti ſunt, harum fiducia Ychoalay adoleſcens eam adiit urbem, & mercede conductus Hiſpanis operam navavit ſuam jam equorum domitor, jam cuſtos prædiorum. Demum heri ſui Joſephi Benavides nomen ſumpſit, quo nomine dein aliquot poſt annos Abiponum ductor, Hiſpanorumque hoſtis & noſcebatur, & paſſim timebatur, quamvis apud ſuos puer Oahári, mox adultior Ychoalay vocaretur. Quam alienus ſemper a Chriſtianorum ſacris, tam avidus linguæ Hiſpanicæ fuit, quam ut condiſceret certius, ex

urbe

urbe Sanctæ Fidei ad Chilenſe regnum abiit, quo Hiſpanus multis cum plauſtris redibat. Iſti ſe addixit aurigam primum in itinere, dein in urbe Mendoza vinearum cultorem. Urbs hæc Cis alpes Chinenſes ſita, uvarumque eſt feraciſſima. Etiam Hiſpanorum famulus, qua ſit origine natus, usque memor militem ubique ſe præſtitit, nunquam in campo ſine haſta viſus, & ſupra cæterum vulgus animoſus. Hinc, dum ejus ſocii in Paraquariæ ſolitudinibus per Charruas, ſeu Pampas Barbaros ſpoliarentur, cæderenturve, Ychoalay vim vi repellens ſemper ſuperſtes fuit. Aliquot poſt annis Mendoza ad Sanctæ Fidei urbem redux, quod Chilenſis herus pactam mercedem ſibi pendere tergiverſabatur, in Hiſpanos ſtomachari cæpit. Ira in rabiem converſa eſt, dum a ſocio Hiſpano Cordubenſi vitæ ſuæ (cauſam neſcio) inſidias ſtrui ex Sanctafidenſi quopiam intellexit. Fortunam ſuam, & Hiſpanorum ſocietatem pertæſus Abiponibus ſe reddit ſuis, qui id temporis Cordubenſem agrum quotidianis fatigabant incurſionibus. Acerbiſſimo cum eſſet in Hiſpanos animo, ſuis ſe, quoquo latrocinatum irent, popularibus ſocium adjunxit, remque præclare geſſit. Hinc paulo poſt e Commilitone ductor cæterorum evaſit. Ut erat ingenio callidus, manuque promptus, quidquid in Hiſpanorum perniciem excogitaverat, fortitudine incredibili, pari fortuna ſemper eſt executus. Omnium periculorum, victoriarumque particeps, & cladium, quas Hiſpanis illatas memoravi, pars magna fuit. Repetitis eadem felicitate expeditionibus eam nactus eſt nominis celebritatem, ut, quantum a ſuis ſuſpiciebatur, tantum ab exteris formidaretur. Eam ob rem magni ad eum fiebant Abiponum concurſus. Habitare cum illo, ſub

ſnb illo militare, unum omnium erat votum. Bini certe Caziquii Narè, & Kachirikin cum tota Yaaukanigarum ſuorum gente non Contubernales modo illius, ſed & Commilitones aliquamdiu exſtitere; Hoc duce non ad pugnam, ſed ad victoriam ituri ſibi videbantur omnes, & cum opimis ſpoliis redituri.

Illud ſingulare, quod, quamvis in cæteras Hiſpanorum colonias ſæviret diu, Sanctafidenſibus colonis tamen uſque pepercerit, quod a ſacrorum Deo hominum cæde & ſe, & ſuos religioſe abſtinuerit etiam. Jamjam eius ſocii in quemdam e ſeraphico cœtu virum arma ſtrinxerant, ſed a ſuperveniente Ychoalay prohibiti fuerunt; Ecquid, ajebat, vos non pudeat haſtas eorum ſanguine tingere, qui nec Hiſpanorum milites unquam, neque Abiponum hoſtes exſtitere, quique præter funem nulla circumferunt arma? Alias ſocietatis noſtræ ſacerdotem e ſuorum manibus in campo eripuit. Sinite, exclamavit, huiusmodi impune viam proſequi. Iſti equidem, vel me teſte, innoxii ſunt. Fœminas præſtigiatrices, quæ divinandi, medendi, nocendique corporibus ſcientiam ſibi arrogant, nunquam ſuo toleravit in contubernio, & ni protinus alio commigraſſent, ipſemet haſta confixit, ne fraudibus circumvenirent ſuos, vel funeſtis auguriis perturbarent. Veriſſima mihi ſemper viſa eſt Patris Joannis Franciſci Aguilar, octoginta annos nati, ſententia, qui totidem eſſe Ychoalay virtutes, quot vitia, identidem affirmare ſolebat. Nobis certe, qui diu, multumque cum illo verſati ſumus, plurima in illo obſervare licuit, quæ commendari, plurima item, quæ reprehendi mereantur. Perſtringam aliqua. Immodicus ſui æſtimator alios populares ſu-

os

os a magnanimitate celebrari nunquam ſine ſlomacho audivit. Supra cæteros ſibi ſapiens, ſententiæque tenaciſſimus a propoſito ſe averti ægre patiebatur. Ingenio, ſi quis alius, inquieto, ac turbido nova identidem agitabat conſilia de Oaherkaikin, aliisque æmulis circumveniendis, ac bello opprimendis, non emolumentorum ulla ſpe ductus, ſed celebritatis, quam iſti nacti ſunt, penitus exſtinguendæ deſiderio. Hinc lites ex litibus ſerere, rixarum cauſas piſcari, novas contentiones excitare ſolitus. Atque ex hoc fonte novo oppido novæ itidem perturbationes affluxerant, per hoſtes otio frui nunqum ut liceret. Etſi facilis alias in omnes, placidusque, dum novas animo coquebat in adverſarium expeditiones, vel amiciſſimos quosque, ac ſibi ehariſſimos alloquio deſtituit ſuo. Tot inter pileos, petaſos, ac galeros, quibus pro arbitrio caput tegebat, galericulus illi laneus flavi coloris fuit, quo quoties utebatur, illum meditabundum, torvumque obſervavi, eiusque alloquio diligenter abſtinui. Joſephus Brigniel hanc meam obſervationem & riſit, & veriſſimam comperit adeo, ut flavum illum galericulum proximæ, quam animo volvebat Ychoalay, in hoſtes excurſionis prognoſticon joco diceremus, perinde, ut argentum vivum tubulo vitreo clauſum, quoties præcipitat, pluviæ vel procellæ indicem experimur.

Verum has, aliasque animi maculas luculentis virtutibus Ychoalay abſterſit. Illum pacis Abipones inter, ac Hiſpanos omnes conciliatæ inſtrumentum præcipuum, novæ ſancti Hieronymi coloniæ authorem, conſervatoremque fuiſſe, nemo noſtrum dubitavit. Initam cum Hiſpanis amicitiam religioſiſſime coluit ſemper, &, ne a quopiam Abiponum viola-

retur, diligenter cavit cum capitis ſui nonnunquam periculo. Quoscunque enim violatæ pacis reos intellexerat, in illos, ceu hoſtes ſuos, vi utendum, armisque putavit. En belli cum Abiponibus Nakaiketergehes diuturni argumentum! Plura equorum millia, quæ per annos complures prædonibus eripuit, ad Hiſpanorum ipſe colonias reduxit, dominisque reſtituit, quibus, quid pro præſtito ſibi officio mercedis depoſcere:, rogitantibus indignari ſolebat, ac dicere: Num igitur amicum me eſſe veſtrum ignoras? Mercenarium me ne putes, id unum abs te peto. Sæpe ingentes equorum greges, quos furto ſublatos haud citra periculum vindicaverat, ad ſanctæ fidei urbem, ad Cordubenſia, vel Jacobopolitana prædia, quæ centenis plures leucas a ſancti Hieronymi oppido diſtant, ipſe cum ſuis perduxit. Gratuitam ex tanto itinere defatigationem quis amici cauſa ſuſcipiet in noſtra Europa? Haud inficior equidem, Hiſpanos, ut ſunt natura grati in bene de ſe meritos, & inſigniter munifici, amicum ſuum Ychoalay, licet repugnantem, aliquando pecoribus remuneratos fuiſſe. Ardentiſſimo Hiſpanorum fortunas ſeu tuendi, ſeu recuperandi ſtudio Barbarorum, quotquot in Chaco verſantur, odia in ſe concitavit; Ipſi, quorum conſuetudine utebatur, Abipones illum, quippe Hiſpanorum amantiorem, veluti hoſtem ſuum execrabantur. Unde quotidiana ejus querela: Malum jam me mei putant, quia bonus ſum. Bonum me dixere olim, quia malus fui. Eum certe Hiſpanorum adhuc inſectatorem & turmatim ſecuti, & amore proſecuti ſunt omnes; Hoc enim duce plurimis olim ſpoliis, trophæis, captivisque ditabantur. Aliquando, dum contubernales ad campos colendos, ad hoſtes oppidi oppugnandos ab illo

invi-

invitati tergiverſarentur, vel equorum idoneorum penuriam obtenderent, videres mi Pater, mihi ait, quam alacri animo præeuntem me iſti ſequerentur, ſi ad Hiſpanos mactandos, ſpoliandosque illos invitarem. Nemo omnium profecto tecum in oppido remaneret, equorum penuriam cauſaretur nemo.

Factos in oppidi cultura progreſſus Ychoalay induſtriis, authoritatique ſecundum Deum tribuendos, fatemur. Ychamenraikin enim Caziquius princeps, etſi bello, ac genere clarus ob placidam indolem perinde charus eſſet ſuis, nihil admodum ad ſtabiliendam coloniam momenti habuit. Omnibus præfuit, profuit nemini, magiſtratus umbra, poteſtatis inane ſimulacrum. Homo & ebrioſus, & mulieroſus, polygamiæ, & cojugum repudiationi aſſuetus. Nemo avidius illo, nemo pertinacius compotationes frequentabat. Quamvis cæterum ſingulari illum benevolentia complecterentur omnes vel eo nomine, quod in contubernalium vitiis omnino conniveret, temulentus tamen a temulentis vapulavit non raro. Nullo apud illum loco fuit diſciplinæ chriſtianæ ſtudium; Nec ipſe ad publicas in religione inſtitutiones acceſſit, neque ut alii accederent, procuravit. Illo ſuperſtite nemo, niſi jamjam moriturus, ſacro ſe expiari fonte eſt paſſus; Illo extincto nemo recuſavit. Id quod profecto Ychoalay opera impetratum. Hic quidem, etſi ſumma cum poteſtate cæteris incolis non præeſſet, conſilio tamen, authoritateque res oppidi omnes moderabatur. Ad religionis elementa perdiſcenda, ut confluerent in templum, aliis author fuit, ipſus tamen intereſſe aliquamdiu tergiverſabatur. Iterum, iterumque a Joſepho Brigniel de hoc admonitus: Sine me, Pater, reſpondit, de Oaherkaikin mactan-

do cogitare. Bellicis curis meum jam æſtuat caput. Confecta pace de religione differentem te audire, mihi vacabit demum. Repetitis varia fortuna adverſus Oaherhaikin excurſionibus inducias poſtquam pacti ſunt, promiſſi memoriam illi refricuit Brigniel, cui Ychoalay: ſepes pro ovium ſecuritate meo prius conſtruam in prædio. Reducem me inde diſcipulum ſacra in ſchola habebis tuum. Et vero fidem exſolvit. Paucos poſt dies templum ingreſſus Pater pueris immixtum Ychoalay, flexis genibus humi ſtratum attonitus videt, comprecantem, reſpondentemque audit. Nemo poſthac illo frequentior, modeſtior, docilior nemo ſacris in ædibus; Has illius exemplum piis auditoribus quotidie opplevit. Solennes chriſtianis preces, & quidquid ad religionis capita refertur, non memoria duntaxat fideliter complexus eſt, ſed & cum domeſticis ſuis ſub veſperem quotidie alta voce recitabat. Patri verba facienti in templo jam placido capitis annuentis ſigno, jam repentina exclamatione: *Kleerà* eſt certum. *Kevorkèn* utique, omnino. *Chik aKalagitran* haud dubito, aſſentiebatur, ut audita magnopere ſibi probari cæteris ſignificaret. Interpellare narrantem ejusmodi voculis, ejusque ſingulas affirmare ſententias illi Barbari obſervantiæ quoddam genus putant.

Ut vel ab anguibus icti, vel lethali morbo languentes ſalutaribus undis ablui, atque, ſi occubuerint, Romano ritu ſepeliri ſacro in loco poſſent, Patribus unus Ychoalay præſidio, adjumentoque fuit. Baptismum enim, quem ſibi mortiferum credunt plerique Barbari, ceu mortem ipſam perhorreſcunt, ſæpeque minis Sacerdoti intentatis recuſant. Templum quoque, communem iſtic ſepultu-

ræ

ræ locum, carceris inſtar reformidant, videnturque ſibi poſt homines natos infeliciſſimi, ſi ſibi patrio in tumulo, ſub dio, opacoque in nemore computreſcere non liceat. Fœminæ aviti moris tenaciores id curant maxime, ut proles, etſi baptismo jam luſtratas, ritu antiquo gentilitiis inferant ſepulchretis, ni patrum vigilantia, quam eludunt non raro, earum conatibus obſiſtat. Audierat forte Brigniel, infantulum, quem ſacro fonte jam a ſe expiatum novit, recens mortuum ad ſylveſtre ſepulchrum a fœminis deportari. Hac de re monitus Ychoalay in equum inſilit confeſtim, pernicique curſu in funebre præficarum plangentium agmen invectus raptum ex Harpyarum manibus puſionem Patri rite ſacra in æde ſepeliendum tradit, qui ſuperpellicea veſte indutus equitantem Ychoalay pedes per campum fuerat ſecutus. Neque facile ſit eorum inire numerum, qui baptismum, qui ſequlchri honores, cœlumque adeo ipſum Ychoalay induſtriis referant in acceptis. Illo hortante poſt Ychamenraikin pueri, puellæque omnes per baptismum Chriſto authorati fuere. Quod ut fieret curatius, non niſi viceni eodem die ad ſacrum fontem admittebantur. Volupe erat mihi videre, quam pronis voluntatibus adoleſcentuli verticem abluendum ſacerdoti porrigerent, nemine jam repugnante. Id profecto Ychoalay exemplo magis, quam hortatu effectum, qui proles ſuas, ut primum in lucem edebantur, baptismo luſtrandas, &, quæ morbo extinctæ, chriſtianorum more ſepeliendas Patri offerebat. Michaelem Hieronymum, qui ſolus ſuperſtes, non modo religionis rudimentis, ſed legendi, ſcribendique ſcientia imbuendum ſolertiſſime curavit. Nomen illi, Mocobiis alias uſitatum, Nakalotenkodi erat. Novam ad-

adverſus Oaherkaikin excurſionem ſtatuit, quam Brigniel impedire nec potuit, neque debuit, ut tamen pugnam, atque adeo mortis diſcrimen adituri Abipones ſoſpitalibus aquis prius abluerentur, iterum, iterumque ſvaſit, & vero perſvaſit plerisque, ad hoc jam idoneis. Ychoalay, etſi ipſe morem non gesſerit, quod hac in expeditione ſe nondum occubiturum vere quidem, ſed temere diceret, commilitonibus ſuis, Patri monenti ut parerent, author fuit. Miraberis, opinor, hominem, qui alienæ ſecuritati optime conſuluerit, ſuam neglexiſſe, cum, qui ſibi malus, vix alteri bonus eſſe, vulgo putetur.

Enimvero mirabamur omnes, bonum cætera Ychoalay tot annos baptisma diſtuliſſe, ad quod recipiendum præ cæteris dudum idoneus habebatur. Præter voluntatem nihil in illo deſideravimus. Alios complures, quod vel prædarum adhuc avidi, vel ebrioſi, vel uxorum multitudine, repudiationeve infames, vel religionis dogmatum ignari eſſent, vel certe, etſi iſta abeſſent, quod eorum conſtantia nondum ſatis explorata nobis videretur, a ſalutari illo lavacro excluſimus aliquamdiu, dum melioris frugis documenta dediſſent denique. His baptismatis obicibus dudum caruit Ychoalay. Una, dum apud nos egit, eademque conjuge annos complures contentus, compotationibus, niſi de bello conſultandum eſſet, interfuit nunquam, & ebrietatis & ebriorum hoſtis acerrimus; ut latrocinantium olim princeps, ſic vindex jam ſeveriſſimus latrociniorum, & omni ex parte multo abhinc tempore innoxius. Religionis ſcita, ut nomen ſuum, memoria tenebat. In agris, pecoribusque colendis aſſiduus nullum, qui vel ſibi, vel oppido conduceret, ſubterfu-

ſugit laborem. Hæc cum ita eſſent, dudum Romanis initiari ſacris poterat, & vero his initiari ſe velle aliquando identidem nobis aſſeverabat, ut primum tranquillato animo, rejectisque belli adverſus Oaherkaikin æmulum curis vacare ſibi omnino permitteretur. Reipſa, dum regius Progubernator Franciscus de vera Muxica in ſancti Hieronymi oppido coram adeſſet, ſacrum ſibi baptisma ultro popoſcit; Verum ab eodem, quod illam cerimoniam in ipſa ſanctæ fidei urbe magnifico cum apparatu ſuſcipiendam mallet, expectare tantillum jubebatur. Moras, repulſamque Progubernatoris ægre ferens non niſi aliquot poſt annos adduci potuit, ut a Patre Joſepho Lehman (qui annis pluribus in ſancti Hieronymi oppido multa cum laude verſatus eſt) dicta in urbe ſalutaribus aquis luſtrari ſe pateretur; Id quod eximia cum pompa, tantoque omnium ordinum concurſu peractum, ut multitudinem templum non caperet. Illuſtrem neophytum ipſe regius Progubernator ſacro e fonte ſuſcepit, lautiſſima menſa, muneribusque congruis eſt proſecutus. Geſtientibus ſane lætitia, lachrymantibusque oculis Ychoalay, tot factis celebrem agni mitiſſimi inſtar divinis jam altaribus adſtantem ſpectarunt Hiſpani, quem lupum olim rapacem omnis late Paraquaria formidavit.

CAPUT XV.

Plura in laudem Ychoalay.

Aliena ex ſententia ſuperius affirmavi: vitia totidem, quot virtutes, Ychoalay eſſe. Nunc prope ſum, ut vitia illius a virtutibus numero ſuperari, pronunciem. Libenter iſtius hominis laudibus paginas impleo, Barbarorum mentem non ſemper barbaram eſſe, ut plane perſpicias. Quam utilem religioni apud ſuos proferendæ operam nobis navarit Ychoalay, ex dictis liquet. Quantum oppidi, & qui illud procurabant, Patrum incolumitatem ſibi cordi ſumpſerit, ſupra fidem eſt. Injuriam quantulamcunque Patribus vel illatam a ſuis, vel intentatam ſuam duxit, quin acrius, quam ſuam, vindicavit. Tot inter temulentos, rixoſos, humanis cædibus a pueritia aſſuetos, ſuperſtitionum ad inſaniam uſque defenſores actum erat de Patrum vita, ni iſtius authoritas illis pro clypeo, Barbaris pro freno fuiſſet. Si quid exteris ab hoſtibus periculi impendère, noverat, vel concubia nocte, quo omnium ſecuritati conſuleretur, monuit confeſtim & Patres, & cæteros contubernales. Primus omnium eampo obequitare explorator, latebras quasvis excutere, & quoties vis vi propulſanda, ipſe aciei frontem occupare conſueverat, & ſoſpitibus ſæpe ſociis vulnera domum referre. Strages pleræque, quas oppidum ab hoſtibus acceperat, Ychoalay abſente fuerant illatæ.

Forte


Forte Conceptionis recens oppidum, ab illo ſancti Hieronymi decem leucas diſtans, Abipones incolæ de Hiſpanis ſiniſtre ſuſpicati uno die omnes deſeruerant repente, tribus duntaxat iſtic relictis, quibus datum fuit negotium, ut prima nocte binos Patres Joſephum Sanchez, & Laurentium Caſado Hiſpanos per inſidias jugularent. De Abiponum fuga, Patrumque periculo edoctus Ychoalay, cœlo quamvis pluvio, ſolus advolat, niſi equum, cui inſederat, ejus comitem dicamus. Ad Patrum periclitantium portam haſtam defigit ſuam, ſeque defenſorem offert. Primo crepuſculo inſidiantes tres ſicarios videt, terret, fugatque nunquam porro viſos. Domus, templique ſupellectilem plauſtro avehendam, bina circiter boum millia abigenda ad ſancti Hieronymi coloniam ſvadet, campum, ubi tuto paſcerentur, ſuo in prædiolo aſſignat. Iter moleſtiarum, periculique pleniſſimum. Continuatis per multos dies imbribus campus omnis in paludem transformatus, ac plauſtro impenetrabilis videbatur. Fluvius Malabrigo, aliaque ſtagna nimbis pertinacibus horrendum in modum intumuere, Verum Ychoalay conſilio, manibus, ac robore perrupta obſtacula omnia, omnia, quæ Pater Sanchez transportari volebat, in tuto feliciter collocata fuerunt, eluſis Abiponum transfugarum conatibus, qui, quidquid deſertum a ſe oppidum poſſederat, jam ſpe devorarunt. Ipſe Tucumanorum Gubernator regius Joannes Victorinus Martinez del Tineo honorificas, ad Ychoalay dedit literas, quibus integerrimam ejus in Patres fidem commendat, grates impenſe agit, navatamque in transportandis deſerti oppidi rebus præclare operam panno rubro elegantiſſimo, qui cuicunque nobili Hiſpano veſtiendo ſufficeret, remuneratur. Hoc panno oves ſibi comparavit, lanam

ſubinde præbituras, e qua veſtes, quibus Abipones utuntur, tapeti turcico ſimiles texendas ſibi pro arbitrio curaret. Patribus, ut rubro panno Hiſpanorum more ſe veſtiret, ſvadentibus repoſuit: Indus cum ſim, cur veſtitu Hiſpanum mentiar? Uſu ſubinde attritis rubris veſtibus vosne novas ſubſtituetis? Haud equidem id ſpero. Tum enimvero Abiponenſem reſumere veſtitum cogar, omnium riſu explodendus. Hiſpanum ſe, inquient mei populares, jactavit, hiſpanica dum durabat veſtis; Hac conſumpta ad noſtrum denuo redactus eſt habitum. Ex conſito a me, demeſſoque tritico nummos colligere mihi dum licuerit, Hiſpanorum me ritu induendum vobis polliceor. Et ſane, ſacris noſtris denique initiatus corporis, equique ſui cultu ut Hiſpanum honeſtiorem ſe geſſit poſthac. E ſolerti pecorum, agrique cultura nactus eſt, quantum ad ſe, ſuosque ornandos ſatis fuit. Annotavi iſta, ut œconomicas, politicasque rationes etiam Barbaris, ſi excolantur, probari, cognoſcas, Quam ex animo Patrum eſſet ſtudioſus Ychoalay, nunquam luculentius patuit ac, dum Ychamenraïkin Hiſpanorum faſtidio ex ſancti Hieronymi colonia, quam plures jam annos inſederat, cum ſuis contubernalibus exceſſit, rapto, ut olim, in campo victurus. Abiens nil ſibi prorſus querelæ adverſus Patres eſſe, candide aſſeveravit. Spes, metusve illi fugam ſvaſerit, etiamnum ignoratur. Credo, utrumque. Ychoalay cum aſſeclis ſuis propoſiti tenax tot Caziquiorum exemplo adduci haud potuit, ut a Patrum ſeu amore, ſeu ſocietate vel latum unguem recederet; quin eo conſilia, curasque omnes intendit, ut chriſtiani ex ſancti Xaverii oppido Mocobii, hiſpanique ex urbe ſanctæ fidei tum ad tuendum deſertum oppidum, tum ad Abipones ejus deſertores ſvaviter revocandos

confeſtim advolarent. Utrumqne velociter, feliciterque eſt conſecutus. Ychamenraikin equidem cum ſuis omnibus ad oppidum rediit.

Non Patrum ſaluti modo, ſed & utenſilibus domeſticis, ac oppidi pecoribus, ne quid detrimenti paterentur, anxia ſollicitudine invigilavit Ychoalay. Statis per hebdomadem diebus boves jam viginti, jam plures jugulabantur, quorum carnibus Abipones incolæ alerentur. Voraciores portione haud contenti ſua clanculum, ac pro arbitratu boves mactabant ſæpe, vitulos ſæpiſſime, ingenti prædii damno. Aliis in mentem venit oves oppidi jugulare non carnis, a qua abhorrent Barbari, ſed pellis deſiderio, quam ſtraguli inſtar ephippiis ſuis injicere conſueverunt. Quisquis iſtorum ab Ychoalay deprehenſus, ab eodem mulctatus eſt. Ad damnum reſarciendum pro bove occiſo equos duos, pro ove unum pendere jubebantur; Ni ultro ipſi adducerent, Ychoalay, qui hanc legem tulit publicoque vulgavit in foro, equos invitis rapuit. Mocobius Barbarus advena vaccam, quæ Ychoalay ipſius fuit, in campo occiderat, ratus, eam ex oppidi pecoribus eſſe. Abiponum aliquis ſuperveniens: heus tu, inquit Mocobio, Ychoalay vaccam mactare auſus es? Væ miſero tibi, ſi facinus tuum intellexerit! Nuncio, minisque attonitus Mocobius diſſectos jam, ut erant, vaccæ artus equo imponit ſuo, rectoque ad Ychoalay ædes curſu contendit. En! inquit, buculæ tuæ carnes, quam errore lapſus occideram, putans oppidi veſtri pecus eſſe. Siccine, iratiſſimus reponit Ychoalay, coloniæ noſtræ armentis impune vim inferri poſſe, excors putaſti? Enimvero excuſatio, qua facti malitiam levare niteris, culpam exaggerat tuam. Sed abi jam in malam crucem, cumque mactandæ,

ex-



excoriandæque bestiæ molestiam exhauseris, ejus devorandæ etiam laborem tibi sumito. Nec plura. Adeo in sibi noxios mitiorem se præbuit, noxas oppidi rebus illatas semper atrocius vindicavit.

Illud laudi jure dari potest Abiponibus, quod, etsi latrocinium adversus Hispanos, quos hostes putarunt suos, olim profiterentur, domi tamen contubernalibus suis quantulamcunque reculam clepere, nefas, sibique turpissimum duxerint. Tuta est domestica supellex, etsi absente etiam hero, omnium oculis, manibusque pateat, Eandem utensilium securitatem nostris in ædibus quoque annos plures experti sumus. Mantile tamen lineum in Patris cubiculo forte evanuit. Re comperta, ne furaces haberentur a nobis Abipones, furis investigandi nullum faciebat finem Ychoalay, dum denique in captivi cujusdam manibus linteum illud deprehendisset. Alias Patris Brigniel absentis cubiculum spoliatum. Ablati globulorum vitreorum fasciculi numerosi, telæ lineæ, laneæque plura volumina, aliæque id genus res Abiponibus vestiendis subinde, ac remunerandis destinatæ. Excanduit enimvero Ychoalay, nullamque cepit quietis partem, in Abipones suos nec furtum, quin ne furti quidem suspicionem cadere posse identidem affirmans, Et vero excussis sagacissime omnibus illas, quæ perierant, res a captiva in campo humi defossas in lucem protraxit. Quantus is, superi boni, Ychoalay triumphus! qui ut noxam Patribus inferri, sic furacitatis labem nationis suæ hominibus aspergi, minime ferebat,

Abipones, ut Americani plerique omnes, omnem servitutis umbram cum perhorrescant, vix tenue nobis obsequium præstitere, nisi de laboris præmio

mio certiſſimi. Quidquid popoſceris : *Mieka enegèn labevè* quam mercedem mihi dabis ? avidiſſime reponunt. Ad templi ingreſſum, ad audienda religionis capita ficuum, acicularum, ſalis, tabacæ largitione primis coloniæ annis fuerant alliciendi. Nos equo ephippia applicantes, ſecuri ligna ſecantes, quietis aſpectarunt oculis, & licet ad juvandos nos ne digitum quidem moverent, nobis tamen dilaudandis linguas crebro fatigarunt ſuas. Papæ ! quam belle noſti equum apparare tuum mi Pater! quam dexter, quam robuſtus es ! ajebant, cum juvari ab illis, quam laudari mallemus. Ychoalay, ut cætera omnia ſuis diſſimilis, in omne officiorum genus ſponte ſua effundebatur. Ab adulatione, utilitatisque propriæ ſuſpicione alieniſſimus non verbis dulcibus, ſed quovis demum opere officioſum ſe ſe in Patres probavit. Id mihi profecto exploratiſſimum, qui illo comite plura multorum dierum itinera per moleſtas ſolitudines confecerim. Solertiſſimi famuli partes ambiebat ſibi, & ſane omnes implevit. Ipſe, etſi alii vulgares nos comitarentur Abipones, quoties ſeu pernoctandum in campo, ſeu meridiandum nobis eſſet, ligna pro alendo foco conquirere, aquam adferre, equorum curam gerere, in fluminum, inque paludum trajectu ſecuritatem mihi procurare quotidie ſolebat. Equum, quo mihi utendum erat, non apparavit modo ſemper, ſed viæ, quam tunc ingreſſuri eſſemus, maxime idoneum ſagax deſignavit. Ipſa in profectione meo affixus lateri hæſit, & quamvis hilari collocutione diem falleremus, circumſpectans late omnia, periculum, ſi quod occurreret, & ſignificavit mihi confeſtim, & provide declinavit. Ut proles matris, ſic ego Ychoalay curis prorſus acquievi; His incolumi-

ta-

tatem meam tot inter viarum diſcrimina in acceptis referre nunquam dubitavi.


Cæteri quoque Patres ad unum omnes plurimum ſe debere viro optimo, palam fatebantur. Oppidi ſancti Hieronymi fabrica, ac conſervatio illi cumprimis eſt tribuenda. Præter terna tuguriola, quæ Hiſpani opere tumultuario e luto, ac ligno ſtruxerant, cætera omnia Ychoalay conſilio, hortatu, ac manibus condita fuerunt, maxime dum ad Auſtrale litus translatum eſt oppidum. Sacram ædiculam, Patrum habitationem, pecorum cuſtodibus in campo patente tuguria, pecoribus ſepes prægrandes conſtruere oportebat. Domus noſtræ area, ubi imbellis ſexus cum prolibus adverſus ſubitas Barbarorum incurſiones ſe tueretur, ſudibus munienda, Abiponibus incolis, qui ſub ſtoreis latitabant hactenus, tuguria ædificanda fuere præterea. Hos in fines arborum plura millia ſternenda, advectanda, elaboranda. Ychoalay operum anima, operarumque fuit. Ille primus omnium ſecurim arripere, ultimus ponere conſvevit. Exemplo ſuo, quam verbis felicius Abiponum cæterorum diligentiam exacuit. Conſpecta tot palmarum ducis aſſiduitate neminem jam laboris aut pudebat, aut pigebat. Quisque ædes ſibi præ altero concinniores, agros ampliores habere certabat, & omni frugum genere conſitos, etſi paulo ante illis ſtorea pro domo, campus, ut ſua ſponte eſt, pro agro illis fuiſſet, laborem qualemcunque olim pertæſis.

Patres, grati animi ſpecimen aliquod ut ederent, petaſum fimbriis argenteis latioribus coruſcantem dono dedere diligentiſſimo Ychoalay, qui etſi ejusmodi elegantiis ſe neutiquam capi ſignificaret, ne

Pa-

Patrum beneficentiam aſpernari videretur, acceptavit quidem elegantem petaſum, ſed eorum in ædibus depoſuit interea, dum eo uti denique ſibi lubuiſſet. Vix ſemel, ac iternm hoc pileo ornatus in forum prodiit, Abiponum aliquis eum ſibi popoſcit, & illico impetravit. Abiponum Caziquio equidem integrum haud eſt quidquam eorum, quæ rogatur, negare. Nobiliſſimus Abiponum quamprimum tenax rerum ſuarum repulſam petenti dederit, Indus ignobilis, & ſylveſter paſſim audiet. Tali convitio ne locum daret Ychoalay, veſtes laneas eleganti colorum varietate diſtinctas, ut e conjugis ſuæ textrina recens exiverant, obvio cuique, ſi eas peteret, impertivit. Qua quidem in omnes liberalitate id conſecutus eſt, ut ſinguli ſuam illi operam ultro addicerent, quotiescunque ſuo in prædio ſeu ad tondendas oves, ſeu ad arandos agros operis indigeret. Idcirco ingens utriusque ſexus multitudo ad juvandum Ychoalay eo confluxerat quotannis. Solo victu, & gratuitis per annum largitionibus operariorum merces definiebatur. Sibi laborantes aluit liberaliter, quin tamen œconomiæ obliviſceretur. Abipones agiliores ad venandos in propinquis Paranæ litoribus cervos emiſit, quorum carne labore campeſtri occupatos nutriebat ſæpe, ſæpe bubula. Suis de armentis mares duntaxat mactare conſueuerat, ſapienterque matribus augendæ ſoboli deſtinatis pepercit. Vaccis devorandis, ajebat, Indi inhiant, & nunquam illis in mentem venit cogitare, quod taurus non pariat. Si Hiſpani vaccas ſemper comederent, dudum jam nec vacca, neque taurus nobis eſſet ſuper. Id & prudenter & veriſſime Ychoalay dictitabat. Indi equidem quicunque, dum illis liberum eſt, vitulam præ vitulo, vaccam præ bove ſibi

mac-



mactare ſolent vel ideo, quod vaccina caro blandior, tenerior, pinguiorque ſit fere, quamvis vaccas efſœtas, ac vetulas perinde ut Europæi averſentur.

Quantum ſupra cæterum Indorum vulgus ſaperet, aliis quoque in rebus palam fecit. Herbam Paraquaricam, quæ herbæ Theè inſtar ferventi aquæ injicitur, ac omni hominum generi in Paraquaria quotidiano eſt uſui, ſibi propinatam hauſit quidem, haud tamen petiit a nobis unquam, neque appetiit; Metuebat prudenter, ne uſu crebriore potioni ſumptuoſæ aſſuefactus ad herbam vel pretio, vel precibus obtinendam aliquando adigeretur. Abiponibus aratro, vel ſecuri occupatis herbæ illius portionem aliquam præbuimus quotidie; Ychoalay, ne illa uterentur, author illis fuit identidem. Frigidæ a pueritia aſſuetis vobis, inquit, cur facile non ſit calida hac potione abſtinere? Id ni agitis, conſuetudo in naturam abibit, & illius potus neceſſitatem vobis imponet duriſſimam Patres herbam ſuppeditabunt, quamdiu araveritis; Poſtquam arare deſieritis, negabunt, quia magno pretio ſibi emendam. Abſtinete igitur, dum illam habetis, & nunquam vobis moleſtum accidet, illa carere. Hiſpani certe complures, quibus ſolenne eſt iterum iterumque aquam ſorbere ferventem, magnis herbæ Paraquaricæ ſumptibus ad incitas rediguntur haud ſecus, ac Europæi nonnulli immodica vini potatione.

Mocobiorum, Abiponumque mos fert, Patrum aures importunis quotidie petitionibus obtundere, Volupe nobis erat, quoties potuimus, ſingulis gratificari; ſed enim frequenter ea poſcunt, quibus ipſi caremus, & quæ ne Amſtelodami quidem in ulla uſquam officina deprehendas, Ychoalay etſi hu-

ma-

maniter rogatus a nobis, ut, si qua re opus haberet, significaret, induci nunquam potuit, a nobis quidpiam sibi ut postularet. Quemadmodum minus nobis molestus, quam cæteri omnes, sic & omnibus modestior fuit. Quamvis enim bellicæ virtutis fama ad invidiam emineret, solennibus illis, ut supra descripsi, Capitanei honoribus inaugurari, & Heëcherorum classi adscribi se nunquam est passus; Dialecto, quæ vulgo communis, semper utebatur. Cumque tot illius militaria facinora suppeterent, quibus nominis sui mutationem aliam, atque aliam merebatur, primum illud *Ychoalay* nomen usque retinuit. In amictu, in equi sui apparatu a pompa tantum abhorruit, ut alios quoque juvenculos, qui superbe se circumspicerent, curiosiusque comerent, aspectu, familiaritateque dedignaretur sua. Meritorum suorum conscium, immodicum sui æstimatorem fuisse, haud inficior; Præconia tamen, adulationesque ægre tulit, nil de se magnifice dixit nisi, quod se neutiquam thrasonem esse, crebro affirmarit. Æmulis suis Debayakaykin, & Oaherkaikin, qui magnanimitatis prærogativam ambiebant, posthaberi se minime sustinuit. Si quem tamen suorum rem belli strenue gessisse noverat, eum effusis ipse laudibus ornabat. Quod si totum, quantus quantus est, Ychoalay fixis intueare oculis, multum umbræ, plus tamen lucis in ejus imagine deprehendes. Hanc vivis mihi coloribus expingendam putavi, ne Barbaros ratione, virtutibusque politicis vacuos, omni laude indignos perperam existimares. Plurima præclaro Ychoalay honorifica porro ex me intelliges, belli, quod Riikahes inter & Nakaiketergehes exarsit, vicissitudines jam narraturo.

CAPUT XVI.

De hoſtili incurſione, quam Debayakaikin cum fœderatis Barbaris adverſus ſancti Hieronymi oppidum tentavit.

Injurias injuriis reddere, cædem cæde, & ſanguinem ſanguine expiare prima Barbarorum lex, & prope unica. Debayakaikin Abiponum, quos Nakaiketergehes dicimus, omnium princeps ab Ychoàlay, ut diximus, ad velitationem laceſſitus novæ ſancti Hieronymi Coloniæ exitium, Colonis Riikahes internecionem minabatur. Id animo verſabat diu, diu tamen ictum primum diſtulit, ut certior is eſſet, atque adeo poſtremus. Namque Mocobiorum, qui ſeptentriones verſus degunt, Tobarumque equeſtres turmas novo ſibi ad eam expeditionem fœdere conjunxit; Vilelas quoque pedites, pacis cæterum ſtudioſos, & ſagittarum uſu formidabiles in armorum ſocietatem ampliſſima prædarum pollicitatione attraxerat. Longo itineri pares ut eſſent, eos equis inſtruxit præterea. Numeroſas pro hoſtium paucitate copias ſecum reputans & victoriam, & novam illam Coloniam ſpe jam jam devoravit. Sagax Ychoalay conſilia, vires, apparatus hoſtium nec ignorare, neque ſpernere poterat. Res ſuas igitur in tuto collocaturus Mocobiorum Chriſtianorum turma in præſidium oppidi evocata ad Regium ſanctæ fidei Progubernatorem properat, ſuppetiasque amicitiæ, & promiſſionum jure debitas impenſe expoſcit; Verum præter verba, ac excuſationes impetrat nihil; Enimvero

vero ea tempeſtate urbis milites plerique bello adverſus Charruas Barbaros, quos ſub jugum miſerant, trans Paranam flumen occupabantur. Hinc Collegii Rector Didacus Horbegozo datis ad Tucumanorum Epiſcopum Petrum de Argandoña ſupplicibus literis equitum Cordubenſium catervam, periclitanti coloniæ auxilio futuram, poſtulat, quam ipſe literarum lator Capitaneus Vergara tuto brevique itinere eo deduceret. Sed hoc erat e pumice aquam expectare, quamvis certiſſimum mihi, optimum illum Præſulem, ut Rectoris precibus fieret ſatis, nullis induſtriis pepercisse.

Ychoalay in omnem partem nequidquam ſe verſante Debayakaikin nil porro cunctandum ratus tacitis, quoad ejus fieri poterat, itineribus Auſtrum verſus copias duxit ſuas, neque tamen aſſultum in hoſtilem ſancti Hieronymi Coloniam temere præcipitavit, aſtu ſibi utendum ratus. Præmiſit ſuorum quosdam, qui per Indorum ſeu contubernia, ſeu oppida rumorem vulgarent: Adverſum ſancti Hieronymi Coloniam a Debayakaikin nil tentatum iri; Quin Conceptionis oppidum ab altero ſancti Hieronymi decem Leucas diſtans, & ab Abiponibus Caziquii Alaykin habitatum, propediem a Mocobiis Barbaris invadendum eſſe, quibuscum illis reipſa ſimultates interceſſerant, quæ confictum rumorem vero reddebant ſimiliorem. Talia confinxit Debayakaikin callidus duplici ex fine. Primus erat, ut, quamprimum S. Hieronymi incolæ aggreſſionis periculo ſe vacare intellexerint, Mocobii Chriſtiani veluti ſuperflui præſidiarii ad ſuum ſancti Xaverii oppidum remitterentur, quibus abſentibus Debayakaikin omnia ſibi ad victoriam fore proniora, confidebat. Alter finis fuit, ut Abipones oppidi Conceptionis, dum Mocobio-

rum hoſtium aſſultum in horas domi expectaverint, de ope adverſus Debayakaikin incolis ſancti Hieronymi ferenda ne cogitare quidem poſſent. Et vero utrobique fraus ad votum cecidit. Teſtis ego omnium, & ſpectator fui. Operæ pretium eſt minutatim exponere ſingula.

Coloniæ ſancti Hieronymi, tauris plerisque jam conſumptis, boves vix millenis plures ſupererant; Horum e numero Vaccæ pleræque vel gravidæ, vel vitulis lactentibus neceſſariæ. Iſtis ut parcerent Patres, a nobis in Conceptionis oppido tunc verſantibus ducentos ſibi mitti juvencos, quibus indi alerentur, petierunt, miſſo ſimul cum ſex Abiponibus prædii ſui cuſtode Hiſpano Raphaele de los Rios ad has beſtias abducendas. Rite, gnaviterque id negotium ut curaretur, pecorum cuſtodibus comitem me adjunxi. Paratis ad iter omnibus, pede ſtapedi jam admoto ſagittis armatos, atrisque ad terrorem vultibus Abipones per forum diſcurrere, obſervo. Iſtorum quispiam Caziquii principis Alaykin nomine nunciat meo ſocio Joſepho Sanchez: Sclopum promptum, expeditumque ut habeat: ſub veſperum hoſtes adfore Mocobios. Quibus cum eadem via, qua mihi eundum, utendum eſſet, iter ut ſuſpenderem, mihi ſvadet ſocius, ſed vagos rumuſculos aſpernanti minime perſvadet. Exploratore ſaltem viarum præmiſſo ut proficiſceremur, & ſi pulverum repentinus turbo equitatum adventantem proderet, ſylvarum latebris vitam crederemus illico, hortatur. Iter omnino inermis feci, niſi novaculam, quam carni ſecandæ adhibui, armis adnumeraveris. Hiſpanus, cæterique Abipones comites perinde inermes ad unum omnes. Et vero toto meridie hoſtium ne umbra quidem nobis uspiam occurrit. Fluvius Ychimaye

(El



(El rio Rey) alluvionibus insolitis latissime per campum effusus præ quovis hoste terribilior mihi, periculosiorque fuit profecto. Hoc pelagus, ut ad sancti Hieronymi oppidum pertingerem, corio bubulo, quod Hispanus natans manu traxerat, insidens sub mediam noctem trajeci. Americana hæc, mihique advenæ tunc prorsus nova navigatio prope semihoram tenuit. Circumfusi Crocodili, noctisque obscuritas terrorem auxerunt. Revixi, portumque attigisse mihi videbar, dum oppidum ingressus Patres Franciscum Novalon, & Josephum Klein conspexi. Josephus Brigniel equidem, & Ychoalay id temporis ab oppido aberant, procurandis in urbe sanctæ fidei subsidiis adhuc intenti. Postridie, dies Sabbathi erat, Patre Navalon urgente ab Abiponum, Mocobiorumque Caziquiis, quid facto opus esset, deliberatum. Mocobiorum præsentia ad oppidi securitatem plurimum valebat equidem; Ast cum isti præsidiarii carnis bubulæ, tabacæ, salis, herbæ Paraquaricæ multum itidem consumerent quotidie, rei domesticæ oppidi perniciosi videbantur, ac vel hoc nomine domum protinus remittendi maxime, quod Debayakaikin, ut rumor ferebat, necdum oppido metuendus esset, qui tamen mox assulturus propinquo in nemore cum suis copiis latitabat, nihilque, nisi Mocobiorum abitum præstolabatur.

Mocobiis mane die Dominico digressis Debayakaikin sub vesperum agmine in tres turmas diviso triplici item via e latebris emersit in ipso prædii conspectu. Illius curator Hispanus Raphael de los Rios in tugurio suo conquiescens primo impetu multis, atrocibusque vulneribus confoditur ab Abipone, cujus pater in illa, quam Ychoalay cum Oaherkaikin habuit, velitatione occubuerat. Ex Barbarorum legi-

 bus

bus enim filiorum intereſt, patris ſui necem ulciſci. Aſt cur, amabo, innocens hic Hiſpanus, cur non Abiponum, qui Velitationi illi interfuerant, aliquis trucidatur? Nemo ſcilicet Abiponum, necari qui poſſet, iſtic præſto fuit. Hinc, quod ab hominum memoria in orbe frequentiſſimum, innocens nocentis culpam luit. Eodem tempore pecorum cuſtodes Quaranii capti alii, alii, quod equis inſiderent, pernici fuga ſervati ſunt. Armenta uno in loco, quod ſub Veſperum aſſolet, collecta, equorum item bina circiter millia hoſtibus, nemine repugnante, in prædam ceſſere. Hæc dum certis nunciis accipiuntur, dumque ipſa hoſtium concurſatio adverſo in litore noſtris patebat oculis, non tam præteritorum terrore, quam futurorum metu ingens per oppidum trepidatio conſecuta eſt. Imbelli ſexui ad domus noſtræ aream ſudibus cinctam perfugienti parum utique præſidii adverſus hoſtem, ſi illi mox aſſilire lubuiſſet, inermes duo ſacerdotes pollicebamur. Siquidem Pater Navalon, qui ſclopos duos non optimos in ſuo clauſerat cubiculo, paulo ante agros propinquos luſtraturus equo excurrit, quamvis de periculo factus certior reditum acceleravit. Abiponum plerisque paucos ante dies hoſtilis aggreſſionis vel ignorantia vel metu ad equorum ſylveſtrium venationem profectis octoginta aliquot domi remanſere. Hi, Debayakaikin in prædio ſæviente, compotationi, cantibusque ſuo cum Caziquio Ychamenraikin hilares indulgebant. De hoſtis propinquitate commoniti quamvis temulenti omnes atratis mox vultibus, correptis haſtis ferales inter buccinarum clangores equis citatiſſimis ad fluminis ripam devolant non oppugnandi, ſed a fluminis trajectu arcendi hoſtis gratia. Quo quidem ex facto ſi animorum parum, ſatis ta-

men

men confilii illis fuiſſe conjicies, dum pauci cum plurimis pugnam detrectant, quos vincere deſperabant virtutem multitudine opprimente. Debayakaikin longo belli uſu cautiſſimus in adverſum litus ab adverſariis obſeſſum ſuos trajicere, bellique ancipitem aleam experiri ſibi periculoſum putavit. Per feciales igitur actum, mutuoque conſenſu ſtatutum eſt: Dimicationem in diem craſtinum ſibi differendam videri, quod ſole in occaſum præcipite parum diei jam eſſet ſuper.

Nocte appetente ad nos noſtri rediere, ſi ſuperis placet, heroes, ſuisque in tentoriis crapulam exhalant. Quod hoſtium promiſſis haud multum fidei tribuerent, miſſi per omnem campum excubitores equites, qui cornuum, lituorumque non interrupto boatu vigilantiam teſtarentur ſuam, &, ſi quid hoſtile obſervaverint, reliquis ſignificarent. Militarem Barbarorum ſtrepitum Cœli fragores continui comitabantur. Tempeſtas enim ſonantiſſimis tonitribus, vento procelloſo, fulminibus, ac imbre præcipiti turbulentiſſima noctem integram perduravit. Proles cum Matribus hoſtis adventuri metu ſub dio noſtram intra aream pernoctaverant, alluvioni undique patentem, ut adeo per lucem, quam fulgura ſpargebant, totidem ranas, quot homines, ſtagno innatantes videre mihi ſim viſus. Meo in tugurio ollas, cucurbitas, Cantharos, ſarcinas depoſuere ſuas, ne ab hoſtibus diriperentur. Hæc inter vetularum impedimenta cum & Hiſpanorum, quos olim jugularunt; Calvariæ trophæorum inſtar aſſervarentur, neſcio, quis horror, mærorque inceſſit. In cubiculo putidis tot barbarorum ſcrutis undique occupato nec greſſum figere citra ceſpitationis periculum mihi licuit. De ſomno ne cogitatum quidem, ſollicitudine de con-

flictus, qui ex condicto mox ineundus putabatur, exitu animum identidem remordente. Noctem omni exparte tumultuosiorem vix memini me egisse in America. Solem, quod tardus rediret, accusavi. Sub auroram, tranquillato tandem Cœlo, etsi adhuc eminus fulgurante, ad forum prorepsi, quid rerum ageretur, dubia adhuc luce circumspecturus. Abipones alios, atque alios vel thorace militari indutos, vel penitissime nudos suis cum armis ad oppidi marginem confluere vidi, quam opportunum certamini locum existimarunt. Acies eum in modum ab Ychamenraikin instructa est, ut hastati utrumque cornu, medium sagittarii occuparent, pedites omnes. Equestri præterea manipulo, cui Ychohake, Ychoalay frater, præerat, datum negotium, ut hostium motus, vias, cæteraque omnia cognoscerent, protinusque referrent. Volupe mihi erat Americanos istos Martes, quos sine risu Europæus nemo videat, cominus intueri. Ordines percurri omnes, atque bellatorum numerum inivi. Ipsi equidem numerare cum nesciant, numerari a Patre cupiunt, identidemque: Multine sumus? ex illo quærunt. Ad nonam usque ante meridiem horam in acie constitere, dum denique reduces e campo emissarii præter vestigia nil uspiam hostium videri, nunciant. Dimicationis spe, verius dicam, formidine abjecta domum rediere singuli, aciesque, quin sanguinis fluxisset gutta, feliciter soluta est. Ecquis risum teneat, dum apparatus tantos, tantasque minas in nihilum recidisse, audit. Enimvero nihil hoc apud Abipones insolens, rarumve. Parturiri ab illis montes, murem nasci ridiculum, toties ipsi vidimus. Nunquam plus minantur, quam dum magis timent. Debayakaikin quamvis pridie ad pugnam condixerit, noctem illam fugæ accelerandæ impendit, sibique vel sine pugna victoriam tribuebat,

quod

quod Hiſpano illo jugulato, captis ejus ſociis, abactisque equorum binis circiter millibus ad ſuos rediret. Boves, quos rapuerat, noctis procelloſa tempeſtate conterriti ad nota prædii ſui paſcua refugerunt. Dilapſis hoſtibus, circa meridiem allatum e prædio Hiſpani cadaver tot vulneribus terebratum undique, ut viſcera diffluerent, artus reliqui hiantes, cruentique horrendam oculis, & humanæ vix ſimilem ſpeciem referrent. Idem corium, quo ante biduum me natans per fluvium Ychimaye traduxerat, advehendo ejus cadaveri, ac ad tumulum Chriſtianorum more deportando adhibebatur.

CAPUT XVII.

De aliis, atque aliis expeditionibus in Oaherkaikin, cæterosque Abipones Nakaiketergehes ab Ychoalay ſuſceptis.

Sanctæ Fidei ex urbe redux Ychoalay excanduit vehementer, ut primum, quid ſe abſente a Debayakaikin geſtum fuerit, intellexit. Enimvero acerbiſſime ſuis ſuccenſuit, quod in hoſte, dum propinquabat, obſervando ſegnes, in repellendo ignavos ſe præbuerint. Ipſe equidem, ſi coram adfuiſſet, certe hoſtis itineribus, ne improviſus veniret, invigilaſſet, certiſſime jam præſentem cum pauciſſimis licet ſuorum transmiſſo flumine acriter invaſiſſet, ne patrata Hiſpani cæde, ſpoliato prædio cum prædis ſimul, ſimul ſine vulneribus impunis abiret. Iſtud veri ſimilli-

mum. At vero timendum erat magnopere, ne Ychoalay a Barbarorum multitudine oppressus occumberet, illiusque interitu interitus recens natæ coloniæ accelararetur. Ego in vicesimum jam diem istic detentus modum, quo ad conceptionis oppidum pervenirem denuo, nusquam inveni. Viæ enim omnes fluviorum interjacentium eluvie impeditæ, atque ab infensis Barbaris infessæ mihi transitum negabant. His adde, equum, quo redire tuto possem, defuisse. Illum enim, quo adveneram, cum reliquis oppidi equis hostes rapuere. Alium denique gradarium pereleganrem, in Europa centum facile florenis vendibilem, mihi Abiponum aliquis vendidit. Novacula, quatuor & viginti Cruciferis a me olim in Austria superiori empta, pretium equi fuit. Ychoalay summa, qua in nos ferebatur, animi propensione ad meam me coloniam reduxit, quatuordecim Abiponibus stipatus, quod paucis citra periculum commeare haud liceret. Campus omnis sub aquis latebat. Bini fluvii, se ipsis ob tantam eluviem majores, stagnumque late patens mihi bubula pelle, Abiponibus natatu trajiciendum fuit. Loca palustria, profundæ sub aquis scrobes plus negotii dederunt. Ychoalay sagacitate superata feliciter omnia undevigesima Januarii, sancto Canuto Regi sacra.

Injuriam a Debayakaikin oppido suo illatam animo coquebat assidue Ychoalay, cumque concoquere nunquam posset, excursionem in illum novam constituit. Idcirco ad sanctæ fidei urbem properans milites designatæ expeditioni secum interfuturos poposcit, sed triginta duntaxat impetravit eam maxime ob causam, quod Regius Progubernator Hispani a Debayakaikin commilitone cæsi mortem Hispanorum quoque armis ulciscendam putarit. Verum missi ad

expeditionem meditatam milites de fine Progubernatoris parum folliciti in fancti Hieronymi oppido præfidiariorum inftar confidere voluerant interea, dum Ychoalay cum fuis Abiponibus in hoftes ibat. Hoc vero, Abiponenfibus fœminis, dum earum mariti abeffent, Hifpanos præfidiarios nec neceffarios, neque tolerabiles fibi videri, feverius affirmante cum reliquo Abiponum agmine iter demum funt ingreffi. Sed hem! quam breve illud fuit. Viæ tot fluviorum latiffime reftagnantium interjectu impenetrabiles evaferant, alluvione campum omnem pervagante, ut Cefpes, ubi vel cubare equites, vel equi pafci poffent, nusquam appareret. Progrediendi fpes cum nulla effet fuper, ad oppidum regredi cogebantur. Expeditio itaque magno cum ftrepitu fufcepta fructu prorfus nullo intra triduum eft terminata. Ychoalay corporis habitudine femper alias ferreus, & quibusvis viarum moleftiis fuperior febri ardente, & variolarum, quas Hifpani fatuas vocant (las viruelas bobas) quodam genere correptus domum rediit. Sed morbo vix profligato cum exigua fuorum turma adverfus Oaherkaikin, belli authorem, profectus, & ab hoc in cruenta velitatione binis fagittis eft fauciatus; Harum una brachium transverberatum, altera occipitis offi, cui cervix imminet, altiffime infixa hæfit, quæ dum eximeretur, illius mucro offeus fractus, ac in occipitis offe fepultus remanfit, nulla fui parte apprehendi porro, nec evelli ut poffet. Ulcus, tumorque inde enatus dolorem una, una periculum indies augebat, etfi, qui his cruciabatur nec hujus fufpicionem, neque illius fenfum prodere videbatur, ne, quod morte pejus autumant, magnanimitatis famam obfcuraret. Patres tamen, cum mederi ægro periclitanti nequirent, ad urbem fanctæ fidei, medicum quæfiturus, ut fe reciperet, illi authores fue-

run

funt. Paruit confilio. Opportune per id tempus iftic verfabatur Lufitanus frater laicus ex fancti Francifci Cœtu, Chirurgus omnium ore celebratus, cujus opera in ædibus Hifpani nobilis feliciter eft consanatus circumftantibus & peritiam chirurgi, & Indi, dum fcalpello, forcipulaque cruciabatur, filentium, ferenitatemque magnopere demirantibus, quod fuperius memoravi.

Inflicta, etfi jam curata, vulnera Ychoalay fodiebant animum: & ad novam in Oaherkaikin excurfionem fufcipiendam usque ftimulabant. Non Abipones modo ex fancti Hieronymi, & Conceptionis oppidis univerfi, fed & Mocobii Chriftiani magno numero ductorem Ychoalay fequebantur. Penetratum feliciter ad hoftium ftativa, dimicatumque diu acerrime. Ipfe Debayakaikin in acie fortiter pugnans circa latus hafta periculofe fauciatus eft, &, ni alter quispiam ceu clypeum fe utrique objeciffet, ab Ychoalay jam jam trucidandus. Vulnerati utrinque non pauci. Mocobiorum Chriftianorum plurimi, qui, quod more fuo ferocius confligerent, ut plus gloriæ, fic plura vulnera e prælio abftulere. Cæterum etfi æquo Marte, victoria in neutram partem inclinante, certatum fit pertinaciter, Debayakaikin tamen & vulnere fuo, & eorum, qui illud intulerant, ferocitate exterritus noluit porro quidquam fibi cum Ychoalay negotii effe, viasque circumfpexit omnes, quibus periculofam cum hoc dein' congrediendi neceffitatem declinaret. Mocobiorum quoque feptentrionalium vicinitatem fufpectam habere cæpit, poftquam ab illis Caziquius Kaapetraikin ejus collega cum duobus filiis, aliisque tribus Abiponibus, dum in campo noctem agerent, per infidias perfide eft obtruncatus. Rebus itaque

fuis

suis consulturus ad sancti Ferdinandi Coloniam, Abiponum Yaaukanigarum sedem, universa cum gente commigravit, ubi tum istorum amicitia, tum Hispanorum Correntinorum auxiliis fretus, ceu in portu, tranquillum se conquiescere dein' posse, existimabat, mutato hanc ob fugam nomine deinde *Leènkin* a suis appellatus, quod fugacem significat. Verum vitata Charybdi in scyllam incidit.

Siquidem Ychoalay hanc Debayakaikin cum Yaaukanigis conjunctionem nec pacis studio factam, nec oppido suo opportunam ratus haud multo post cum Abiponum, Mocobiorumque Christianorum longo agmine adfuit, sibique implacabilem hostem Debayakaikin in certamen poposcit. Ne ad manus veniretur, Patrum sollicitudine provide cautum est. Ab his e vicina urbe Correntina evocatus Progubernator Nicolaus Patron, qui quamvis numeroso milite stipatus veniret, pacificatoris munere fungi maluit, quam alterutrius hostium partes tueri. Ad ejus votum res cecidere. Pax in has leges, quas Ychoalay dictaverat, sancita est: Debayakaikin tres hastas, quas primo in conflictu ab Ychoalay obtinuerat, captivos item, quos e sancti Hieronymi prædio abduxit, confestim restituat. Hispanorum, Indorumque amicorum coloniis ne porro fraudi sit. In hoc sancti Ferdinandi oppido quietus, innoxiusque cum suis persistat; Inde alio si demigraverit, arma contra se resumenda, bellumque renovandum, intelligat. Has quidem conditiones in re trepida amplexus est avide Debayakaikin, sed metu solutus pro lubidine neglexit. A Mocobiis, qui Boream versus degunt, injurias, nescio quas, causantibus iterum iterumque in ipso oppido invasus est, equisque prope omnibus spoliatus. Ejus contubernales mutatis licet stativis

me-

mores haud mutarunt ſuos, latrociniis, cædibusque Hiſpanorum clanculum intenti, id quod ab Ychoalay nec ignorandum, nec ferendum, Debayakaikin præſentiebat. Cum is itaque a ſeptentrionibus Mocobios ſibi infenſos, ab Auſtro vicinum Ychoalay, eique fœdere ſociatos quotidie pertimeſceret, ad Conceptionis oppidum remotius, & jam ſancti Jacobi Coloniis propinquum cum ſuis transmigravit. Quod quamvis initæ pacis conditionibus contrarium ſilentio concoxerunt Abipones Riikahes, dum denique novis injuriis, ceu hoſtili claſſico, ad novas iras, pugnasque laceſſerentur.

Abipones aliquot ab equorum ſylveſtrium venatu ad ſancti Hieronymi oppidum reduces, ab obviis Debayakaikin contubernalibus loro percuſſos ſe, & aliquot equis ſpoliatos Ychamenraikin Caziquio ſuo conqueruntur. Contubernium ſat frequens Abiponum Nakaiketergehes in campo ſanctæ fidei, & S. Jacobi urbes inter medio a ſe deprehenſum, nunciant præterea. Hanc ſtationem Hiſpanis commeantibus periculoſam, initæ paci repugnantem Caziquius pronunciat, in hoſtiles hos Abipones poſtridie ſibi proficiſcendum, exclamat. Invitatur ad excurſionem Ychoalay cum reliquis. Invitantur Mocobii Chriſtiani. Paucas intra horas trecentorum prope hominum agmen conflatur. Vindictæ ardor pro ſtimulo fuit. Paucorum dierum itinere defuncti hoſtile contubernium detegunt, haud ſubito tamen aſſultu aggrediuntur. Ne quis humanitatem in ſe deſiderari, autumet, binos feciales Hapaleolin, & Antioaikin præmittunt, qui, ut equos ſibi injuria ereptos illico reſtituerent: Injuriæ gratiam poſcerent, hoſtibus amice ſignificarent. Morem ni geſſerint, vim ſibi mox experiundam eſſe, nil dubitarent. Verum illi mili-

ta-

tarem gloriam præ vita æſtimarunt. Mori, quam fugere maluerunt. Buccinarum militarium fremitus, quo viceni trecentos ad pugnam provocant, pro reſponſo fuit. A verbis ad arma, manusque venitur. Ychamenraikin omnium ductor, primusque in acie prima, quam adverſarii miſerant, ſagitta ſiniſtrum oculum ictus momento exanimis concidit. Teli mucro non oſſeus, non hamatus, ſed ligneus, rotundus, & ex illorum genere fuit, quæ in aviculas vibrantur. Præcipua quædam capitis pars, unde mors adeo accelerata, læſa videtur. Mortui Ducis aſpectus, fidem ſuperat, quanto commilitonum animos furore inflammarit. Agite, vox erat omnium, nemo hoſtium vivus abeat. Manus voci reſponderunt. Namque haſtati uno omnes impetu in adverſam aciem ferebantur. Enimvero internecione deleri poterant viceni a trecentis, ni his illi ceu murum ſe objeciſſent incredibili cum fortitudine. Virtute numerum ſupplerunt. Nemo omnium pugnæ prius, quam vitæ finem impoſuiſſe videbatur. Vulneribus pertebrati licet haſtas haſtis, tela telis usque oppoſuerunt, ne latum quidem unguem ab acie digreſſi. Stratis in arena virtute bellica clarioribus capita reſecuerunt victores, pro trophæis domum deportanda. Bini cadaveribus immixti exanimes putabantur; Auricula horum alteri, alteri digitus abſciſſus eſt a Mocobio. Verum aliquot poſt menſes ambo ſuperſtites, quamvis ſtigmate, cicatricibusque notati, in ſancti Ferdinandi oppido comparuere.

Occidione occiſis viris in imbellem ſexum, qui in propinquam ſylvam profugerat, Mocobiis Caziquii Ychamenraikin morte irritatis lubuit ſævire. Fœminæ, earumque proles ad quadraginta obtruncatæ. In captivitatem plurimæ abductæ, quam quidem fe-

ri-

ritatem in inermes exercitam & damnavimus omnes, & exprobravimus. Abiponum nostrorum, Mocobiorumque vulnerati sunt complures, nemo præter Ychamenraikin cæsus. Lapagrin veteranus sancti Hieronymi Coloniæ habitator, vir mentis optimæ in hostium acie conspicatus conjugis suæ fratrem, ad eum morti eripiendum, abstrahendumque a periculosa statione accurrit; Verum Hapaleolin ejus cognatus, vicinus, & amicus, quod eum furore cæcatus hostem putaret, illius lateri immersa hasta duas ejus costas confregit. Dum ad oppidum rediret, ingentem lateris hiatum, vulnusque immane spectavi. Convaluit tamen, & paulo post baptizatus Pauli nomen gessit. Caziquii Ychamenraikin ossibus (carnem enim ab iis avulsam jam in campo de more sepeliverant) communibus in oppido lachrymis, funebrique, ut alias retuli, apparatu fuit parentatum. Nos quoque ejus obitum, ut par erat, doluimus vehementer vel hoc nomine, quod plures licet annos in oppido versatus a Christianis sacris alienus occubuerit. Ea tamen cogitatio dolorem mitigavit nostrum, quod illo superstite extra mortis discrimen Abiponum nemo sit baptizatus, illo extincto vix ullus baptisma recusarit, ut adeo Caziquii hujus mors omnibus salutaris, luculentumque providentissimi Numinis beneficium nobis videretur. Id tamen fatendum, supremis ante obitum mensibus eum mutandi mox animi spem nobis non dubiam fecisse. Namque frequenter Christianis in templo institutionibus sua, quam tenerrime dilexit, cum filiola interfuit, quam manu ducens Crucis signum formare me coram jubebat identidem, meque, num rite id præstaret, interrogabat. Abiponis Raregragremarachin filiolus sexennis a serpente dextra in manu ictus, venenoque per brachium pectori adrepente in ultimum discrimen adductus est. Sacro

eum

eum latice expiare Brigniel contendit. Verum marito absente, & inscio id permitti posse, negavit mater. Illum cum Ychamenraikin colloquentem Brigniel adiit, de filioli periculo, de suo proposito edocuit. Sine, quæso, inquiit Caziquius, Caput pueri Pater abluat. Nil est, quod metuas. Baptisma mortiferum esse, quod olim putavimus, id jam ipsus fabulis adnumero, contrarium toties expertus. Nemine repugnante sacro fonte initiatus puer, & Agapiti nomine insignitus convaluit.

CAPUT XVIII.

De novis oppidi perturbationibus ex obtenta victoria enatis.

Debayakaikin de cruenta suorum strage factus certior in Conceptionis oppido nullum faciebat tumultuandi, comminandique finem victoribus Riikahes. Qui luctu, ac dolore injuriæ non fureret, contubernalium erat nemo; Hæc filium, illa maritum, fratrem alter, aut conjugem vel cæsam, vel captam lamentabatur. Kaëperlahachin senex ante alios in rabiem efferatus lymphaticorum more insaniit, cujus mater anus omnium annosissima, & præstigiatricum antistita a Mocobiis jugulata, sorores binæ, nepotes plures in captivitatem abducti. Peuavalkin, quem universa natio heroem dixerat suum, filii adolescentis apud Mocobios captivitatem indignatus mille mortes hostibus, internecionemque quotidie minabatur.

Patris Josephi Sanchez Hispani, qui Conceptionis oppidum procurabat, vita in præsentissimo discrimine versabatur, quod cladem ab Abiponibus, & Mocobiis Hispanorum amicis illatam Hispano cuicunque luendam dictitarent. Certe, ni Franciscus Barreda furentem populum continuisset, ad vastandas sancti Hieronymi, & sancti Xaverii Colonias citra cunctationem omnes Nakaiketergehes advolassent. Landriel Barredæ nomine ad illas colonias missus, ut captivos reddi suis postularet. Ychoalay non Debayakaikin minas, sed Regii Progubernatoris vota reveritus petitioni alacriter subscripsit, non item Mocobii, captivorum suorum usque tenaces. Hac repulsa irritati Barbari armis extorquere statuerant, quod Hispanus precibus haud potuit impetrare. Paucos post dies in sancti Hieronymi oppido adfuturos hostes, certis nunciis accepimus. In summa trepidatione petitæ a Mocobiis suppetiæ, sed negatæ, quod suo se oppido perinde periclitanti consulere velle, dictitarent. Auxilii spe præcisa, quidquid nobis præsidio esse poterat, ab Ychoálay solerter, sagaciterque est imperatum. Designati noctibus singulis excubitores plurimi. Speculatores ultro, citroque missi. Falsis de hostium propinquitate rumoribus decepti, noctes, diesque insomnes, ac semper armati egimus. Debayakaikin, qui expectari se a nobis indies, suis ex exploratoribus intellexerat, ne actum ageret, expeditionem aliquot hebdamadibus differendam sibi putavit, nosque nil jam hostile suspicatos oppressit.

Nocte, quæ Pentecosten sequebatur, suo cum agmine in campum oppido propinquum tacitus irrepserat. Tempus omne equorum gregibus per pascua colligendis, armentisque hasta sauciandis impensum. Luna plena facie illustris ad excutiendas pas-

euorum, pecorumque latebræ prædonibus mirum quantum propitia fuit. Sub diei ortum, me rem divinam ad aram faciente, adſunt Pachieke, & Zapancha nuncii a Debayakaikin miſſi, qui ad conferendas ſecum manus oppidi contubernales provocarent Foro militaribus buccinis perſtrepente Ychoalay cæterorum nomine nunciis reſpondit: Haud animos ad dimicandum, ſed equos, quibus ad deſignatam in campo arenam irent, ſibi deeſſe; Quos cum ipſi noctu rapuiſſent, iis uterentur jam, ac oppido propinquarent, ſe cum ſuis eorum adventum in acie præſtolaturos. Et vero e confluentibus undique Abiponibus acies actutum coaluit, cujus frontem Ychoalay occupabat eques. Percurſatis ſemel, ac iterum ordinibus numeravi ſingulos, & profecto paucos judicavi. Quod ſi enim ſola multitudo, non virtus aliquando victoriam pareret, noſtros a contrariis omnino delendos, dixiſſem; Tantum illi ab his numero ſuperabantur. Illud ſilentio haud prætereundum: Prius quam reliquis in acie ſe adjungeret Ychoalay, haſtæ ſuæ mucronem noſtra in area ad cotem exacuit diligenter, ſeboque, ut altius carnem, promptiusque iniret, perunxit. Hæc agenti de baptiſmo, quod flaminis dicimus, familiariter diſſerui, in hunc unum omnium tela torquenda cum noſſem, illiusque ſaluti, quoquo demum modo, conſultum vellem. Sed ſurdo eheu! fabulam cantaſſe, videbar, adeo nec aures, neque animum mihi advertit, curis militaribus abreptus. Ex tantis belli apparatibus quidni fumantes ſanguine campos expectaveris? At vero præter ſtrepitum erat nihil. Nam incruentus plane abiit dies.

Noſtris enim in acie hoſtilem aſſultum per momenta expectantibus circa meridiem a Debayakaikin

per fecialem responsum fuit denique: Rebus suis haud expedire certamen in oppidi conspectu, ubi sclopos suppetere (Non nisi duo nobis erant) complures, nihil dubitaret. Horum inani metu territus, quin aliud quid auderet, se se recepit, nullo, nisi equorum, quos abduxerat, operæ pretio, neque alio oppidi nostri detrimento, si boves hastis perfossos excipias. Tanta procella defunctos nos sub vesperum alius excepit turbo eo terribilior, quo minus prævisus. Me cum Patre Brigniel colloquentem Ychoalay interpellat repente: Heus vos, Patres, contracta præter morem fronte, nobis inquit. Gens nostra, quanta quanta est, & istam coloniam, & Hispanorum amicitiam pertæsa defectionem meditatur. Neque, quod illis succenseam, habeo. Hispanorum causa bellum adversus populares nostros nobis sanguine propinquos suscepimus, variaque proh! fortuna in hanc usque diem prosequimur. Inimici sunt nostri, ex quo Hispanorum nos amicos profitemur, & adversus Debayakaikin, Oaherkaikin, eorumque asseclas defensores acerrimos. Ab istis toties equorum gregibus spoliati, toties vulneribus mulctati sumus; Toties commilitonum nostrorum funera luximus. Norunt hæc Hispani, serenisque spectant oculis, quin de submittendis, quæ amici amicis nobis promiserant, auxiliis serio cogitent unquam. Hispanos jam nostros dicere hostes, haud possumus, sed neque amicos, nisi amicitiam solis verbis, & pollicitationibus definiri, credamus. Atque inde est, quod contubernales mei alienatis repente animis fugam circumspectent. Pro veteri, qua in vos ferebar semper, benevolentia vobis jam author sum, ad Regium Progubernatorem ut detis literas illico; Qui eas ad urbem deferat, Abiponem equitem dabo. Vestrum erit milites petere, qui salvos

vos

vos Hiſpanorum in terras reducant quamprimum, antequam Indis equorum, quam hodie paſſi ſunt, jactura exacerbatis vitam vobis eripere in mentem veniat. Ego enimvero vobis defendendis imparem me video. Vobis, dum res ſunt integræ, quæſo, bene, celeriterque conſulatis. Hæc ait lingua ſua primum, mox Hiſpanica repetit ad ſyllabam omnia, ac denique, num probe intellexerimus a ſe dicta, ſingulos nos rogat. Nunquam clarius mihi locutus es, Brigniel reſpondit. Ejus conſiliis parituros nos, ambo pollicemur. Cæterum haud dubitaret, addidimus, Regium Progubernatorem de his rebus edoctum, quidquid ad Abipones noſtros ſeu juvandos, ſeu conſolandos faceret, ſine tergiverſatione præſtiturum. Ex animi prorſus ſententia, quod res erat, nobis fuiſſe locutum Ychoalay, torvi, minacesque Abiponum cæterorum oculi prodiderunt, in quibus conceptum ex tot equorum jactura dolorem, infenſasque Hiſpano mentes non obſcure legebamus. Præſens, in quo res noſtræ, quin Hiſpanorum verſabantur, periculum illa nocte ad Progubernatorem perſcripſimus, ſed, qui ad urbem ſanctæ fidei, ſeptuaginta leucas diſtantem, literas deportaret, Cœlo multos jam dies procelloſo, vix tandem inventus eſt ab Ychoalay. Iter ſiquidem, viis omnibus aqua tumentibus, prope intercluſum videbatur. Interea, dum, quid Progubernator Regius ſtatueret, intelligeretur, timendum erat magnopere, ne Indi efferati reſponſo non expectato coloniæ terga verterent, nobisque obtruncatis recepto olim more latrocinatum abirent. Verum enimvero tantam rebus prope conclamatis tempeſtatem non ſperata malacia excepit. Nemo ſane fuit, qui incolumitatem noſtram optimo, ſapientiſſimoque Numini cordi fuiſſe, non perſpexiſſet.



Ex inopinatis, quos jam relaturus ſum, eventibus divina Providentia planiſſime eluxit.

CAPUT XIX.

Ychoalay Hiſpanis conjunctus Abiponum hoſtilium agmen capit; Alias cum Oaherkaikin feliciter pugnat.

Charruæ, ferox, equeſtrisque natio, quod in Paranæ ripa, quæ ſolis ortum ſpectat, iter agentibus diu infeſti, latrociniorum rei, pacisque ſemel, ac iterum violatores a ſanctæ fidei equitum turmis capti demum plerique, nativo ſolo extorres ad Coloniam in campo cajaſta conditam redacti fuere, ubi a ſacerdote Divi Franciſci inſtitutum profeſſo legem divinam docebantur. Armis, equisque ſpoliati captivorum ritu a præſidiariis Hiſpanis, dum manſveſcerent, cuſtodiebantur aliquamdiu, carneque non bubula, quod in noſtris fieri aſſolet oppidis omnibus, ſed equina alebantur. Equorum enim ſylveſtrium, qui nullius domini juribus obnoxii, multa paſſim millia per vicinam planitiem errant. A militibus tot capti quotidie, quot charruis ſaturandis neceſſarii putabantur. Segnes olim hi Barbari, fame ſtimulante, egregiam colendis agris operam ſponte ſua navarunt. Verum campi oppidulo adjacentes magna ex parte paluſtres locum, ubi ſementem cum ſpe meſſis jacerent, fere negabant, & collis, quem tuguria occupaverant, pro incolarum numero anguſtior videba-

tur.

ur. Quam obrem a Parocho miſſi chatruæ aliquot, qui campis remotioribus exploratis ſtationem coloniæ opportuniorem detegerent. Reduces, contubernium Abiponum vagorum ſat frequens ad lacum album (la laguna blanca) a ſe deprehenſum, narrant. Qua de re Progubernator ſanctæ fidei mox factus certior Abiponum hoſtilium habitationes minime tolerandas judicavit eo loco, unde ad vexandas Hiſpanorum colonias excurrendi maximam haberent opportunitatem. Periculoſo illi Abiponum contubernio arcendo equitum ſuorum turmam aſſignat, illisque ut Ychoalay cum ſuis, & Mocobiis ſe conjungeret, miſſis ad nos literis, precatur.

Literæ Progubernatoris a tribus Mocobiis Chriſtianis allatæ, nobisque prandentibus porrectæ, ceu propitium ſidus animorum caliginem diſcuſſere. Abſterſo mœrore, ſopita bile revixit Ychoalay, & rei adverſus hoſtes ſuos bene gerendæ fiducia, Hiſpani militis ſocietate lætus eodem veſpere apparavit omnia, poſtridieque vix expectato ſole cum numeroſa commilitonum caterva iter eſt ingreſſus. Nemo erat omnium, qui euntem hilari animo non ſequeretur, nemo equorum penuriam cauſabatur. Etſi enim permultos nuperrime hoſtis eripuerit, quam plurimi tamen remotioribus in paſcuis latitantes ejus & oculos, & manus effugere. Vetus ſtæc, providaque Abiponum eſt aſtutia, equos ſuos quod eodem omnes loco paſci non ſinant, ut pereuntibus aliis alii reſerventur. Campi, quos vel ſylva tegit, vel fluvius difficiles acceſſu reddit, inſulæ, litorum reconditi ſinus pabulum æque, ac latibulum equorum gregibus præbent, atque adeo ſecuritatem. Sed Ychoalay equo procurrentem aſſequamur. Campum attigit a Progubernatore conſtitutum, ibique, ut condixerant, Hiſpanos

equites invenit, ſed pedites jam, & eſurientes, quippe quibus noctu & equi, & boves diffugere. Tam hi, quam illi Ychoalay ſagacitate recuperati. Mox Charruis viæ ducibus uno agmine ad lacus albi litora properatum eſt, ſed jam Abiponibus vacua. Quo demigrarint, arduum fuit conjicere. Ychoalay veſtigiorum cognitione dudum clariſſimo fugitivorum ſtationis indagandæ negotium ab Hiſpanis datum. Hoc duce excuſſis latè omnibus feliciter hoſtium ſtativa detecta ſimul, ſimul arctiſſime circumſeſſa adeo, ut præciſa effugii, victoriæque ſpe cuncti victas manus darent. Armis nudati cum fœminarum, puerorumque grege captivorum inſtar ad ſancti Hieronymi coloniam adducebantur. Hiſpanorum equitum centurio honorificas ad nos literas dedit, quibus, ſi quid præclare, feliciterque a ſe geſtum, id Abiponum noſtrorum, & cumprimis Ychoalay ingenio, induſtriisque ſe tribuere, ingenue confitetur. Incruenta hæc, quod mireris, victoria fuit, niſi quod Hiſpanus ad ſylvæ marginem equitans a latente Abipone ſagitta ſit leviter ſauciatus.

Expeditionis felicitas quantum gentis noſtræ animos erexit, tantum Abipones Nakaiketergehes exacerbavit univerſos, ut adeo hæc qualiscunqe victoria non ad accelerandam pacem, quin ad bellum pertinacius proſequendum novos hoſtibus ſtimulos admoviſſe videretur. Quod Captivorum e numero tres facile nocentiſſimi Abipones Zapancha, Pachiekè, Caziquiorum ex proſapia oriundi, & alter Caziquii Alaikin Levir uxorius (cujus quidem vultus, non tamen nominis memini) Ychoalay ſvadente, urgenteque ab Hiſpanis ad Caſtrum Montevideo in adverſo argentei fluminis litore ſitum deportati, ibique compedibus vincti detinerentur, id enimvero Nakaiketer-

ge-

gehes concoquere nunquam potuerunt. Omnem certe, quam locus, tempusve offerebat, vindictæ occasionem avidissime arripuerunt. Ut cætera omittam, paucos post menses, per Oaherkaikin contubernales septem sancti Hieronymi incolæ, e quibus duo duntaxat viri, iter agentes ex insidiis trucidati fuere. Hanc in suos crudelitatem minime ferendam ratus Ychoalay viginti quinque supra centum Riikahes in Oaherkaikin duxit, cujus tunc stativa ad quadraginta leucas septentriones versus ab oppido aberant. Iter ingressuri plerique, Ychoalay hortante, sed exemplum cæterorum haud imitante, sacris se lustrari undis petierunt.

Mihi ad S. Ferdinandi oppidum, per quod transire cum sua turma Ychoalay visum est, id temporis jam translato ex hac expeditione non parum negotii, sollicitudinis plurimum exstitit, ne Yaaukanigæ nostri dudum Ycholay infensi Oaherkaikin partes amplectantur, bellique molestiis oppidum implicent suum. Pridie, quam Ychoalay suo cum agmine adventaret, illius explorator sub primam noctem me accessit, ad vias, hostisque latibula investiganda præmissus. Post horæ unius intervallum secundus, & hunc paulo post tertius est secutus. Alter alteri, quid a se hodie compertum, quid porro explorandum sit, significaverat. Bini posteriores visa, auditaque nunciaturi ad Ychoalay intempesta nocte regressi sunt. Primus tamen, qui Rochus Chiruilin vocabatur, meis in ædibus noctem egit; Postridie, quamvis ad speculandum missus, divinum sacrificium sibi haud negligendum putavit, quod dies esset Dominica. Suspexi tantam in homine Barbaro religionem, qui paucos ante dies Christo nomen dederit. Illud quoque ea nocte mecum reputaveram identidem: Europæos du-

ces proniora ad victoriam omnia ſæpe habituros, ſi eadem, qua iſti Barbari, ſollicitudine, ac frequentia ſpeculatoribus uterentur, qui, quidquid hoſtium fuerit, diu, noctuque circumſpectarent. Id quoque mihi indubitatum: Americanos in hoſte explorando diligentiores, in aggrediendo cautiores eſſe, quia Europæis bellatoribus timidiores.

Eodem die ſub meridiem Ychoalay cum ſuis adfuit tam compoſito agmine, tanto ſilentio, tanta veſtium concinnitate, ut Hiſpanis equitibus ſimiliores jam viderentur. Haſtis ferreis, petaſis, ephippiisque Hiſpanicis inſtructi omnes. Collem oppido accubantem pro caſtris delegere. A tergo ſylva, a lateribus ſtagno duplici adverſus repentinos aſſultus defendebantur. In ſubjectam planitiem, ubi equos paſcebant ſuos, proſpectus patuit undique, ut, ſi quid inſidiarum eſſet, eminus obſervaretur. Sub dio, ut ſolent, ſine papilionibus noctem egerunt, ſed una omnes ſerie collocati, quæ tamen ſemicirculum, &, ut ita dicam, falcem deſcripſerat; Illa equidem ſitus figura ad mutuam paucorum contra multos defenſionem valet plurimum Ephippia, dum cubant, pro cervicali, equorum ſtragula pro culcitra adhibent. Haſtam quisque ſuam humi defixam, ac ad manum habet. Quaterni, ſenive focum ſuum ad illuſtrandas noctes alunt, excubitoribus aliis, atque aliis, qui equites campum obeunt, ad dormientium, equorumque ſecuritatem deſignatis. Si quid ſeu periculi, ſeu novitatis notetur, lituis, buccinisque commonent ſopitos. Minutatim iſta exponere mihi viſum, ut, quid Barbari non a Vegetio inſtructi, ſed natura magiſtra in caſtris obſervent, mireris.

Ne-

Nemo erat Abiponum hoſpitum, qui ad me domi conſalutandum non accurreret. Biennium in ſancti Hieronymi oppido verſatus novi, amavique ſingulos, & jam nomine, quod in ſacro baptiſmate nuper illis obtigerat, a me compellari gaudebant. Hæc enim, ac totius expeditionis finem ex Patris Brigniel literis intellexi. Per biduum, quo apud nos conquieverant, ne caro bubula, ſal, tabaca cuiquam deeſſet, liberaliter curavi; His tribus equidem rebus eorum deliciæ definiuntur. Hunc in finem noſtro e prædio boves complures quotidie occiſi. Ychoalay pro veteri familiaritate horas quotidie aliquot mecum amiciſſime eſt collocutus. Ego ſollicitudinem omnem, orationemque eo converti potiſſimum, ut baptiſma illi perſvaderem. Diſcrimina, quibus vitam objecturus jam ibat ſuam, exaggeravi. Ille commilitonum numero, ac fide confiſus quidquam ſibi periculi eſſe, identidem negavit, ſeque bellicis curis intentum piis ejusmodi cogitationibus ineptum, fatebatur. Cæcitatem miſeratus, virum cætera bonum Deo commendavi. Alia item, quam alibi inſinuavi, ſollicitudo animum pungebat meum. Yaaukanigas meos ut ab Ychoalay alienos, ſic Oaherkaikin vicini ſui ſtudioſos, novi. Ne huic adverſus illum ſuppetias ferrent clanculum, jure timui. Aſt, rebus ſuis conſultum ſi vellent, neutri ſe ut factioni addicerent, illis author fui. Eloquentiam in hoc argumento exhauſi omnem, ſingulos, morem mihi ut gererent, & cohortatus ſum, & obteſtatus. Precibus minas adjeci, ſi quid adverſus Ychoalay moverent, quem ut Yaaukanigarum auxilio haud indigere, ſic, ſi Oaherkaikino auxiliarentur, graviſſime irritandum, ſciebam. Hæc ego tum oppidi primatibus iterum, iterumque inculcaveram. Et vero ſimultatum obliti mori-

rigeros ſe mihi præbuerunt. Juniores aliquot dimicationem eminus ſpectaturi accurrebant prorſus inermes.

Oaherkaikin interea de Ychoalay itineribus dudum edoctus, tantum abſuit, ut trepidaret, ut miſſo legato illi nunciaret etiam: In hac ſe ſtatione verſari. Veniret fauſtis avibus. Sibi nec de fuga, neque de metu cogitare in mentem veniſſe. Perpaucos ſibi eſſe commilitones, aſt tales, ut eorum quisque pluribus ſternendis ſibi par videatur. Pridie, quam a nobis abſceſſit Ychoalay, per primarium ejus emiſſarium Hapaleolin interceptus in campo eſt Kepakainkin contubernalis tunc Oaherkaikin, ejusque cum ſorore matrimonio junctus, genere, quam factis militaribus nobilior. Quod conjux ejus Nakaiketergehe eſſet, fratres vero inter Riikahes verſarentur, jam horum, jam illorum partes ſecutus eſt, ut ſpes, metusve illi ſvaſerat; ſed vel hoc nomine utrobique odio habitus, deſultoriæ fidei homo, veterator nequiſſimus, ignavus, timidus, & præſtigiatorum e numero. Ychoalay adventum metuens ex Oaherkaikin contubernio, mox oppugnando, ſeceſſit amicitiæ obtentu hoſtium motus exploraturus; Re tamen ipſa proditor hoſtibus Riikahes obviam iverat, eosque ad Oaherkaikin ſtativa deduxit, pugnæ tamen ſpectator ſolum interfuit, & mox ſua cum conjuge Abiponibus Riikahes conſociatus, deſerto Oaherkaikin ad ſancti Hieronymi oppidum ſe recepit. Plura de hoc nebulone alio loco intelliges.

Stativa Oaherkaikin paucas a ſancti Ferdinandi oppido leucas aberant, neque vicenis plures iſtic pugnatores id temporis numerabantur, aliis per Hiſpanorum colonias graſſantibus. Verum tantam, qui reſiſte-

fifterent, hominum paucitatem fitus natura contra quoscunque tuebatur. A tergo, a lateribus fylvam, a fronte campum paluftrem habuere, qui acceff m hofti difficilem, pugnam periculofam reddebat. Aft Ychoalay more fuo intrepidus relicto equo pedes cœnum altiffimum eluctatus eo pervenit, unde fagittis hoftem petere licebat. Preffere ducis veftigia haud plurimi, iique juniores duntaxat; Cæteri namque provectioris ætatis, fitus difficultate territi, quod tantas inter anguftias locorum, paludes, ac fylvas victoriam defperabant, ex equis fuis, veluti ex orcheftra focios pedites acerrime pugnantes eminus fpectaverunt, recufata femper ancipiti pugna. Hanc fuam ceffationem non timiditati, fed prudentiæ tribuendam effe, mordicus fubinde contendebant ignavi fenes. Juvenes temere, ajebant, in pericula irruere, non quod illis plus animorum, fed minus experientiæ effet, atque adeo, quantum dolerent vulnera, nondum fenfiffent. Verum enimvero illa vetulorum tergiverfatio juvenum audaciam duplicavit, irasque in hoftem exacuit atrocius. Pugnatum eft inter paucos, fed majori virium contentione. Oaherkaikin ternis vulneribus graviffime affectus. Ejus frater, fagitta Gutturi infixa, periculofiffime fauciatus. E reliquis vix unus, qui luculentum vulnus non abftuliffet ex acie, fuperfuit. Quamvis fanguine diffluerent omnes, nemo eorum fua e ftatione vel pedem referre, vel removere ab arcu manum, videbatur, quod & victis & victoribus fane honorificum fuit. Ychoalay in hac telorum procella femper incolumis tres duntaxat fuorum in arena faucios numeravit, facro jam fonte ablutos. Et vero diceres, in cælefti illo lavacro non divinas modo virtutes Indorum animis, fed & militarem ftrenuitatem infundi pectoribus. Illos equidem Abipones, qui Chriftianorum facris fuerant ini-

tia-

tiati, acrius, constantiusque præ reliquis dimicasse, communi fama, atque sermone accepimus. Sauciorum, dum ad nos redierant, vulnera non vidi tantum, sed & curavi. Hapaleolin latus, Laurentii Hispani, Abiponum spontanei captivi, brachium sagitta confixum. Rocho Chiruilin nervus majoris in pede digiti sagitta pertusus fuit. Hic septem hebdomadas, dum denique a me persanaretur, meis in ædibus remansit. Si per sylvarum fauces propius accedi hostis potuisset, hastisque cominus impeti, maxime si vetuli junioribus sociam navassent operam, internecionem neutiquam evasisset, totius provinciæ votis per-optatam. Fervente adhuc pugna adfuere aliquot Oaherkaikin asseclæ ex sanctæ fidei prædiis reduces, unde, patratis Hispanorum cædibus multas equorum centurias adduxere. Hos omnes, dominis mox reddendos suis, prædonibus eripuit Ychoalay, cui ingens præterea equorum, quos vicinis in pascuis Oaherkaikin habuit, multitudo in prædam cessit.

Hæc dum Patre Josepho Klein Parocho absente geruntur, eum, urbisque Correntinæ Progubernatorem literis evocavi, Ychoalay expeditionis ancipitem exitum, & coloniæ nostræ perturbationes veritus. Adfuit postridie sub vesperum cum meo socio, & denis equitibus Hispanis, ac Ychoalay e velitatione paulo post redeuntem amice consalutavit. Primo is aspectu hanc equitum, qui sclopis egregie armati omnes, decuriam suis adjungi Abiponibus a Progubernatore Nicolao Patron postulat, ad Oaherkaikin, implacabilem Hispanæ gentis hostem delendum, confestim rediturus. Tenuibus his auctus Hispanorum suppetiis plenissimam sibi victoriam, uberes victoriæ fructus toti provinciæ pollicetur. Equorum, quos Oaherkaikin contubernales e prædiis Hispanorum raptos hodie ad-

du-

duxerant, agmen exhibet; cædes ab iis patratas, refert eo animo, ut Progubernatorem adverſus Oaherkaikin concitaret; Verum is, pacis cum Abiponibus univerſis retinendæ æquo ſtudioſior, pugnæ repetendæ propoſitum improbavit, disvaſitque. Cum ſauciis manus conſerere, id enimvero ab humanitate alienum ſibi videri, dictitabat, victoriamque ejuſmodi, quantumvis utilem, nil prorſus gloriæ habituram. Allatis ultro, citroque argumentis huic demum, quod Progubernator ſuggeſſerat, conſilio acquievit Ychoalay: Si pacem præ bello mallet Oaherkaikin, ſuis cum contubernalibus iſti ſe coloniæ mox adjungat. Cædibus, rapinis abſtineat: Pacem, amicitiamque univerſis Chriſtianorum coloniis polliceatur. Si quid iſtorum renuat, noverit, ſibi illico in arenam redeundum. Hæc per Yaaukanigam equitem illi mox renunciata, cuius ore reſpondit: Oblatas conditiones ſibi quidem probari. Nunc tamen & ſibi, & ſociis vulneratis vires juxta, ac equos ad iter ſuſcipiendum deeſſe: Perſanatis vulneribus ſe cum ſociis, uxoribus, ac liberis ad hanc coloniam commigraturum. His ex Yaaukaniga nuncio, meque ejus interprete intellectis lætiſſimus Progubernator ad urbem properavit. Et vero fidem exſolvit Oaherkaikin. Ychoalay enim ad ſuos regreſſo, nondum obductis cicatricibus numeroſa cum familia ad nos venit, non religionem docendus, ſed carne bubula exſaturandus, incolarum aucturus numerum, mores corrupturus. Pacis, quam promiſerat, obſervatio tamdiu duravit, quamdiu metus; Hoc liber & ſolum mutavit, & animum, ſemper latro, ſemper latrocinantium Abiponum primipilus.

CAPUT XX.

Abiponum gens univerſa tribus in Coloniis collecta; ſed Hiſpanorum in Quaranios bello infeliciter rurſus diſturbata.

Oaherkaikin ad ſancti Ferdinandi Coloniam cum ſuis aggregato id demum læti ſpectavimus, quod a Caroli quinti Cæſaris, una Hiſpaniarum Regis ætate ad hæc usque tempora Hiſpani Paraquarienſes nequidquam ſibi peroptarunt. Univerſa Abiponum natio in tres colonias tributa denique conquievit, quibus ſubinde quarta acceſſerat. Quæ quidem res & Cœlo, & omni Provinciæ jucundiſſimos polliceri fructus videbatur. Verum eheu! Subitus ex Europa turbo ſpes tantas evertit. Hiſpaniæ, Luſitaniæque potentiſſimi Reges vaſtiſſimarum in America terrarum permutationem inter ſe pacti ſunt, huic utilem utique, ſed illi (Hiſpanos omnes teſtor) perniciosam, periculoſamque. Pactis Regiis ut fieret ſatis, ampliſſima ſeptem Quaraniorum oppida, in litore, quod ſolem orientem reſpicit, Uruquayi fluminis ſita Luſitanis erant tradenda. Triginta duo, a quibus illa habitabantur, Quaraniorum Chriſtianorum millia alio commigrare a Rege Catholico Ferdinando ſexto jubebantur. Eorum templa ſeculi unius, & quod excurrit, ſudoribus conſtructa, ornataque, omnibus aliis totius Paraquariæ & mole, & ſplendore plurimum præſtabant. Privatorum quoque ædes quadrato e lapide, & imbricibus contectæ. Agri tabaca, Goſſy-

pio,

pio, ac omni frugum genere abundantes. Prædia innumeris pecoribus referta. Iſtorum jacturam facere, novam alibi in campis remotiſſimis, parumque idoneis oppidorum fabricam aggredi, a nepotibus denique abſolvendam, arduum id enimvero erat Indis a labore abhorrentibus, & cuicunque etiam Europæo populo intolerabile. Finge, iſta omnia abeſſe. Patrio ſolo æternum exulare, quam hoc acerbum! Heroum Abrahami, & humano majorem celebrat animum divina hiſtoria. Cur? Quia Deo imperante e natali ſolo Chaldæa promptus exceſſit. Dulci patriæ amore capti Quaranii nullis adduci rationibus poterant, ut migrationem ejusmodi a Catholico Rege ſibi imperatam crederent, ad Regios nutus, ſi quæ alia Americæ gens, in alterum jam ſeculum ſemper alacerrimi. Hanc oppidorum, quæ luſitanis, hoſtibus nempe ſuis, relinquenda eſſent, ceſſionem ſupplicii inſtar habuere, quin tamen, quæ illo mulctari poſſet, culpam in ſe ullam deprehenderint, niſi Deo, ac Regi ſerviſſe, culpa putetur. Id datis ad Regium Gubernatorem Joſephum Andonaegui literis copioſe expoſuerant, quas, uti & cætera, quæ ad hoc argumentum pertinent, in libro prodromo memoravi. Eas literas ut artificii, fucique omnis expertes, ſic veritatis, ac candoris pleniſſimas nemo ſine lachrymis perlegit.

Communem hanc, quæ Indorum mentibus altiſſime inſedit, dè Regio migrationis mandato dubitationem flagitioſi quidam Hiſpanorum e vulgo veteratores impudentiſſimo mendacio corroborarunt. Imperatam Regis nomine migrationem Jeſuitarum eſſe commentum, Indis aſſeverabant, quippe qui auro inhiantes ea oppida luſitanis ipſi vendidiſſent. Tam peſtilenti ſuſpicione imbuti Quaranii obſurduere ma-



gis ad Patrum monita, quibus ad accelerandam e Regis mente migrationem quotidie urgebantur. Nullus jam imperiis locus, minis, precibus pondus nullum. Extincto, quo in Patres ut filii semper alias ferebantur, amore sui juris esse palam cœperunt, atque suo pro arbitatu gerere omnia. Ad frangendas eorum voluntates, & ad Regis nutum flectendas quid non egere Patres! Quanta tulerunt! Mortis periculo quoties caput objecere suum! Corona e spinis contexta verticem redimiti lugubrem per fora supplicationem duxerant, tonante, quam frequentes lacrymæ interrumpebant, voce, ut Regiæ voluntati obsecundarent, e pulpito obtestati, hortatique sunt collectum in templo populum. Præter miserabiles ejulatus, ac futilia promissa extortum est nihil. Transmigrabant non nulli, quibus mitiora pectora, postridie soli patrii desiderio victi ad lares rediere suos, obfirmato ad extrema quæque animo. Cum armis exturbandos se se viderent denique, armatis lusitanis, & qui suppetias dein' venerant, Hispanis armati obstitere aliquamdiu. Ad pacem, obedientiamque suos ut revocarent, nullum non lapidem moverunt Patres Cum nihil proficerent, prudentiæ erat, ac necessitatis tolerare, quod impedire neutiquam licebat, nisi cum majorum calamitatum periculo. Cavendum juxta, ac metuendum fuerat, ne rigidiori in Quaranios Uruquayenses severitate irritati pariter Paranensium oppidorum incolæ cum illis armorum ineant societatem. Patrum aliquis, cui audaciæ plus, quam consilii erat, dum suos per vim armis exuere conabatur, ab Indo efferato jam jam hasta configendus fuit, ni alter irruentis impetum repressisset. Parum abfuit, quin nostrorum hominum quispiam, qui migrationis negotium curaturus Uruquayum flumen transmittebat, globo plumbeo necaretur. P. Salvator Quintana

Cata-

Catalaunus ſuos ad ſeditioſorum caſtra jam jam abituros ut primum intellexit, publico ſe ſe mancipavit carceri, negavitque ſe inde exiturum prius, quam armis poſitis eos tranquillos domi conſidere, noſſet. Infinitus ſim, ſi alias aliorum induſtrias, periculaque recenſeam. Verum enimvero nullis jam coerceri frenis Quaraniorum poterant animi, nec a belli propoſito averti. Vim vi repellere, pro aris, & focis pugnare ratum illis, fixumque fuit.

Hunc in finem Joſephum aliquem oppidi ſancti Michaelis, hoc extincto, Nicolaum Neengiru Conceptionis prætorem atavis, avis, ac genitoribus Quaraniis ortum, ducem ſibi delegere; Hunc Paraquariæ Regem, Hiſpanum e provincia Bætica oriundum, Jeſuitam, & quid non? Impudenter, imprudenterque, editis etiam in lucem publicam libellis pluribus finxerunt, nobis, qui nudipedem hunc, & quotidianis oppidi laboribus occupatum Indum præ oculis habuimus, jam ridentibus, jam indignantibus. Hanc fabulam a Machiavello quodam progenitam invidia, malevolentia, credulitasque hominum educavit, & non per Europæ provincias modo ſpargere, ſed & Auguſtiſſimis aulis pro veritate obtrudere eſt auſa. Quamvis qui Chimæricum hunc Paraquariæ Regem confinxit, adeo veriſimilitudinis ſpeciem neglexerat, ut ſibi fidem adhiberi noluiſſe videretur. At enim ut fame ſæviente obſcæniſſima quæque, ac ingratiſſimi ſaporis ab eſuriente devorantur, ſic nihil usquam eſt tam abſurdum, tam a veritate alienum, quod a novitatum avidis, credulisque mentibus non credatur. Homines acephalos, pigmæos cubitales, gigantes immanes, uno ſolum, qui pectori inſideat, oculo inſtructos, alia, neſcio quæ ridicula monſtra Americæ affinxerunt quidam, neque tamen poetis, ſed hi-



historicis vulgo adnumerabantur. Idem famosis de Rege Nicolao Libellis fatum erat. Putidam hanc fabulam risu, quam refutatione digniorem in libro tamen prodromo refutavi, ejus fines, ac genesim detexi ingenue. Rudioribus, dedoceri errorem suum qui velint, ejus lectio proderit; Rerum peritioribus superflua videbitur. Mihi in Europam reduci primi nominis Princeps affirmaverat: Rumoris de Nicolao Rege falsitatem multis abhinc annis certam sibi omnino, atque exploratam fuisse. Hanc ephemeridibus Matritensibus anni 1767. confirmari, alias scripsi. Post varias belli vicissitudines, quas alibi obiter attigi, septena illa oppida Hispanis dedita sunt, sed a Lusitanis non acceptata, quod omne id ad Uruquayi ripas territorium somniatis auri, argentique fodinis vacuum ipsi demum comperissent. Indorum exulum quatuordecim circiter millia per Uruquayenses campos pecorum more sparsa; Totidem prope, Uruquayo trajecto, per Paranæ oppida distributa sunt, ubi victum precarium ex popularium suorum beneficentia, ac tumultuaria e stramine tuguria in beneficiis numerabant, qui nitidas e saxo candido ædes reliquere. Verum Carolus tertius a Neapolitaneo solio ad Hispanicum translatus fratris nuper extincti Ferdinandi sexti pactam cum Lusitanis terrarum permutationem, quam numquam probaverat, rescidit, limites in Paraquaria positos evelli, Lusitanis bellum indici, Quaranios exules ad sua redire oppida jussit, a Jesuitis, ut semper alias, recepto more dein procuranda. Sed heu! quam funesta oppidorum, antea florentissimorum, facies post triennalem incolarum absentiam! o quantum Niobe Niobe distabat ab illa! Ager erat, ubi Troja stetit. Templa splendore nuda. Prædia pecoribus exhausta. Ædium parietes, tectaque Cœli, militumque injuriis lacera. Ædificiorum pars in cine-

cineres redacta. Agri cultoribus destituti sylvescentes, ac loliis obsiti. Tota late vicinia tigridum, anguiumque sedes. Humanis usibus restituere omnia hoc opus Patrum, hic labor Indorum. Quæ superiore triennio periere, vix seculi unius industriis, artibusque seu pensari, seu redintegrari posse videbantur. Verbo: Uruquayenses Quaranii prius omnium opulentissimi ab exilio reduces omnium egentissimi fuere. Verum patriæ, ad quam immortali Regis Caroli beneficio redierant, dulcedo calamitatum amaritiem abstersit.

Tanta Quaranicæ gentis tragoedia Abiponum animos ab Hispanis avertit, ac conterruit, recentesque illorum colonias, ut pruina teneros flores, miserandum in modum labefactavit. Hispanos, quot quot usquam vicinis in urbibus bello pares, adversus Quaranios a Gubernatoribus evocari, oculis ægerrimis aspexere. Cognoverunt belli causam, sed neutiquam probarunt. Si tanta est Hispanis belligerandi lubido, ajebant, eccur in Quaycurus, in Aucas, in Chiriguanos, in Yaapitalakas aliosque perniciosissimos populos arma non convertunt? Cur Quaranios amicos fidissimos, de Rege, de Regiis Castris optime meritos insectantur? Adeone versatilis Hispanorum est amicitia? Adeone curta illis ac imbecilla memoria, ut obsequiorum, quæ sibi Quaranii usque præstiterant, obliviscantur? Ejusmodi querelæ, & admirationes in omnium ore, ac animis versabantur quotidie. Audiente me, sed latente Abipones quatuor ætate graves hoc de argumento sermonem miscuere. Memineritis, ajebat horum quispiam, laudum, quibus celebrari Quaranios adhuc pueri audivimus. Caput a sacerdote ablui suum patiuntur singuli. Templo intersunt quotidie. Trecentis laboribus non occupantur

tur modo, ſed & delectantur. Ut Regiorum Præfectorum imperiis faciant ſatis, nec ſudori, nec ſanguini parcunt ſuo. Sacerdotibus ſuis ad ſtuporem usque morigeri, nemini mortalium noxii, in omnes ſumme officioſi omnium ore dicebantur. Tales quamquam fuerint, ex oppidis jam, domibusque ejiciuntur ſuis. Vobiſcum jam, quæſo, reputate, de nobis quid acturi ſint demum Hiſpani, qui baptiſma usque refugimus, a templo abhorremus, aratrum, ſecures, agriculturam recuſamus, non raro latrocinatum excurrimus, & licet plerique Hiſpanorum cædibus jam abſtineamus, eorum tamen, quotquot nobis arriſerint, equos abducimus etiamnum. Quæ nos, amabo, fata manent? Si Quaraniis amicis optimis haud pepercere Hiſpani, in nos, qui boni eſſe nondum cæpimus, quid non audebunt? Uno in oppido collecti eorum patemus inſidiis diu noctuque; Per camporum, nemorumque avitas latebras ſparſi a periculo longius abfuimus. Hiſpanorum ut propinquitatem, ſic amicitiam nobis eſſe periculoſiſſimam, Quaraniorum exemplo luculentiſſime docemur. Quid vetat, majorum noſtrorum more in campo vivere? Hæc ille, hæc alii plerique omnes Barbari diſſerebant. Neque res intra verba ſtetit. Complures ſive Hiſpanorum in Quaranios duritate exacerbati, ſive Hiſpanorum amicitiæ porro diffidentes, ſive oblata per militum abſentiam latrocinandi opportunitate allecti ex oppidis exceſſerunt En! Belli Quaranici acerbiſſimos toti provinciæ fructus!

Ipſo die, quo Nicolaus Patron cum Correntinorum equitum centuriis in Quaranios profectus eſt, Oaherkaikin jam metu ſolutus Coloniæ S. Ferdinandi cum ſuis contubernalibus vale dixit, ruri, ut alias, & rapinis victurus. Ejus exemplum alii aliarum co-

lo-

loniarum incolæ ſunt ſecuti. Quid, quod ab Ychoalay quoque defecerint non pauci, quos inter Neotenkin, & Nauahakin ſanguinis propinquitate illi conjuncti, Veteranique ejus commilitones. Hiſpanorum urbes, pagosque, viris ad Quaranicum bellum evocatis, a ſolis prope fœminis, ac imbelli populo habitari, ſeque per indefenſa ubique prædia, quoquo luberet, tempore graſſari impune poſſe, perſpexerunt. Tam bella occaſione uſi non Hiſpanorum modo, ſed & Abiponum, maxime ſancti Hieronymi, Colonias omni virium contentione inſectabantur. Deſertus a pluribus ſuorum Ychoalay, atque adeo ab adverſariis exploſus ſuis, quod jam nec juvare Hiſpanos, nec ab illis juvari poſſet, Quaranico bello occupatis. Haud tamen fidem in eos mutavit ſuam, nunquam animo concidit. Ubique, quibus licebat ſeu viribus, ſeu artibus, hoſtili ſe procellæ intrepidus objecit. Prædium illi erat ad amnis Malabrigo ripas numeroſis armentis, ovium gregibus, & equis dives. Hoc a nullis tunc cuſtodibus defenſum, a pauculis tamen mulieribus habitatum ingens Abiponum hoſtilium, Mocobiorum, ac Vilelarum agmen repente invaſerat. Nemine repugnante abactis pecoribus, captisque fœminis vetulam libertate donatam ad oppidum ablegant, quæ Ychoalay nunciaret: Capta a ſe illius pecora, & ſi illa recuperandi lubido eſſet, ſecum conflicturus ad propinquum fluvium Ychimaye veniret, ejus in litoribus ſe ſe præſtolaturos. Nuncium a vetula allatum Ychoálay pro claſſico fuit. Cœlo quamvis procelloſo, frigidoque ira exardeſcens cum ſuorum manipulo ad condictum locum advolavit. Vidit hoſtium multitudinem, omni telorum genere invaſit, vicitque feliciter. Sat multi hoſtium cæſi, complures vulnerati, fugati reliqui. Et vero omnium erat ſententia, occidionem evaſurum fuiſſe neminem, ni Y-

choalay brachio ſagitta transverberato ſaucius pietate intempeſtiva in victos uti maluiſſet, quibus, domum redire ut poſſent, ipſe equos indulſit. Idem recuperatis pecoribus, captivisque oppidi mulieribus, vulnere luculento, & inſperata victoria inſignis rediit, hoſtibus tanto metu conſternatis, ut ne ſuorum quidem cadavera, quod maxima alias religione procurant, ſecum aſportarint, tigridibus, corvisque paſcendis in campo dies aliquot relicta. Concubia alias nocte, indicio, neſcio quo, expergefactus Ychoalay equo, qui ad manum erat, conſcenſo ſpeculaturus omnia excurrit. Vix triginta paſſus ſuis ab ædibus remotus binos Tobas exploratores deprehendit; Cepitque. Captos ad S. Xaverii oppidum ab Abiponibus bene cuſtoditos remiſit, ubi Tobæ nonnulli Mocobiis aſſociati degebant. Militum Hiſpanorum abſentia Abipones, cæterosque palantes Barbaros indies reddidit audaciores, nocentioresque toti provinciæ. Viarum, prædiorumque, quin & ipſarum urbium ſecuritatem omnino ſublatam univerſi lamentabantur. Barbarorum crebræ incurſiones eo erant funeſtiores, quod illi, qui hoſtibus repugnabant alias, Quaraniis amicis oppugnandis fatigarentur, ut adeo publica calamitas morbo inſanabili perſimilis videretur, qui profligatur nunquam partim, quod, qui mederi noſſent, deſint, partim quod remedia ipſo morbo periculoſiora putentur. Tentatum tamen eſt aliquid in Barbaros aggreſſores, ſed ſucceſſu Barbaris, quam Hiſpanis, ſecundiore.

CA-

CAPUT XXI.

Hiſpanorum in Abipones graſſatores irrita expeditio.

Viſum eſt denique urbium ſanctæ fidei, & ſancti Jacobi Progubernatoribus, Abipones Coloniarum ſuarum deſertores in remotiſſimis Boream verſus ſtativis invadere, eorumque latrocinandi intolerabilem licentiam ſeu plectere, ſeu coercere. Franciſcus Vera Muxica cum quinquaginta, qui contra Quaranios militare recuſaverant, equitibus ſantafeſinis in oppido ſancti Hieronymi cum Franciſco Barreda ſe conjunxit; Hic quinque Jacobopolitanorum ſuorum centuriis equeſtribus ſtipatus Abipones quoque Conceptionis oppidi incolas cum Caziquiis Malakin, Debayakaykin, Ypirikin expeditionis ſocios ſibi adlegerat, viarum ſcilicet, & ubi abdere ſe ſolent Barbari, latebrarum omnium ſcientiſſimos. Dierum aliquot itinere triginta amplius leucas ſeptentriones verſus emenſi locum a porcis aquatilibus celebrem (Atopehenřa Lauatè) attigerunt, quin, quos quærebant, Abiponum perduellium vel umbram deprehendiſſent. Ab iſtis equidem ad notos ſylvarum, lacuum, paludumque receſſus, pergama illa ſua, ſe recipientibus eludebantur quotidie Hiſpani, ac itinerum celeritate vincebantur. Ad ſylvæ cujusdam marginem, quam amnis vadi expers defendit, Abipones ſeptem armati oſtentarunt ſe ſe, & prætereuntes Hiſpanos ludibrio ad pugnam provocarunt. Ludificationem haud tulit Ybarra vigiliarum præfectus ſtrenuus. Cum ſolis



quinque Jacobopolitanis ſuis natando transmiſit amnem. Sed cum, quos ſecuturos ſperabat, commilitones tergiverſarentur alii, alii cunctarentur, remenſus celeri natatu iter in viam rediit, ne præcipitante jam in occaſum ſole, tenebris, & Indorum, qui ſylvam inſederant, latentium multitudine opprimeretur. Alibi hoſtes equos ſtrigoſos, mancos, macie, ſenioque ſquallentes in via relictos Hiſpanis, ceu opimam prædam ludibundi propinarunt; Eadem in ſtatione Abiponem claudum, annisque confectum veluti equorum cuſtodem collocaverant, quem Hiſpani nec citra moleſtiam captivum abducere, neque citra inhumanitatis notam mactare poſſent. Spe congrediendi porro cum hoſtibus abjecta denique, equis miſere defatigatis, vacuisque manibus inglorii prorſus domum regreſſi ſunt Hiſpani. Jacobopolitanis equitibus in itu, ac reditu leucæ quadringentis plures per vias fere arduas emetiendæ fuerunt. Haud defuere, qui optimum Barredam culpandum putent, quod Debayakaikin ac Malakin Caziquios itineris Comites ſibi adſciverit. Iſti enimvero, etſi Hiſpanorum amiciſſimos ſe ſimularent, re tamen ipſa proditores videbantur. De popularium ſuorum incolumitate, quam de Hiſpanorum victoria magis ſolliciti, quoquo illi ſe converterant, per fidos nuncios vagis Abiponibus clanculum ſignificabant, cavere ſibi tempeſtive, & Hiſpanorum propinquitatem evitare ut poſſent. Enimvero mihi certiſſimum plane eſt, hanc Hiſpanorum excurſionem ſecundiores exitus fuiſſe habituram, ſi excluſis Abiponibus ſociis ſolus Barreda cum quinis Jacobopolitanorum ſuorum centuriis veniſſet. Verſipellem Debayakaikin jam, dum Barredam comitabatur, acerbo in Hiſpanos animo fuiſſe vel ex eo conjicias, velim, quod paulo poſt cum contubernalium ſuorum reliquiis e Conceptionis oppido profugus cæte-

teris, qui dudum ad ſeptentriones præceſſerant, ſe aſſociarit rurſus, Hiſpanorum jam palam inimicus. Verum, quod mox intelliges, in hac ſtatione & vivere, & timeri deſiit.

Poſtremus duorum Progubernatorum conatus, quia irritus, Abiponum veterem confirmavit opinionem: Se quamdiu ruri ſparſos, ſuique juris ab Hiſpanis domari, vincique haud poſſe. Quæ fiducia eorum iras, animosque duplicaverat ad provinciam viis, viribusque omnibus dein' vexandam. Trium illorum Abiponum, quos ab Yehoalay captos, eodemque ſvaſore ab Hiſpanis in Caſtro Montevideo vinculis mancipatos alibi dixeram, vel ſola recordatio Abiponibus Nakaiketergehes vulnus erat acerbum, quodque non niſi fuſo liberaliter Hiſpanorum ſanguine conſanari haud poſſe unquam, dictitabant. Ad hos placandos itaque ſanctæ fidei, & ſancti Jacobi urbium Progubernatores libertate donari tres illos captivos, ſuisque reddi popularibus a Boni aeris Gubernatore poſtularunt. Auditi ſunt. Verum unde remedium turbatæ Provinciæ expectaverant, ſævior inde peſtis, ac pernicies in Hiſpanos redundavit. Compedibus, carcerique immortuus dudum fuerat alter, cujus nomen memoria mihi excidit, Alter, Zapancha, dum fugam meditans alta ex turri præcipitem ſe dedit, ſpinam dorſi labefactavit, jam impar faciendo itineri. Solus Pachiekè, Alaykin Cazquii filius, ſuperſtes redire ad ſuos permiſſus fuit.

Hic ad ſuos redux, incredibile, quam effuſis lætitiæ ſignificationibus ſit acceptus. Conjugem ſuo cum patre Ypinnerchin in ſancti Hieronymi oppido degentem reviſit ſuam. Diſſimulato, quo in captivitatis ſuæ authores Riikahes æſtuabat, vindictæ ſtu-



ſtudio, paceque tranquillis moribus callide ſimulata talem ſe finxit, ut injuriarum immemor, melioris frugis appetens, avidus quietis, verbo, ſibi diſſimillimus jam videretur. Verum ſub cinere gliſcens ignis in flammas denique erupit, majoris incendii cauſas. Re cum ſectatoribus ſuis clanculum deliberata ex oppido ſancti Hieronymi ſe cum ſociis proripuit, & ne cujusquam formidine id egiſſe putaretur, fugæ inſignem rapinam adjecit. Equorum enim, remotioribus in paſcuis qui alebantur, prægrandem multitudinem noctu abduxit. Accelerato ad Boreales plagas itinere contubernii una, una armorum ſocietatem cum Debayakaykin renovabat. Ætate florens, forma liberali, ad quidvis audendum projectus, & Latrocinandi peritiſſimus cum eſſet, ejusdem ætatis, ac propoſiti homines geſtienti ad eum ſequendum animo turmatim affluxere, illius ductu Hiſpanorum Colonias vexaturi. Profecto vix provinciæ angulus erat, quem infeſtis incurſionibus non afflixiſſent. Cædes editas, rapinasque minutatim recenſere haud vacat. Sancti Hieronymi oppidum cumprimis illi ſcopus fuit, ad quod conterendum, vaſtandumque ejus rabies collineabat. Incolarum tamen vigilantia, & alacritas ejus ſpes perinde, ac conatus fere eluſit.



CA-

CAPUT XXII.

Debayakaykin Caziquius ab Ychoálay in acie obtruncatus. Ejus caput e furca ſuſpenſum.

Præclari defenſoris laude haud contentus Ychoálay in Debayakaykin Latrocinantium Ablponum archiſtrategum, ac veluti totidem capitum hydram excurſionem ſuſcepit, multis ſane nominibus memorabilem. Neglectis Hiſpanorum, Mocobiorumque amicorum ſubſidiariis turmis, ſuorum ſtrenuiſſimos duntaxat, & probatæ fidei omnes, itineris ſocios ſibi adſcivit. Diebus aliquot progreſſus Debayakaykin contubernium in propinquo eſſe ut advertit: Redeamus, exclamat. Belli aleam experiri haud expedit nobis. Formido, neſcio, quæ animum inceſſit meum. Peregrina mihi ſemper res, ut ipſi noſtis, vel extremo in diſcrimine trepidatio fuit. Infauſtum hoc utique omen. Siniſtrum quid, mihi credite, inſolens pavor nobis portendit. Agite, redeamus. Hæc ceu ex tripode dicta reveritis ſociis, & jam jam terga vertentibus: Heus vos, alter inquit, vacuis redire domum manibus nos ecquid non pudeat? Sceleſti Pachieke equos vicino in campo paſci, nullis cuſtobus defenſos, novi. Quid vetat, gregem integrum abducere equorum, ad eorum, quos nobis abiens rapuerat, jacturam reſarciendam. Probatur conſilium, & præda, repugnante nemine, potiti reditum parant. Pachiekè interea forte obequitans, campum equis vacu-



cuum conſpicatus, & quod res erat, e veſtigiis prædones Riikahes ſuſpicatus ad Debayakaykin curſu citatiſſimo advolat, equorum raptum lamentatur, auxilia poſcit, aſſequendorum, mulctandorumque hoſtium ſpem facit ampliſſimam. Nec mora: Quotquot propinqui Abipones Debayakaykin duce premendis Ychoálay veſtigiis certatim inſiſtunt, quem paulo poſt deprehenſum ad pugnam laceſſunt. Pedites, recepto more, ad unum omnes manus conſerunt. Utrinque haſtis, ſagittisque certatur atrociter aliquamdiu. Victoria penes Riikahes fuit. Debayakaykin equidem ſuorum Hector ab Ychoálay haſta trucidatus, alii ab aliis, & vero, ut communis fama tulit, ne unus quidem hoſtium cladi ſuperfuiſſet, ni victor dux furore in clementiam verſo ſuos a cædendis reliquis cohibuiſſet: Hos de vulgo Indos, clamitabat, ſibi haud culpandos videri, qui, ſolum ut duci morem gererent, arma ſumpſiſſent. Pachiekè cum ſuis fugiens, ac de ſe magis, quam de Debayakaykin ſervando anxius palam fecerat, ſibi multum animorum eſſe, dum contra inermes, imparatosque res eſſet.

Debayakaykin, & nobiliorum quinque capita a cervicibus reſecta pro trophæis aſportavit Ychoalay. Triumphantis more oppidum ingreſſus obviis e ſtipitibus patibulum in foro parari, ſuſpendique ex eo allata quinque capita imperat Eodem loco ſuis ſtipatus equitibus ad circumfuſam multitudinem eques verba fecit, converſis in roſtra ephippiis: En! ajebat, intento in furcam digito, violatæ toties fidei ſupplicium! En trophæum noſtræ virtutis! His jam oculos veſtros paſcite exuviis primipilorum hoſtilium, per quos reſpirare multo abhinc tempore vobis nunquam licuit, quorum cauſa inſomnes excubiis

noctes, ardua itinera, vulnera acerba eheu toties toleravimus! Bello in hæc usque tempora protracto, Martis alea iterum, ut noſtis, iterumque tentata eſt. Iſte (Debayakaykin) conjurati in noſtram internecionem populi anteſignanus nec vincere nos unquam potuit, neque vinci. Variam ſemper, ancipitemque belli fortunam, annoſam litem magnus ille dies diremit denique, dum de pugna ne cogitantibus quidem nobis, &, ut omnia dicam, veluti tergiverſantibus victoriam obtruſit illuſtrem, quam vix poſteri credant, quam nobis invideant complures. Aſſilientes cum fremitu hoſtes impavide excepimus, alacriter repreſſimus, feliciter debellavimus. Fortunæ aliquantulum, per me licet, tribuatis, plus tamen ſtrenuitati noſtræ deberi victoriam dummodo fateamini. Vel oculis veſtris teſtibus, res iſta omnis ſic peracta eſt, ut nec me commilitonum, quos delegi, poeniteat, neque vos ducis, cui obtemperaſtis, pudeat. Cervicibus veſtris minax qui inſtabat tamdiu, hac demum exanimatus haſta & minari, & timeri deſiit. Exanimis nec formidari porro a vobis poteſt, nec plorari debet, lachrymis, quibus aliorum manibus parentare ſoletis, omnino indigniſſimus. Quamvis enim ſanguine nobis propinquus, animo a nobis alieniſſimo usque vixit; Quidquid odiorum, quidquid fraudum, quidquid furoris, vel impetus fuit, id omne in nos torſit, effuditque frequenter. En caput tantarum proditionum olim officinam! Jam perfido inſultate, verum diſcite, ne quem veſtrum idem aliquando fatem maneat, datæ Hiſpanis fidei memores, probitatis tenaces, mihi de veſtra incolumitate ſollicito morigeri eſſe Hoſtium viles reliquias tanti haud facio, ut noſtro eas metu dignas exiſtimarem. Pugnaciſſimi interiere. Superſtites aut ignavi ſunt, aut fugaces, & vel ideo nondum exſtincti, quod vel oculos ſu-

fugerunt noſtros, vel manus. Fonte exhauſto rivuli areſcunt. Reſecto cenchridis capite, reliquum etſi moveatur corpus, innoxium eſt, & paucas intra horas contabeſcit. Sublatis ducibus, quorum hic capita intuemini, inimica factio aut victoriæ deſperatione, aut internecionis metu ſenſim miteſcet, amicitiamque poſitis ſimultatibus prenſabit noſtram. In hunc fere modum peroravit Ychoalay e duce factus Rhetor, omniumque in ſe & oculos, & aures convertit; Namque verba factis, linquam manibus reſpondere, nil dubitarunt. Neque putes ejusmodi orationem Barbaro homini a me affingi, quod Ingæ Garzilaſſo de la Vega nonnulli proprium ſuſpicantur, qui ſuæ de Peruvianis rebus hiſtoriæ longiores Indorum orationes inſperſit. Quidquid de hoc ſit, tot annorum experientia didici, Abipones, Quaranios, aliosque Americanos de argumentis ſibi perſpectis non prolixe modo, ſed & eleganter diſſerere, metaphoris, figuris Rhetoricis, ſimilitudinibusque, quidquid aſſerunt, pro ingenii ſui modulo exornare. Illud mihi indubitatum, Americanos quantumvis barbaros præ ruricolis huiatibus promptioris eſſe linguæ, diſertiorisque.

Hoſtiles illæ Calvariæ a vetularum choro non ſine lugubri carmine ſub veſperum quotidie e furca depoſitæ, noctu in domo tutiori cuſtoditæ, & quovis diluculo a vetulis cantillantibus in furca repoſitæ fuerunt diebus aliquot Ychoalay jubente, ne ab inimicæ factionis ſtudioſiore quopiam (Haud enim deerant id genus homines) noctu clanculum ſurriperentur. Mortui Debayakaykin filii quatuor, e diverſis ſinguli matribus nati, ad Ychoalay contubernium receperant ſe ſe, idque a Patre, dum viveret, ſuo juſſos id præſtitiſſe, fama accepi; Verum paulo poſt

ab

ab Ychoalay convictu abstracti cum popularibus suis vagari cæperunt, amicitia in æternum ejus odium conversa. Nemo tamen istorum, quamvis ætatis sat adultæ, dignus a suis habebatur, qui Patris demortui loco Caziquii munus gereret. Gens tota in manipulos sparsa pro arbitratu suo consociabatur. Oaherkaikin partes alii, alii Pachiekè secuti sunt; Plerique tamen Revachigi, deinde Oahari dictum, genere plebejum, juvenem, factis tamen, corporis, animique dotibus præ quovis veterano eximium sibi ducem delegerant, de quo plura alibi.

Abipones Nakaiketergehes per varia quamvis contubernia distributi concordibus semper animis, viribusque, quantum licuit, consociatis adversus Riikahes bellum sunt prosecuti, recenti Debayakaykin cæde eorum iras ad vindictam stimulante. Pachiekè Cordubensibus pertinaciter infestus ab iisdem denique per insidias in campo cæsus occubuit. Ejus mors nova hostilium adversus Hispanos excursionum occasio exstitit, ac incitamentum. Infinitus sim, si vel causas identidem novas, vel successus semper varios hujus belli enumeravero, quo sancti Hieronymi oppidum misère afflictum, rei domesticæ, religionisque progressus retardatus, Patrum, qui Indis instituendis operam dedere, patientia incredibiliter exercita fuit. Etsi cum rerum inopia, quotidianis vitæ periculis, hostiumque machinationibus ad viginti annos conflictandum sibi esset, de deferenda tamen colonia cogitarunt nunquam, idque demum consecuti sunt, ut præter Ychoalay octingentis plures Romanis sacris initiatos anno 1767. læti spectarent. His si adnumeres infantes, vel adultos variolis, morbisque aliis extinctos, qui salutari fonte expiati sunt, messem operis Apostolicis non pœnitendam obtigisse, judicabis.

CAPUT XXIII.

Coloniæ Abiponum a Conceptione divinæ Matris nuncupatæ origo, & principia.

Christophorus Almaràz hujus coloniæ author dici potest; Certe occasio fuit. Is Hispano genere in S. Jacobi ad flumen saladum agro ortus adhuc puer bello captus est ab Abiponibus. Hos inter educatus vultu, sermone, animo, moribus barbarum expressit. Barbarorum nemo Hispanis illo infensior, infestiorque erat, ut adeo cædibus, Latrociniisque insignis ab Abiponibus ipsis pro Abipone haberetur. Non civitate modo donarunt illum, sed & fœminæ apud se nobilioris conjugio præter morem dignati sunt. Hæc jam aliquoties ex illo mater cum aliis quam plurimis, quas Barreda assiliens, ut dixi, ceperat, ad S. Jacobi urbem abducta est. Conjugis recuperandæ spe, ac desiderio Almaraz cum Alaykin Caziquio suo egit diligenter, ut coloniam suis condendam contubernalibus a Barreda flagitaret; Certissimum id fore, atque unicum remedium, quo in libertatem restituerentur captivi omnes, affirmabat. Oratorem hoc in negotio se se, fecialemque obtulit præterea. Probatis ab Alaykin, jam pacis avidiore, consiliis Almaraz sine Comitibus, sine armis in viam se dedit, & leucas centenis plures emensus nocturnis fere itineribus in sancti Jacobi urbem irrepsit. Ut enim erat vultu Abiponum more stigmatibus insignito, linguæque duntaxat Abiponicæ gnarus Hispanorum oculos anxie de-

eli-

clinabat, ne in campo ab illis deprehensus pro Abipone haberetur, cæderetúrque. E voto cessit negotium. Namque Barreda pacandæ gentis Barbaræ, Christoque adjungendæ cupidissimus Almaraz coloniam petentis precibus cum voluptate subscripsit, quamvis, quod Abiponibus tam facilem se præberet, a Jacobopolitanis non paucis reprehensus, qui scilicet captivorum Abiponum, quos reddere oportebat, servitio destitui noluere, privatæ utilitatis, quam publicæ sitientiores.

Joannes Victorinus Martinez del Tinéo, qui sub id tempus ad gubernandam Tucumaniam advenerat, ad illam Colòniam accelerandam, stabiliendamque plurimum attulit momenti. Vir militaribus animis præstans, ingenio, manuque promptus, ac eximia in Deum pietate illustris eo curas omnes convertit, ut Indos, quibus solenne ad vastandam provinciam e chaco erumpere, in ordinem, ac colonias redigeret, Deo, Regique subjiciendos. Et vero, multa in hunc finem etsi præclare præstiterit, multo plura erat præstiturus, si vires votis pares, si Hispanos, Indosque magis morigeros habuisset Gubernatoris sui fultus auxiliis Barreda, explorataque per repetitum colloquium Alaykin Caziquii voluntate novam coloniam condidit ad amnis, quem Hispani Inespin, Abipones Narahagem vocant, ripam, qua solis ortum respicit, leucas novem a magno flumine Parana, sexaginta ab urbe sanctæ fidei, septuaginta supra centum a S Jacobi territorio distantem. Carpebatur a Jacobopolitanis suis Barreda, quod coloniam tanto terrarum intervallo ab urbe removerit, unde, quid quid necessarium foret subsidiorum, petendum, magno incommodo, majori ob locorum solitudinem periculo adferendum erat. At enim ip-



si Abipones, quorum desideriis refragari nefas putabat prudens Barreda, eum coloniæ situm designaverunt, cætera neutiquam malum. Placido enim colli oppidum insederat. Cœlo gaudebat mirifice temperato, quod nec caloribus efferveſceret æstivis, neque pruina unquam, vel aura rigidiori afflaretur. Amnis vicinus aqua salubri, campus latissime quaquaversus patens pabulis, sylvæ propinquæ arboribus frugiferis, foco, & cuivis fabricæ idoneis abundaverant. Ferarum, quæ venationi optabiles, incredibilis varietas. Palmarum, quæ dapes Indis præbent diversas, omne genus in propinquo. Quidquid humanis usibus necessarium, in promptu erat, lapides, & metalla, quorum ne vestigium quidem illis in finibus, si excipias. Per immensam planitiem, quæ meridiem versus porrigitur, multa equorum errantium millia passim oculis occurrunt, quos capere ut fas cuique, sic volupe Abiponibus. Lutræ, quarum carnes cibum, pelles adversus auram rigidiusculam Austro afflante pallia præbent, stagna, lacus, rivosque omnes implent. Par porcorum aquatilium frequentia. Solum omne gleba gaudet frugum feracissima, & sementi cuicunque mire propitia. Tantæ opportunitates, hanc ut coloniæ stationem deligeret, Alaykin Caziquium impulere. Reliqui quoque ejus contubernales hunc situm magnopere probarunt, quippe qui insidiis vacare eo certius videbatur, quo longius ab Hispanorum urbibus abesset. Amnes, vadi sæpe expertes, stagna prægrandia, paludes, lacusque ad plures leucas porrecti moram incredibilem injiciunt ex sancti Jacobi territorio ad coloniam hanc transituris. Ne subito Hispanorum adventu opprimi possent, illis in stativis, quæ natura sylvis, paludibusque muniverit, quam quæ hastis, telisque defendenda, plus sibi esse præsidii putant Abipones; Nullis equidem

seu

ſeu pollicitationibus adduci poſſunt, ut eorum amicitiam, ac fidem deſinant habere ſuſpectam.

Tumultuario, ut iſtic moris eſt, opere e ſtipitibus limo illitis ſacra ædicula, Patrum, Caziquiique tuguria militum manibus, Barreda præſente, jubenteque, conſtructa ſunt. Ab eodem aliquot Caziquiorum proles teneræ ex ſacro fonte ſuſceptæ. Oppidum Patrum Joſephi Sanchez Murciani, & Bartholomæi Araóz Tucumanenſis curæ creditum, in cujus locum paucos poſt menſes Laurentius Caſado Caſtellanus fuit ſuffectus. Alaykin non generis prærogativa, ſed meritis militaribus Caziquius toti coloniæ præfuit. Vir bonæ mentis, placidæ indolis, candoris eximii, intrepidi ad omnia animi; Hinc ut charus ſuis, ſic Hiſpanis formidandus, quorum colonias annos plurimos incurſionibus fatigabat. Cordubenſis maxime, & Jacobopolitanus ager exitialem ſibi hoſtem, implacabilemque eum ſenſit. Compotationibus ſolitis quamvis crebro interfuerit, in eo tamen erat eximius, quod a rixis, altercationibusque, quas temulenti miſcent, ſemper abhorreret. In una per omnem ætatem, eademque conjuge acquievit, binarum filiarum, filiorum totidem genitrice. Corporis vigor omnes, ac venuſtas commendavit. Natu maximus erat infelix Pachieke, de quo mihi paulò ante ſermo, Patri eheu ſuo quam omnia diſſimilis! quamvis, ut corporis, animique ornamentis, ſic militari gloria haud dubie Patrem præcelluiſſet ſuum, ni juvenili æſtu abreptus, auſusque viribus majora præcoci fato occubuiſſet. Alaykino Caziquii Malakin, Ypirikin, Oaikin, & Zapáncha, ſuis quisque cum contubernalibus, haud multo poſt ſe adjunxere, ut adeo tot familiarum acceſſione recens colonia mirum in modum augeretur. Affluxerant iſti Barbari

veſtium, munuſculorum, carnisque bubulæ, quæ ſingulis obtingit quotidie, ſpe allecti. Neque ſpes illos fefellit. Namque coloniæ hujus prædio diligentius, liberaliusque, quam aliarum, proſpectum eſt. Præter illa enim pecora, quæ Barreda opulentiores inter Hiſpanos ſolertiſſime conquiſiverat, Gubernator Martinez Peruvii Pro-rege Comite Manſo de ſuperunda probante ſumptis ex ærario Regio nummis duo boum millia primum, totidem alias coemit, miſitque tum procreando fœtui, tum alendis Abiponibus deſtinata. Hic numerus aliquot poſt annos ad viginti boum millia Patris Joſephi Sanchez induſtriis accrevit, multis licet millibus Abiponum voracitate conſumptis.

Reduces Hiſpanorum ex captivitate fœminæ negotii plurimum, faſtidiique Patribus faceſſebant. Apud Hiſpanos ſacro baptiſmate luſtratæ fuerunt equidem, religionis tamen rudimentis adeo leviter tinctæ, ut quid credendum ſibi, quid præſtandum, cavendumque ſit, magnam partem ignorarent, haberenturque pro Chriſtianis, neutiquam, niſi ſolo nomine, eſſent. Illud magis deteſtandum, quod ex longa cum Hiſpanorum vulgo, cum æthiopibus, mulatisque conſvetudine mores, quos ipſi Barbari execrantur, non optimos hauſerint, opinionesque imbiberint, oppidi incolis cæteris certam peſtem afflaturas. Servitutis adhæc, quam ſerviverant, triſti recordatione exacerbatæ nullum non moverunt lapidem, ut popularium ſuorum animos ab Hiſpanorum amore, ſacerdotum reverentia averterent, ſuſpectam redderent illorum amicitiam, prolium, ægrotantiumque adultorum baptiſma impedirent, legis divinæ horrorem, avitarum ſuperſtitionum obſervantiam cæteris inſpirarent. Hos in fines calumnias confingere, de Hoſtilibus Hiſpanorum

rum in Abipones consiliis rumores serere, fugam ex colonia svadere solebant, & vero persvaserunt interdum, quod, cum Hispanos inter versatæ sint diutius, fide digniores Abiponibus videbantur. Illa Christophori Almaraz conjux, cujus superius memini, omnium facile captivarum pestilentissima coloniæ fuit, quia cæteris genere nobilior, mendacior, & a sacris Romanis alienior. In sancti Jacobi urbe per interpretes minus idoneos religionis superficiem a sacerdote edocta, & in templo sacris cerimoniis cum Almaraz, marito jam antea suo, perpetuo matrimonii nexu rite conjuncta est. Eam tamen ad Conceptionis oppidum translatam res sibi suas habere jussit Almaraz, illius impietatem, suamque de conjugii apud Christianos perpetuitate ignorantiam causatus; Re tamen ipsa a vetula conjuge abhorrens, cum Hispanos populares suos inter jam ageret, ad novas cum Hispana puella nuptias aspiravit. Illius ducendæ ab ipso Tucumanorum Episcopo illi facta est copia eo nomine, quod priorem illam Abiponensem conjugem alterius fœminæ, cujus is olim inter Barbaros maritus quoque fuerat, cognatam fuisse, luculentis testimoniis constaret. Ipsus ego, Presbyteri cujusdam rogatu, Almaraz mecum Cordubam profecti causam apud Illustrissimum Præsulem Argandoña egi, evicique a binis nostris Theologiæ magistris, quorum sententiam Episcopus poposcit, mecum sentientibus diligenter excussam, probatamque. Almaraz jam votorum compos sua in patria medicinam dein exercuit proventu, plausuque magno, pari utinam ægrotantium commodo! Ea siquidem, quis non rideat? Hispanorum plebejorum animis insidet opinio: Quoscunque, qui Barbaros inter versati sunt aliquamdiu, herbarum cognitio-



nem, arcanasque, quas ne Galenus quidem ſomniarit unquam, medendi artes combibiſſe, quamvis non niſi obtruncandis hominibus, excoriandis hominum Calvariis, poculisque exhauriendis omnem iſtic contriverint ætatem. Haud tamen inficior, iſtorum quosdam, patriæ ſuæ redditos, Gubernatoribus utilem operam novaſſe; Namque, dum in Barbaros ſuſcepta expeditio, exploratorum, viæque ducum munere nemo felicius fungebatur. Adhæc, ſi cum Barbaris colloquendum, interpretes, ſvaſoresque egerunt.



CAPUT XXIV.

Abiponum ex Conceptionis oppido fuga, & reductio.

Res oppidi recentis curſum ſecundiſſimum primis menſibus tenuere. Tuta, tranquillaque omnia. Verum turbo ſubitus, ac triſte naufragium tantam malaciam excepit. Hiſpanos de transferendo oppido, urbisque ſuæ finibus propius admovendo cogitare, rumoribus minime obſcuris acceperunt Abipones. Talem Hiſpanorum vicinitatem, & vitæ, & ſcilicet libertati ſuæ perículoſiſſimam interpretati de fuga ineunda, Patribus nil tale ſuſpicantibus, conſilium cepere. Ipſo, quo migrabant, die ſe, ſuosque omnes itineri accinctos ſtare Alaykin Patri Sanchez ſignificat, diſceſſionis cauſam, quam tamen haud prodidit, ſibi eſſe ait. Ovium gregem, binis capitum millibus definitum, ſibi concedi, poſtulat. Improviſo nuncio ut attonitus, ſic territus Pater, cum populum equis jam inſidentem retinere haud poſſet, ovium gregem non gravate indulſit, &, quod armenta cætera non abripuerint, quod ſe, ſociumque vivos reliquerint, in beneficiis numeravit. Dilapſis momento omnibus tres duntaxat projectioris audaciæ Abipones remanſerant clanculum, noctu Patrem utrumque e condicto trucidaturi, ſpoliaturi ſacram ædiculam, ac domus ſupellectilem rapturi. Sed, quod alibi ſcripſeram, eodem die Ychoalay ſuperveniens periclitantibus patribus præſidio, auxilioque in ſacra, domeſticaque ſupellectili ad Sancti

Hieronymi oppidum transferenda fuit. Pater Laurentius Casado cum Hispano pecorum custode ad Sanctæ Fidei urbem se recepit, unde cursores, Alaykin fugam nuntiaturi, ad Cordubensem, & Sancti Jacobi urbem missi. Ingens utrobique trepidatio consecuta est; Barbaros enim sibi olim exitiales mox latrocinia repetituros, nemo erat, qui ambigeret. Hinc munitiuncula Cordubensium in Tio (campo Cordubam inter, ac Sanctæ Fidei urbem medio id nomen est) coctis e lateribus, ad Alaykin incursiones coercendas in hanc, quam hodie videmus, formam surrexit.

Josephus Sanchez in Sancti Hieronymi colonia Barredæ Progubernatoris cum Jacobopolitanorum turma adventum avide præstolabatur, quem cognita Alaykin fuga ad fugitivos vel coloniæ suæ restituendos, vel, si id renuant, armis dein insectandos adfuturum, nullus dubitavit. Sat multi abiere dies, dum e fumo Sancti Jacobi urbem versus quotidie conspecto militum propinquantium iter ominatus ad desertum Conceptionis oppidum eques properaverat, ab indo Christiano comitatus. In via a vagis, & intra sylvam abditis Abiponibus observatus est, ac ad necem in oppido vacuo inferendam designatus. Noctu cum in cubiculo prius suo per pulices sibi haud liceret somnum capere, in ipsa domus area, sudibus munita, humi stratus conquievit. Socius præter indum famulum illi nullus. Utroque in utramque aurem dormitante Barbari tres in aream irrepsere; Horum aliquis vibrata jam hasta lethalem ictum intentabat Patri, qui forte experge factus sclopo arrepto aggressorem cum binis sociis in fugam dedit. Adeo, etsi nec Hercules contra duos, iste unus tribus fugandis par fuit.

sola

ſola ſclopi oſtentatione victor. Nam & pulveri pyrio, & ſicariorum vitæ pepercit. Sibi quoque conſulturus, ne umbra quidem Jacobopolitani equitis viſa, Sancti Hieronymi oppidum incolumis repetiit.

Fluxerunt hebdomades non paucæ, dum denique Barreda aliquot equitum ſuorum centurias adduxit. Caſtris in deſertæ coloniæ conſpectu locatis, Landriel, dudum a me celebratum, cum pauculis ad Alaykin longiſſime abſentis Contubernium legat. Ille, ut erat Abiponibus notus juxta ac charus, Barredæ nomine deſertionis veniam facit, ea tamen conditione, ad deſertum ut oppidum citra moram regrediantur. Vana fuiſſe, quibus ad fugam inducti fuerant, terricula; fictos, futilesque de colonia alium in locum transferenda rumores, perſuadet. Barredam amicum ſuum ut donis, quæ morigeris largiretur, onuſtum, ſic formidabili militum numero ſtipatum adeſſe, narrat. Mallent itaque, ſi ſapiunt, illum amicum, quam hoſtem experiri, iterum, iterumque ſingulos obteſtatur, promiſſa minis, minas promiſſis temperans prudenter. Hominis benevoli (interpretis ore loquebatur) eloquentiæ victas dedere manus Abipones, metuque poſito ad priſtinam coloniæ ſtationem, Landriel comitante, redierunt. Reduces Barreda non amice ſolum complexus, ſed liberaliter quoque ſolitis munuſculis eſt proſecutus. Illum nuperæ deſertionis vel neſcium, vel immemorem dixiſſes. Suſpexerunt boni omnes prudentiam viri, qui Barbaros, etſi reos, infantium more leniter, ſuaviterque habuerit; Iſti equidem crepundiis promptius, quam virgarum minis, vel ictibus, ſi a recto aberraverint, ad meliorem frugem revocantur. Fuere alii, qui Barredæ in profu-

fugos lenitatem non ſine ſupercilio palam damnarunt. Verum iſti Catones, qui domeſticos intra parietes tranquilli incanuerunt, Martes ſibi tamen videbantur, quamvis non niſi cum culicibus, pulicibusque domi luctarentur quotidie, & quid irati Abipones bello poſſint, ignorarent.

Laudandus certe Barreda, quod intempeſtivo rigore abſtinuerit; cenſura tamen fortaſſe dignus, quod Abiponum primoribus plus æquo blanditus, eaque pollicitus fuerit, quæ præſtari nunquam potuere. Freti ea Hiſpanorum indulgentia Abipones, quod timeri ſeſe ab illis crederent, auſi ſunt porro, quæ nunquam antea. Unum pro omnibus ſit argumento. Barreda abiens telæ laneæ volumina aliquot coloniæ reliquit, pecorum cuſtodibus, mercede conductis, Hiſpanis pecuniæ loco, cujus iſtic nec copia, neque uſus eſt, tribuenda. Hanc telam ſibi veſtiendis a Barreda deſtinatam, captivarum fraudibus inducti, perperam crediderunt Abipones, necemque Patri, ni illam ultro ſibi dederit, illaturi dicebantur. Noctem dum inſolentes inter ſtrepitus compotando tranſigerent, conſilium, quod de ſe interficiendo cepiſſe putabantur, ab ebriis jam exequendum metuit Pater, ac ſecuritati conſulturus ſuæ, quidquid telæ domi fuit, avidis, timendisque Barbaris poſtridie objecit. Paucos poſt dies ex Sancti Xaverii oppido, Provincialis juſſu ad hanc coloniam veni, a quindecim Mocobiis equitibus in hoc tridui itinere comitatus. Obſtupui enimvero, dum equites Abipones, pleroſque omnes ejusdem coloris veſtibus tectos, propinquanti mihi turmatim obviam effundi conſpexeram. In quavis enim gente adventitia hoſtiles latere animos ſuſpicantur, atque inſidias ſomniant. Equeſtri Abiponum agmine cinctus

ctus undique, ac prope compressus domus nostræ aream attigi. Pater Josephus Sanchez, mihi obvius, in amplexus ruit meos. Ejus figura, corporis, vestiumque conformatio terrorem mihi primum, mox commiserationem injecerat. Petasus illi ex stramine contextus. Toga squallida, usu attrita, ac nullius prope coloris. Barba pice nigrior, spissa, promissaque. Ex oculis afflicti animi acerbitas emicabat: Algirii Mauros inter captivus vitam viverem tolerabiliorem, mihi ajebat, quam hos inter, quibus stipatum te vides, Barbaros. Hi gemitus salutationis loco fuere. Ecquis mihi ad hæc animus?

Ejus cubiculum ingressus, Abiponum turba lateri meo semper adhærente, in cistulam meam, quam Episcopi literas Patri traditurus aperui, eorum quispiam avidis irruebat manibus, non scrutatus modo omnia, sed si quid meis ex reculis arrideret, rapturus etiam, ni circumstantium reverentia coerceretur. Post breve colloquium buccinarum militarium clangore, equorum hinnitu, fœminarum vociferatione forum omne perstrepuit. Causas percontanti mihi, Mocobios barbaros in propinquo esse, respondent. Sub idem tempus Cœlum tonitribus reboans, ingruentesque noctis tenebræ horrorem auxerunt. En, inquit mihi Pater, hos inter tumultus vivendum nobis est quotidie. His, velis, nolis, insvescere te oportebit equidem. Tugurium vastum e stipitibus limo vestitis pro habitatione, stramen, rectius dicam, gramen siccum pro tecto, valva lignea pro fenestra, rudis, & seræ expers tabula pro porta, asser obiter lævigatus pro mensa, pellis bubula quatuor e furcis suspensa pro lecto, humus graminea, a formicis undique perte-

re-

rebrata pro pavimento mihi fuit. Carcerem, non cubiculum ingredi mihi videbar. Ingentes parietum, tectique hiatus ut vento, pulveri, imbribus, ac soli, sic serpentibus, culicibus, bufonibusque aditum facilem præbuerunt. Palmæ, quæ pro tignis tectum sustentabant, carie exesæ vermium rodentium sibilo aures simul, simul oculos deciduo flavo pulvere, incredibile est, quantum diu noctuque afflixerint. Ingentia limi dissilientis frusta, quæ triginta librarum pondus æquabant sæpe, a pariete uno impetu avulsa mihi conterendo satis, superque fuerant, si quam corporis mei partem contigissent. De victu, quid dicam? carne bubula seu elixa, seu assa prandium perinde, ac cœna quotidie definiebatur. Si triticum Turcicum (Mayz) si pepo accesserat, tum enimvero laute epulati nobis videbamur. Necdum enim agros, hortumve colere nobis vacabat, quod tamen præstitum dein diligenter. De pane nec somniatum est unquam. Potum rivus ministravit. Vinum vel pro sacrificio sæpius desiderabatur. Rerum necessariarum penuriam haud nostræ tribuet socordiæ, qui meminerit, Sancti Jacobi urbem, unde petenda omnia, centum septuaginta leucas, Sanctæ Fidei sexaginta ab oppido nostro abesse, viamque ut molestiæ propter paludes, sic periculi ob palantes Barbaros, plenissimam non raro profectioni obstare. Hæc tum rerum facies in illo oppido, quod meum apud Abipones tyrocinium, & patientiæ palæstra per biennium mihi fuit. Aspera sunt utique Europæo, & propemodum intolerabilia hæc videntur, sed ipsa assvetudine sensim molliuntur, & Dei, cui nos, in Americam sponte transvecti devovimus, recordatione dulcescunt etiam. Non victus, habitationisque miseria, quin potius Barbarorum ingenii volubilitas, ac durities animum nostrum identidem remordebat.

CA-

CAPUT XXV.

Coloniæ viciſſitudines, & perturbationes.

Barbarorum mentes ad humanitatem, ad religionis ſanctæ leges erudire, id unum equidem nobis maxime cordi fuit; Eo curas omnes, ac induſtrias convertimus. Verum conatibus fructum haud reſpondere, identidem querebamur. De hoſtibus jam evadendis, jam invadendis quotidie anxii Abipones ſacris inſtitutionibus nec aures præbere, neque morem gerere, paucos ſi excipias, ſolebant. Tumultus alii ex aliis naſcebantur indies. Antiquæ cum Mocobiis Barbaris ſimultates, etſi tantiſper ſopitæ videbantur, novis injuriis iterum, iterumque recruduerunt. Equorum greges rapturi, obviosque, qui reſiſterent, trucidaturi aderant frequenter. Paucis ante meum adventum diebus Abiponum noſtrorum aliquis duos iſtorum prædonum haſta confodit, quod quidem fortunæ magis, quam fortitudini Abiponis ab Abiponibus tribuebatur. Haud multum proceſſit temporis, cum Mocobii numeroſiores, recentem ſuorum cædem ulturi, ingens equorum agmen e coloniæ noſtræ remotioribus paſcuis noctu, ſentiente nemine, rapuerunt. Præda potiti, nihilque jam hoſtile metuentes, dum accelerato reditu ſylvam transmittunt, a noſtris Abiponibus, qui ad ſiliquas græcas illic colligendas noctem egerant, obſervati, ſubita aggreſſione oppreſſi, cæſi alii, alii ſauciati, in fugam acti reliqui fuere. Victores no-

ſtri

ſtri ſub meridiem triumphantium ritu forum oppidi ingreſſi ſunt. Equorum, quos ſeu recuperarunt, ſeu hoſtibus ademerunt, multitudo pro trophæis erat. Hos inter & equus exiguæ molis, coloris ſpadicei, quo Mocobiorum Dux a noſtro interfectus prius vehebatur, ut erat ephippiis inſtructus, ac ſtruthionum plumis mire ornatus, me ſpectante adductus eſt. Præter Mocobiorum arcus, & ſagittas haſta prælonga, qua Mocobiorum Dux idem utebatur, ſpoliorum nomine oſtentabatur. Uni duntaxat noſtrorum leve in brachio vulnus hoſtili ſagitta eſt inflictum. Is Tabañari dicebatur, adoleſcens ſtrenuus, & præcipuum victoriæ inſtrumentum. Quantum pauculi contra multos ſeu imparatos, ſeu terrore ſubito perculſos poſſint, ex hoc eventu ſit palam

Siniſtris caſibus neutiquam territi Mocobii jam turmatim, jam manipulatim aſſultus repetiere. Die Divo Joſepho ſacra ſub veſperum per propinqui nemoris latebras copioſa Mocobiorum phalanx adrepſerat. Verum inſidias, quas Abiponum aliquis forte detexit, reliqui omnes anteverterunt. Uno in illos agmine invehebantur.Duas prope horas fugientium Mocobiorum, Abiponumque inſectantium curſitatione campus late omnis contremuit; Lituorum militarium ſtridore aer reſonabat. Imbellis fœminarum grex cum prolibus intra areæ noſtræ ſepimenta mille inter gemitus latuit interea, me ſolo præſidiarii inſtar ad areæ portam excubante. Noctis atra caligo, & proceſloſiſſimi ab auſtro turbinis fremitus, neſcio, quem horrorem afflavit. In tanta obſcuritate, cum videri nil jam poſſet, ſclopo ſolvendo jamjam manum admoveram, ut primum equitem ſuſpenſo gradu portæ propinquantem adverti. Ex voce ta-

men.

men, dum, quid hominis eſſet *Miek akami?* a me rogatus, reſpondit, Alaykin præcipuum oppidi Caziquium agnovi, qui a reliquis avulſus, num quid inſidiarum a tergo lateret, obequitans provide circumſpexit. Conquieverant demum militares buccinæ, & in tanto campi ſilentio de Mocobiis longiſſime propulſatis nullus mihi jam relictus eſt dubitandi locus. Meum igitur in antrum dormiturus clanculum receſſi. At necdum cubile attigi, dum novus foro obequitantium, lituorumque tumultus, vociferatio incondita, fœminarum miſerabilis in domus area ululatus exaudiebatur, cervices jam paſſim ſecari a Barbaris, prope crediſſem. Armis reſumptis accurro. Hoſtes, qui fuga præcipiti ſeptentriones verſus iter relegere ſuum voluere, tenebris decepti auſtrum verſus delapſi ſunt, & ab inſequente Abiponum turma medium per forum abacti. Tantos inter fugantium, fugientiumque clamores, num vel gutta ſanguinis ab iſtis heroibus fuſa ſit, neſcio. Illud ſcio: Me ad vetulas ab ulteriori metu liberandas noctem inſomnem excubando ad portam areæ conſumpſiſſe. Socius equidem meus, cujus erat in excubitoris officio mihi ſuccedere, cum acerbiſſimo dentium dolore conflictatur. Et vero de illius abſentia mihi gratulabar. Meo enim adſtans lateri præ quovis hoſte mihi erat formidabilior. Nam ſclopo utebatur mutilo, qui non niſi titione admoto flammam concepit. Quidquid illi nitrati pulveris domi fuerat, cornu bubulo prægrandi clauſum armatus ſclopo bajulabat. Scintilla ex ardenti titione in cornu illud forte decidens quidni ambos nos ad lunæ regionem usque vibraſſet? Thecam ſingulis pyrii pulveris portionibus inſtructam meum ad exemplum ſibi ut pararet, ſæpius illi ſuaſi, perſvaſi nunquam. Hæc de infelici illo

illo ſclopo adnotare mihi viſum, ut rideas hiſtoricos, qui de Paraquarienſium Miſſionariorum armis, atque armamentariis tantum ſunt mentiti. Vaſto clariſſimi authoris volumine, quod ex Europa attuli, ſclopum in Barbarorum coloniis neceſſarium mihi comparavi. Hoc ad incolas tutandos, ad hoſtes terrendos, non necandos, annis pluribus ſum uſus. Neque pilum enim hominis a me usquam læſum, ſancte affirmo. Cicatricem quamvis luculentam ex America retulerim. Memoria item dignus ille dies, quo nova Mocobiorum incurſio Abiponum noſtrornm aſtu feliciter eſt deluſa. Illi aggreſſionem oppidi meditantes propinquo in campo tempeſtive detecti fuere. Abipones noſtri, ſeptem ſi excipias, oppido aberant omnes, venatus gratia, ut ſolent, per ſylvas ſparſi. Alaykin Caziquius jam equo inſidens, haſtæque innixus ſollicitudinem prodidit ſuam. Oppidum viris vacuum circumſpiciens: quid agemus? mihi ait, commilitones deſunt. Hamihégemkin ut parvo corpore, ſic magnis animis præditus: Viri cum nobis deſint, viresque, ingenio hodie pugnandum eſt, reſpondet. Nec mora: veſtibus indutus Hiſpani Hiſpanum mentitur. Comitantibus ſex reliquis citatiſſimo curſu Mocobiis imminet; Hi, quod milites Jacobopolitanos in inſidiis latere ſuſpicabantur, fugam præ pugna maluerunt. Ingens hoc dolo diſcuſſum diſcrimen. Infinitus ſim, ſi cæteras id genus Mocobiorum incurſiones memorem. Muſcarum inſtar quo ſæpius terrentur, eo impudentius redeunt Barbari. Fatigant alios, & fatigantur.

Manipulares ejusmodi expeditiunculas cum non irritas modo, ſed ſibi noxias etiam Mocobii intellexiſſent, totis oppidum noſtrum viribus oppugnare.

re, ejus incolas numero opprimere, ac uno veluti ictu jugulare, in animum induxere suum denique. Quotquot poterant, Tobas, Lenquas, Mataquayos, Malbalaes, Yapitalakas, Vilelas equites ad armorum societatem, amicitiamque pellexerunt. Ingens Barbarorum e tot nationibus conflatus numerus. Plerique omnes vel fœderatorum multitudine, vel ducum præstantia confisi non tam ad pugnas, quam ad victorias, pecorumque omnis generis opimam prædam sibi properandum putarunt. Et vero iterum, iterumque, ac tertio conjuratæ in nostram internecionem turmæ in viam se dedere, sed jam aqua deficiente, jam campis pelagi instar aqua turgentibus, alias equis Cœli æstu fractis cæptam remetiri viam identidem cogebantur. Nostrum attingere oppidum quamvis non licuerit hostibus, rumor tamen de eorum itinere, ac frequentia ad nos perlatus plus, quam eorum præsentia, omnium animos conturbavit. Tanto se Barbarorum agmini impares cum putarent, alii, atque alii sensim oppido se suis cum familiis subduxerant, notis in latibulis securitatem quæsituri. Intrepidorum tamen famam, quam affectant impense, ne amitterent, vel obscurarent, timori suo, ac fugæ venationis propositum prætexuere. Vetus hæc metu urgente Abiponum astutia, & omnibus in oppidis a me observata. Pro dilabentium multitudine terror, metuendique causa, ac periculum apud paucos, qui remanserant, augescebat. Isti funestissimis de hoste propediem adfuturo rumoribus utramque nobis aurem oppleverant quotidie, ut adeo, ne quando opprimeremur, periculi probabilitas nobis excubias perpetuandi imposuerit necessitatem. Sine cura somnum capere, sine armis ab oppido pluscu-lum recedere licuit nemini. Propiora sibi mala

fingere solet timor, & timentibus suspecta omnia, inter Barbaros Americæ cumprimis, qui, dum minime expectantur, assiliunt; Ac vel ideo tunc plus periculi, quando tranquilla, tutaque videntur omnia. Crebris experimentis doctus Ciceronis magnopere probavi sententiam, qui: *Malo timidus videri, quam esse parum cautus*, ajebat. Quotidiano cum exteris hostibus bello intestinum accessit Abiponum cum Abiponibus. Veteres Abiponum Riikahes cum Abiponibus Nakaiketergehes inimicitiæ, ac factiones novarum coloniarum progressibus mirum quantum obstitere.

Vicinum sancti Hieronymi oppidum continuis tumultibus sub idem tempus exagitabatur, Debayakaykin semper vel minitante, vel imminente, quod alibi exposui. Alaykin nostrum, quod illius studiosum, rerumque, quas contra Riikahes machinabatur, conscium crederet Ychoalay, implacabili, acerboque semper animo est insectatus. Nihil intentatum reliquit, quo Alaykin Contubernalibus negotium facesseret, quamvis singulari, quod erga Hispanos profitebatur, studio id a se factum jactaret. Discordiarum, turbarumque seu principia, seu causas juvat ab ovo referre. Quindecim facile menses, postquam in Conceptionis colonia consederant, Abipones nostri, etsi cædibus, & rapinis ab adolescentia assueti, nil prorsus noxæ Hispanis intulere, sancitæ pacis custodes integerrimi. Unicus equus, ut Trojæ exitium, sic hujus coloniæ pernicies fuit. Militum Hispanorum, qui bis mille vaccas a Gubernatore Tucumaniæ in Sanctæ Fidei prædiis emptas nobis adduxerant, aliquis equum in paucis insignem rapuit clanculum. Abipon equi dominus ejus jacturam gravissime dolebat; Jam

non

non ulturus modo, ſed compenſaturus etiam ex Sanctæ Fidei prædio quopiam quatuordecim equos lectiſſimos noctu abduxit. Re comperta Ychoálay, qui binos ſemper exploratores noſtro in oppido aluerat, adeſt cum Hiſpano equorum illorum domino, eosque, Abiponibus nequidquam renitentibus, demum reduxit. Recuperatio hæc non citra minas, mutuasque injurias peracta claſſici inſtar fuit, quo ſopiti dudum pace animi noſtrorum Abiponum ad repetendas denuo equorum rapinas excitabantur.

Ychoalay vel Hiſpanorum auxiliis fultum nihil omnino a ſe formidari ut ſignificarent, ad diripiendos equorum greges in Sanctæ Fidei prædia turmatim excurrunt Abiponum adoleſcentiores reliquis, qui ætate, vel gradu eminebant, Abiponibus neque hiſcere auſis, nobis & neſciis, & invitis, licet pacem cum omnibus ſancte colendam, rapinis religioſe abſtinendum, identidem monentibus. Sed quid momenti habeant, aut ponderis ſacerdotum verba apud hos Barbaros, ad quos ſubigendos conjurata provinciæ totius arma binis prope ſeculis nihil admodum valuere? Equorum, quos latrunculi noſtri iterum, iterumque abegerant, rumore percitus Ychoalay ad noſtram coloniam advolavit ſolus, ac prope inermis, niſi bile, minisque armatum dicamus. Et vero ex equo ſuo, cui inſederat, veluti ex ſuggeſtu ad circumfuſam multitudinem concionatus eſt diu de equis Hiſpanorum illico reſtituendis. Verum a circumſtantibus plerisque exploſus, ab Alaykin clam auſcultante clariſſima voce verſipellis, ac Veterator appellatus, a Pachieke ejus filio, & latronum primipilo ad ſingulare certamen, intentata ſagitta, laceſſitus eſt, cui Ychoálay, juvenis æmuli contemptor, nudatum objecit pectus. His

 irri-

irritatus ad noſtras ſe recepit ædes, mihique: Non audior a tuis, ajebat; Quod verbis haud impetro, armis equidem extorquebo. Poſt triduum, ni equos mox reddiderint, præliaturus adero. Commilitones, quotquot poſſum, conducturus jam domum propero. Nocte apud nos acta ad ſuam furens coloniam rediit. Irriti fuere, quibus placare illum, ac a ſuo avertere propoſito adlaboravimus, conatus, hortatusque. Abipones quoque noſtri, quamvis impenſe a nobis rogati, ultima experiri, quam, quos rapuerant, equos dominis reddere obſtinato animo maluerunt, & jam ad conflictum accincti ſtabant quotidie. Ex hoc certamine utcunque res ceciderit, funeſtiſſima quæque præſagiens ſocius meus Joſephus Sanchez per vias graſſantibus Barbaris obnoxias ſancti Hieronymi oppidum adiit eo fine, ut Ychoalay animum pacaret. Aſt ſurdo fabulam eeciniſſet, niſi Chitalin Caziquius Mocobiorum, qui ob Debayakaikini metum præſidiarios in ſancti Hieronymi colonia tum agebant, jam Chriſtianus mitiora conſilia furioſo Ychoalay inſpiraſſet. Verum ſopitis tantiſper, non extinctis odiis brevis illa malacia fœdiſſimarum tempeſtatum prænuncia fuit, quarum alia aliam excepit.



CAPUT XXVI.

Meum in Coloniæ negotiis ad urbem Sancti Jacobi iter.

Eo res erant loco; ut colonia utraque tum mutuis odiis, tum hostium exterorum insectationibus propediem conficienda videretur. Alterutri nostrum, meus mihi socius Pater Sanchez ajebat, ad sancti Jacobi urbem proficiscendum est utique, qui Gubernatorem Tucumaniæ, certe ejus Vicarium Barredam de periculo coram edoceat, consilium, si quod supersit, remediumque deposcat. Iter, ut nosti, centum septuaginta leucarum & molestiarum, & periculi plenum per immensas solitudines, ubi præter palantium Barbarorum, qui ad prædandum excurrunt, humana vix vestigia deprehendas. Enimvero, si iter hoc suscipias, vel paludibus suffocandum te, vel viæ asperitatibus frangendum, meus mihi præsagit animus. Hæc ille mihi tunc et amice & vere memoraverat. Nil tamen his territus ad urbem legatus abire, quam ad clavum, custodiamque periclitantis oppidi ceu præsidiarius remanere malui. Quod, socio absente, si perierit, culpam mihi ab Hispanis tribuendam, prospexi. Illud enim solenne Gubernatoribus Paraquariæ: si recentes Indorum coloniæ cursum secundum teneant, gloriam sibi omnem vindicant, præmiisque a Rege cumulantur; si sinistris casibus interciderint,

Patrum, quorum curis commissæ sunt, jam inertiam, jam timiditatem, jam asperitatem accusant. Talia cum animo meo reputans caput viæ periculis, quam famam et meam, & nationis Germanicæ obtrectantium dicacitati objicere, satius esse duxi.

Iter maximis, quidquid spectes, difficultatibus implicitum cum tribus Indis, quos Matarás vocant, Christianis quidem, sed quovis Barbaro magis incultis sum ingressus. Lingua Quichua, mihi ignota, utuntur, & Hispanicam ignorant. Tribus his comitibus alter accessit ex Hispano, & Africana prognatus. Hic, quod bis mille imperiales Hispanicos e plaustro, quod Peruvianum mercatoribus argentum advexerat, clam surripuerit, in urbe Sancti Jacobi compedibus vinctus, sed e carcere profugus, suum ut lueret crimen, a prætore pecorum custodibus nostra in colonia præesse jussus est. Neque id rarum putes, velim. Quatuor alios homicidas ad pecorum custodiam condemnatos urbs eadem nobis miserat. Ille furti convictus, & e carcere fugitivus per viam mihi ab obsequiis fuit. En! quam præclarum custodem, ac famulum! Necessaria mihi tamen, & utilis ejus opera fuerat. Via, quæ nobis emetienda, maxima ex parte paludibus horret, ac lacubus, qui junco vario, calamisque altissimis sylvescentes ex diuturnis pluviis adeo intumuerunt, ut equis vix vadum relinqueretur, & ob scrobes profundas, ac formicarum tumulos sub aquis latentes perpetua cespitandi causa esset. Reliqua campi planities aquæ innatans pelagi speciem referebat, nobisque cespitem, ubi cubaremus noctu, ubi equi pascerentur, fere negavit. Assiduus primo itineris triduo, & tonitribus horrendus imber

imber diu, noctuque nos insectabatur. Vestes, ipsa corpora, quin ipse sacerdotalium precum codex, quidquid nobis usui erat præterea, aqua stillabant. Caro bubula, viaticum unicum, madefacta quotidie vermibus jam scatuit undique. Hæc tranquillato denique Cœlo, austroque frigido spirante, ut siccaretur, e fune pendens fœtorem exhalavit tantum, ut illi vel eminus ferendo nemo nostrum par esset. Verum, cum obsonii alterius nec spes, neque copia esset in vasta solitudine, caro quamvis putrida, ne inedia conficeremur, fami sedandæ adhibenda fuit. Indi Comites piscem vastæ molis hasta confixerant in flumine Salado, solique devorarunt, quin vel particulam mihi extrema fame laboranti obtulissent, ex quo illorum inhumanitatem conjicias. Pluvia in plures dies producta fluvii alias non maximi ripis late effundebantur suis, trajectumque nobis non arduum modo, sed & periculosum reddidere. Corium adhæc bubulum, quo ad transmittenda flumina ceu lintre utebamur, triduano imbre adeo emollitum est, ut, nisi arborum ramis ex omni latere suffultum nobis usui esse neutiquam posset. Quod Barbarorum, qui istic grassantur, oculos effugerimus, in beneficiis, imo & in prodigiis putavimus numerandum; Nam, etsi illorum, & quos Hispanis rapuerant, equorum recentia vestigia passim deprehenderimus, deprehensi ab illis non sumus.

Equi quorum ingens nobis caterva, tanto itinere scilicet servitura, nando, esuriendoque fessi vix jam ephippiis ferendis erant. Ungulis aqua continua emollitis ægerrime progrediebantur. Postremis certe diebus quinque horarum spatio quatuor equos conscendi. Adeo exhaustæ illorum vires diu-

tina per aquas ambulatione. Vel tanta, Cælo ſemper pluvio, ſeſſitatione incredibiliter fatigatum me haud inficiabor. Udæ ſemper veſtes diu, noctuque corpori adſtrictæ plurimum moleſtiæ creanr equidem. Comites mei, quidquid veſtimenti geſſerant, abjicere ſolebant, &, dum vel aura, vel ad focum ſiccarentur, omnino nudi præſtolabantur, id quod ſalvis verecundiæ legibus mihi licere nunquam putavi. Tot dierum inedia vires non mediocriter atterebantur præterea. Ex putridis equidem, ut dixi, carnibus, quovis alio commeatu deſtitutus licet, aliquot duntaxat bolos primoribus, ut ajunt, labris delibavi quotidie. Tertio decimo itineris die in tugurium, quod oculis obverſabatur, ſolitarium fame ſtimulatus irrui, & quamvis præter peponem, triticique Turcici tres ſpicas nihil prorſus in promptu eſſet, eorum eſu recreatus mihi videbar revixiſſe. Diebus omnino ſexdecim in via conſumptis die Jovis, qui Paſcha præcedit, tribus ante meridiem horis, urbem ſancti Jacobi conſpeximus denique, ſed ab illius ingreſſu flumen, quod dulce vocant, nos arcebat. Hoc alluvione annua, qua majorem per viginti annos nemo viderat, in tantam excrevit latitudinem, ut vel dexterrimis natatoribus formidini eſſet. Ex omnibus enim, qui Tucumaniam alluunt, amnibus coaleſcere dicitur. Curſu ferebatur rapidiſſimo, arborumque immanes truncos, avulſa ex ripis tuguria advehebat, quæ quidem corio bubulo, quo navigamus, impacta illud vel pertunderent, vel transverſum agerent illico. Quod incolumis, quamvis non ſine periculo, ac metu tantum pelagus transmiſerim, provido id Barredæ debeo, qui de meo ad oppoſitum litus adventu a me factus certior per literas, duos nandi arte celeberrimos ad me transportandum, ex urbe miſit.

CA-

CAPUT XXVII.

Mea in Sancti Iacobi urbe commoratio. Alaykin Caziquii nostri ad Gubernatorem Saltensem Profectio.

Post mutuos de more amplexus Barreda Progubernator, vir mihi in paucis amicissimus, de Coloniæ nostræ rebus per me edoctus est diligenter. De promptis, quæ ad rem facerent, remediis quotidie a nobis consultatum. Paucos post dies ad Tucumaniæ Gubernatorem Joannem Victorinum Martinez del Tinéo, cujus in remotissima urbe Salta est sedes, cursor nostris cum literis est missus; Inde alius a Gubernatore ad urbem Xuxúy, ubi Regii ærarii curatores solent residere. Interea dum hi tabellarii ultro, citroque commeant, in sancti Jacobi urbe hærendum mihi fuit, quamquaam minime otioso. Negotiis coloniæ occupatus licet pœnitentibus Hispanis, ac Æthiopibus sacro pro tribunali aures præbui, Pachali scilicet tempore, propemodum quotidie; Ad me enim, quippe peregrinum, & proxime abiturum, maximi fiebant undique concursus, quod & alibi moris esse sum expertus. Gubernator Martinez, ut Alaykin, aliique Abiponum Caziquii ad se invisendum Saltam a nobis mitterentur, per literas identidem flagitaverat; sperabat equidem, alloquii comitate, hospitii lautitiis, liberalique donorum largitione illorum animos

mos ſibi devinciendos; Verum, ut ſuſpicax, ac meticuloſum eſt Barbarorum ingenium, ſub quantavis Hiſpanorum amicitia dolos, inſidiasque verentur. Alaykin ſæpe invitatus, tergiverſatus eſt ſemper. Nunc tandem, neſcio, quibus rationibus ductus, me in ſancti Jacobi urbe agente, cum binis melioris notæ Abiponibus repente adfuit, ac triduo ad quietem illic interjecto iter Saltam usque, Gubernatoris ſedem, eſt proſecutus. Duos Hiſpanos Barreda providus illi comitando adjunxit, quorum viæ ducem alter, alter interpretem, uterque adverſus quoscunque aggreſſores defenſorem ageret. Hæc profectio Barredæ parum, minus mihi probabatur. Quodſi enim iſtorum Abiponum aliquis vel inſveto peregrini Cœli frigore illas inter rupes, vel tertiana febri, quæ ob aquas minime ſalubres iſtic perfrequens, afflatus, vel quomodocunque læſus fatis cederet, illum malignis Hiſpanorum artibus extinctum haud dubie univerſa Abiponum natio vociferaretur, atque hac ex ſuſpicione novum belli ſemen exiſteret illico. Primo, quo in ſancti Jacobi urbem advenerant Abipones, die parum aberat, quin ſiniſtræ de Hiſpanorum in ſe animo ſuſpiciones illis injicerentur. Nam ſanctiſſimum Chriſti corpus anniverſario, auguſtoque ritu per fora circumferebatur, his clara voce comprecantibus, illis cantantibus, aliis, ut Davidem coram arca fœderis ſaltantem imitarentur, choreas modeſte ducentibus. Ad publicæ lætitiæ ſignificationem mortaria minimæ formæ in plateis hinc illinc exploduntur identidem. Abipones cerimoniarum ejusmodi adhuc ignorantes hoſtili animo ab Hiſpanis pulvere nitrato ſalutari ſe juraſſent, niſi a me moniti errorem dedocerentur ſuum. Eodem, quo ſupplicantium ordo per fora procedit, tempore quidam ridiculo mo-

morionum habitu vestiti (Cachidiablos, pulchros diabolos Paraquarienses vocant) circumcursant, & plebejos, maxime si in silentium, vel religiosam modestiam peccent, flagello strepitante percutiunt. Quid si a morionum stupidorum quopiam Abipones, qui inermes proficiscebantur, ictum vel unicum abstulissent, de vi, injuriaque sibi ab Hispanis illata, quis conquerendi finis? quantam abrumpendæ amicitiæ, bellique renovandi argumentum fuisset? universim dici potest, Barbaros quantumvis amicos Hispanorum in oppidis citra amicitiæ periculum raro diversari. Illorum enim amicitia vitri instar facile frangitur. Injurias namque, etsi non accipiant ab Hispanis, sibi fingunt, & sæpe umbra offenduntur.

Hæc animo volvens a Barreda exorari haud potui, ut Abipones ad urbem Saltam euntes comitarer. Quod si enim Gubernator culpas a Patre Sanchez sibi significatas, illis exprobraverit, accusatorem me suum suspicabuntur perperam, & quem dilexerant antea, æternis odiis universæ nationis dignum pronunciabunt, id iter svadenti Barredæ usque opposui. Alaykin ab humanissimo Gubernatore laute, liberaliterque est habitus, & nobilioris Hispani instar vestitus sumptu non modico, fructu prorsus nullo. Domum enim redux dum splendidas e pretioso rubri coloris panno vestes suis ostentaret, & quidquid honoris officiosissimus Gubernator sibi præstitit, commemoraret magnifice: En, exclamabant omnes, quantum timemur ab Hispanis! Adeo humanitatis, liberalitatisque officia formidinis Hispanorum testimonia interpretabantur stolide. Quid, quod & agreste Hispanorum vulgus toga Hispanica ad omnem elegan-

tiam



tiam a Gubernatore condecoratum Alaykin ægris aſpectaverit oculis. En, ajebant, qui furca trecenties dignus, hæc cædium apud nos patratarum, hæc rapinarum, incendiorumque præmia retulit! Alaykin tamen ipſe veſtis Hiſpanicæ ſplendore adeo non capiebatur, ut Barbarorum habitu, cui a puero inſveverat, contentiſſimus illam ſitu ſquallere in ciſta permiſerit. Semel duntaxat in oppido toga Hiſpanica, ſed ſine induſio, calceis, & femoralibus, indutus Hiſpanis advenis ridendum ſe potius, quam ſpectandum exhibuit.

Illud memoratu dignum: ſub idem tempus, quo Alaykin amice ab Hiſpanis, & ſupra merita honorifice eſt habitus, Abipones alii, equos ſcilicet abacturi, Cordubenſium in prædia incurſarunt, ſed ab accurrente milite in fugam acti. Fugientium unus, Alaykin Contubernalis, captus, & Cordubenſem in carcerem eſt pertractus; ſed Barreda deprecante, meque per literas ejus libertatem poſtulante haud multo poſt ad ſuos redire permiſſus, ne ejus ſcilicet captivitas fuſo Hiſpanorum ſanguine a Barbaris vindicaretur. Vidi hominem noſtra in colonia, ſed ejus nomen memoria excidit. Eodem prorſus tempore Abiponum ingens caterva Jacobopolitanos, qui in ſylvis a ferro dictis mel, ceramque conquiſiverant, hoſtiliter invaſiſſe, nunciabatur. Præter alios, qui capti, cæſique, militari fama illuſtris miles Liſondo miſere eſt contrucidatus, quod alibi jam dixeram fuſius. Hæc incurſio Oaherkkaikin duce quamvis ſuſcepta fuerit, ad conflandam tamen coloniæ noſtræ, ac Barredæ ejus conditori invidiam a malevolis Alaykin abſentis commilitonibus tribuebatur. Commento putido fidem ut facerent, Quataypin oppidi Conceptionis incolam hoſtili

ſtili in agmine ab Hiſpanis, qui fuga cædem evaſerant, conſpectum eſſe, impudenter fabulati ſunt, quem tamen, dum aggreſſio facta, ne unum quidem diem ab oppido ſuo abfuiſſe, & ipſe Pater Sanchez, & cæteri omnes teſtabantur. Verum detecta ſubinde fabula, & ab omnibus exploſa. Captivi equidem ipſi, in libertatem dein aſſerti, a Debayákaykin contubernalibus abductos ſe, cæſos alios, palam fecere, ut adeo nullus dubitandi locus ſupereſſet. Me tamen in ſancti Jacobi urbe detentum ſiniſter hic de noſtra colonia rumor non mediocriter afflixit.

CAPUT XXVIII.

Iteratus, moleſtusque ex urbe ad meam Coloniam reditus.

Procuratis, ut poteram, negotiis ex urbe reducem me quadraginta milites comitari a Barreda jubebantur, qui in colonia a Barbaris identidem tentata ſimul præſidiarios agerent, ſimul pro Abiponibus tum inſtruendis, tum alendis agro colendo operam darent, dum exacto menſe alii illis ſuccederent eosdem in fines. In campo Alarcon triginta admodum leucas ab urbe ſancti Jacobi diſtante præſtolari me milites, dicebantur; Verum ſolos novem iſtic deprehendi. Neque plures adfuturos cum mihi Galeanus centurio aſſeveraret, vel cum his pauculis ingrediendum mihi iter, putavi, ſed paulo poſt remetiendum. Namque milites paucitate ſua territi occurſuros ſibi Barbarorum exercitus, cædes, ac ſanguinem vel vigilantes ſomniarunt quotidie. Ad paſſus ſingulos, quo Indorum latibulis propinquabant magis, metus augebatur. Fumum eminus conſpicati hoſtilium inſidiarum eſſe indicium, nil dubitarunt. Eo loco res erant, ut progreſſuros ſe porro pertinaciter negarent. Et vero regreſſi jam aliquantum centurionis inſequentis eloquentia vix demum in viam ſunt revocati. Eodem die noctem acturi locum, quem ſitus natura adverſus ſubitas aggreſſiones tuebatur, delegimus. Fluvius ſaladus prærupti litoris a fronte, ſylva ſalebroſa a tergo nobis imminebat. Aſt occumbente jam ſole equis

vix

vixdum ad pascua dimissis, nobis ad focum considentibus subitus ex sylva Barbarorum ululatus perstrepuit. Hic pavidis semper militibus pro Classico non ad pugnam, sed ad fugam fuit. Nec mora: Celerrimum sibi quisque Pegasum capit, apparatque. Ad fugiendum præcipites jam allocutus. viderent iterum, iterumque, quid agerent, ajebam; Si dilabantur, sparsos nullo negotio ab Indis contrucidandos singulos; Si uno in agmine conjuncti hac in statione perstiterint, nihil magnopere metuendum videri. Sclopos nobis in promptu esse, atque adeo Barbaros nil ausuros noctu, nitratum pulverem si odorentur. Qua quidem oratione, ut eadem mecum statione quieti consisterent, impetravi, muscarum tamen instar ad quemvis Barbarorum motum certissime equis avolaturi suis, quos ephippiis instructos singuli manu retinebant. Adeo trepidatum fuit. Militum aliquis & obesi corporis mole, & vultus elegantia cæteris spectabilior lacrymis diffluebat, illud suum: Ergo moriendum est nobis hac nocte! Miserando cum ejulatu repetens identidem. De Cœna vel cogitare, quamvis præ fame vix spiritum traxerimus, nemini nostrum in mentem venit. Mihi quidem, ingenue fateor, non tam Barbarorum comminatio, quam comitum trepidatio terrori fuerat. Ne igitur, si isti me relicto diffugerint, vasta in solitudine solus, pedesque remanerem, equorum meorum velocissimum capi, appararique jusseram, securitatis meæ instrumentum, quo fugientes milites fugiens, quantum licuerit, comitarer. Equitatione diurna fractus, somnoque oppressus ad equi mei pedes habenas manu retinens, ac sclopum nudo in cespite maximam noctis partem placidissime dormivi. Extrema lassitudo, firmaque, quod nihil in nos tentaturi sint

Barbari, perſvaſio ſoporis copiam alieniſſimo tempore, ac loco mihi fecit.

Albeſcente jam Cœlo, dum in fluvii litoribus Indorum veſtigia arenæ impreſſa omnium oculis patuere, centurionis & imperiis, & hortatibus neglectis, curſu effuſiſſimo domum revertuntur milites, meque vel invitum, ni deſertus in periculoſa centum facile leucarum ſolitudine perire mallem, ſequi cogunt. Quatuor ſupra nonaginta leucæ, quas ab urbe confeceram, mihi remetiendæ fuerunt. Viæ compendium facturi milites per invias Turugòn ſylvas, per campos paluſtres, ubi nullum equo tutum veſtigium, nullum ſæpe vadum, fugientibus ſimiles Salabinam, patriam ſuam, mecum attigerunt. Pagi illius Parochus Clemens Xerez de Calderon vir antiqui moris, opibus juxta, ac probitate clarus tenerrime me amplexus, & de militum fugacium intempeſtivo reditu conquerentem ſolatus eſt etiam: Divino prorſus, ajebat, conſilio me hoc ad oppidum vel nolentem veniſſe, Divinæ Matri ſermonem panegyricum ut dicerem; Feſtum equidem, cui a Carmelo nomen, propinquabat, quod iſtic per novem dies continuos ingenti cum apparatu quot annis celebratur. Maximi ad hoc ex omni illa provincia omnium ordinum fiunt concurſus, cumque loci anguſtia tot advenarum millia haud caperet, plerisque in campo dumeta inter ſub dio agendæ noctes, nobilioribus a Parocho hoſpitio acceptis. Iſraelis populum in ſolitudine caſtra metantem videbar mihi videre. Templum, etſi minime auguſtum, ſacra ſupellectili pretioſiſſima inſtructum, tantoque argento ornatum eſt, quantum Europæis in templis raro videas. Maxima ejus pars Canonici Peruviani cognati hæreditate Parocho obtigerat, qui, quidquid opum, facultatumque nactus

eſt,

eſt, templo ſuo pie impendit. Plures utinam is in America, quin & noſtra in Europa imitatores Parochos, Epiſcoposque haberet! Hoc itaque in templo panegyricum ſtato die ad numeroſiſſimum auditorem per horam dixi, ipſo etiam Progubernatore, cum aliis ex urbe optimatibus præſente, a quibus, finito ſermone, ſacro e pulpito inter feſtivorum ignium, & minimæ formæ mortariorum crepitus ad Parochi ædes honorifice ſum deductus, ubi more recepto circumſtanti equitum Hiſpanorum multitudini & vinum crematum, & folia tabacæ in tubulos, e quibus accenſis fumum hauriunt, convoluta liberaliter diſtribuebantur. Utroque dono, quod ſacro oratori honoris cauſa ante alios porrigitur, modeſte abſtinui, Barreda abſtinentiam ejusmodi, quæ ſacerdotem deceat, mirum in modum probante. Duodecim dierum, quibus hic invitus detinebar, ſpatio tempus omne, quod a brevi ſomno, menſa, & ſacerdotalium precum penſo mihi erat ſuper, expiandis culpas confitentium animis conſumpſi, qui ab aurora in ſeram usque noctem me ſtipabant quotidie, aperto ſemper in campo juxta templum aures præbentem. Moleſta fere Cœli temperies moleſtias auxit, cæleſtibus licet ſolatiis conditas; Quin & ipſe Parochus, vir probiſſimus, & ditior, quam doctior, pro ea, qua mecum verſabatur, fiducia totius anteactæ vitæ noxas ſacro in tribunali mihi patefecit.

Interea Barreda jubente quadraginta milites, qui ſecundo redeuntem me comitarentur, evocati, campusque leucas aliquot a ſalabina diſtans, ubi ſuis e domibus confluerent, deſignatus. Hac in ſtatione quotidianas inter pruinas (Menſis enim Julius iſtic hybernus eſt) & tigridum pericula triduum ſub dio egi cum pauculis, milites reliquos fruſtra præſtolatus.

Nam quinque & viginti duntaxat adrepſerunt denique, quorum unus prima itineris nocte raptis etiam centurioni Galeano equis aliquot fugam cepit. Summa hæc provinciæ, & eorum, qui militiæ præſunt, infelicitas, quod militum, qui ad expeditiones quascunque evocantur, vix dimidia pars morem gerere ſoleat. Rara eſt obedientia, quia tanta non obedientium impunitas. Flumine Turugon natatu, ut moris eſt, ſuperato chacum provinciam ingreſſi ſumus, palantium Barbarorum ſedem, a quibus ne quid ſubiti periculi nobis exiſteret, viarum ſpeculatores ſeptem quotidie præmiſſi, qui ſub veſperum a ſe viſa, obſervataque referant centurioni. Detexerant iſti Tobarum, Mocobiorumque agmen, qui cum equorum, quos ſanctæ fidei e prædiis rapuerunt, grege fugientibus, quam proficiſcentibus ſimiliores ad ſua latibula properarunt. Contubernales ſuos ſuo de reditu ut præmonerent fumo, qua qua tranſierant, campos, ſylvasque incendere. Noctem illam inſomnes egimus, quod a fronte, a tergo, a lateribus adrepens flamma exitium nobis minabatur undique, nullusque effugii locus usquam patebat. Quamvis flamma nobis pepercerit, parum abfuit, quin fumo cæcaremur omnes, ſuffocaremurque. Coortus ſub auroram ventus ignem a nobis, periculumque avertit. Frequentiſſima Paraquariæ, & per immenſam planitiem viatoribus, beſtiis, plauſtrisque ſæpe exitialia ſunt hæc camporum incendia. Tum in hoc itinere, tum ſæpe alias, ne vivi cremaremur a flamma aſſiliente, equis vix bene apparatis, laxiſſimis habenis medios inter ignes nobis fuit currendum, qui nec extinqui poſſunt, neque declinari. Focus, quo iter facientes vel ſub meridiem, vel noctu utuntur, remanet ſæpe abeuntium incuria, & vento validius aſpirante diſperſus campum inflammat. Gramen tritico

al-

altius, ſtupæque inſtar aridum, junci, arundines, calamique ſegetis more quaquaverſum protenſi, ut flammam prompte concipiunt, ſic incendio, hebdomadas plures duraturo pabulum præbent. Sylvæ majori anni parte ſolis æſtu torrentur, arboribusque pice, reſina varia fœtis abundant; Hinc & accenduntur cito, tardiſſimeque extinquuntur. Orbem terrarum conflagrare diceres. Tenebras ſæpe fumus offundit aeri tantas, ſolem ut ſubducant oculis, ipſoque meridie noctem referant. Ex fumo turbinis inſtar avolante enatas ſubito nubes, ac fulgura, hiſce ipſus vidi, ſolerterque in patente campo pernoctans obſervavi. Neutiquam ſuccenſendum igitur Indis cætera rudibus exiſtimo, qui ad pluviam procurandam campos ſuccendere conſveverunt, experti ſcilicet fumum denſiorem in nubes deſinere, atque ex illis aquas cœleſtes effundi demum. Fateor tamen campi incendia, aliæ niſi cauſæ accedant, haud ſemper certa imbrium remedia eſſe, ac inſtrumenta. Nam biennali illa, quam paſſi ſumus, Cœli ſiccitate hinc, atque illinc, iterum iterumque menſes integros ardebant campi, & nemora, neque tamen nobis dedit ignis aquas. Inde occaſionem ſumpſit Pater Brigniel opinandi, frequentiſſimas has camporum latiſſime patentium incenſiones ſiccitatis diutinæ cauſam eſſe, quod calore ac fumo ſeu ſiccentur, ſeu conſumantur terræ vapores, qui in altum elati in nubes primum, deinde in imbres coaleſcere ſolent alias. Aſt enim fumum condenſatum haud longo ab igne intervallo in nubem converti, & fulgurare, tonareque, ipſus obſervavi. Quidquid ſit, phyſicorum arbitriis id relinquo. Meum eſt, cæptum cum Jacobopolitanis iter proſequi.

Haud prætereundus ſilentio caſus, qui terroris primum, mox riſus ſolutiſſimi argumentum nobis

 fu-

fuit. In campo, quem ſylva tenuis tegebat; Abiponum complures ſuis cum familiis latuere, ſiccandis lutrarum, quas vicino in lacu ceperant, pellibus occupati. Tranſeuntes nos primo diluculo utprimum ſenſerant, hoſtilem Hiſpanorum aſſultum ſuſpicati in familiares ſibi ululatus effundebantur. Jacobopolitani repentina vociferatione perculſi Barbaros in inſidiis collocatos adventum noſtrum hoſtili expectare animo, ſibi perſvaſere. Incredibilis utrinque, ſed Panicus terror. Mihi, quod res erat, ſuboluit. Centurionem itaque moneo: Equorum noſtrorum catervam, quæ a tergo nobis veniebat, medio in agmine collocari jubeat, diripi ab Indis ne poſſet. Equo languidiori, cui inſidebam, alacriore ſubſtituto, milites mihi binos adjungat, quibus ſtipatus præcederem, Indum, ſi quis uspiam in conſpectum ſe dederit, obſervaturus, allocuturusque; Qui enim ſeu Abiponum, ſeu Mocobiorum calleret linguam, præter me nemo unus aderat. Centurio cum ſuis lento paſſu citra ſtrepitum me eminus ſequatur, opem mihi, ſi res poſceret, laturus, peto. Centurio Galeanus ut erat bonæ mentis, opportunis conſiliis morem gerit perlubenter. Aliquantulum progreſſus Abiponem, qui nos exploraturus ſuſpenſo veniebat gradu, equitem, haſtatumque detego, ac denique mihi propinquiorem oppidi noſtri incolam (Cañalì nomen illi non ſine omine fuit) agnoſco, ſaluto, alloquor, de itineris mei ratione, de Hiſpanorum, qui me comitantur, tum paucitate, tum integerrima fide, ac amicitia certum facio, num ſocius meus Pater Sanchez, num Alaykin Caziquius noſter ſoſpites adhuc in oppido, & alia id genus, quæro. Ille, abſterſis jam ſuſpicionibus tranquillior, ſe, ſuosque melle in circumjacentibus ſylvis legendo, venandisque per lacus lutris iſtic occupari, fatetur, ad contubernales

ſuos

ſuos inviſendos placide nos invitat. Rem ita eſſe ſuis videre oculis quaterni milites a centurione miſſi, qui melle copioſo ab Abiponibus donati ad nos, iter accelerantes, rediere; At enim diſcuſſus utrinque aggreſſionis hoſtilis timor præ quovis melle dulcior fuit. Milites novitii aliquot, qui primis Barbarorum ululatibus conſternati per dumetorum latebras ſe abdidere, a veteranis feſtive exploſi ſunt. Animoſiores alii, ni conſiliis coercuiſſem meis, in Indos amicos, ceu hoſtes præcipiti ferro irruiſſent utique. Actum ſane de nobis erat. Ex propinquo etenim Conceptionis oppido ad opprimendos pauculos Hiſpanos Abipones advolaſſent. Sed quamvis nil hoſtile patratum, ut primum iſti me cum Hiſpanorum manipulo imminere, intellexerant, atratis ad terrorem vultibus turmatim nobis obviam effundebantur, nosque veluti indagine cinctos ad coloniam deduxere. De patratis nuper in ſylva Jacobopolitanorum cædibus falſo ſuſpectos ſe haberi, noverant, & vel ea propter vindictæ metu adventantes milites non, ut ſemper alias pro hoſpitibus, ſed pro hoſtibus, qui ſiniſtra animo volverent, acceperunt.



CAPUT XXIX.

Conceptionis oppidi turbationes perpetuæ.

Poſt quinque menſes tum in itu, ac reditu, tum Jacobopoli conſumptos redux propenſis populi geſtientis voluntatibus acceptus ſum. Sphærularum vitrearum ingens copia, cultri, forficulæ, & alia id genus, quæ maximi ab illis fiunt, dona a me liberaliter data lætitiam auxere. Cæterum res oppidi eodem ſemper erant loco. Ut prius, turbata omnia. Tranquillitatis nec ſpes, neque remedium ſupereſſe videbatur. Mocobii cum aliis Barbaris fœderati minitabundi ſemper, ſæpiſſime moleſti, ac noxii. Abipones natu grandiores, etſi excurſionibus in Hiſpanos religioſe abſtinerent dudum, compotationibus tamen ſolitis pertinaciter indulgebant quotidie. Adoleſcentiores domi ut conquieſcerent, induci haud poterant, quippe quibus vagari, prædarique ut in more, ſic in deliciis fuit. Vetulæ ſuperſtitionum avitarum usque tenaces a ſacris noſtris non abhorrebaut modo ipſæ, ſed &, quoscunque poterant, ab illis avertere conabantur. Nemo, niſi præmii ſpe ductus, templo pedem inferre, pauciſſimi ſacris a meridie inſtitutionibus aures, animosque advertere ſolebant. Aliis, atque aliis curis, ac ſtudiis plerique omnes detinebantur. Expeditio militaris altera alteram excepit.

Alaykin fidem Hiſpanis ut teſtificaretur ſuam, & ſuſpiciones, neſcio, quas aboleret, cum lectiſſima

ſuo-

ſuorum manu adverſus Oaherkaikin profectus eſt, a quo minisne, an promiſſionibus, neſcio, captivos pueros extorſit, ex ſylva, ubi Liſondo cum aliis Jacobopolitanis cæſus nuper, abductos. Hi in patriam, paternasque domos noſtro ex oppido cum cuſtodibus remiſſi. Poſtquam Ychoalay inter, & Alaykin mutuis dudum ſimultatibus laborantes quædam amicitiæ ſpecies ſimulata potius, quam contracta eſt, Abiponibus ſancti Hieronymi ſuppetias venere noſtri, illisque conſociati Debayakaykin ſenem binis expeditionibus oppugnarunt damno, quam utilitate, majori. Armorum quidem ſocietas noſtros inter Abipones, ac ſancti Hieronymi fuit tantiſper, nunquam concordia animorum. Enimvero noſtris Nakaiketergehes Debayakaykin ſtudioſiſſimis neque in mentem venit unquam aut Ychoalay victorem, aut victum Debayakaykin optare. In hunc propenſiſſimo, in illum acerbiſſimo ſemper erant animo, quod, ne Hiſpanorum equos diriperent, omni virium contentione obſtitit, & raptos dominis ſuis reddendos vi ſæpe procuravit. Qua quidem equorum violenta reſtitutione exacerbati duplicarunt in prædando aſtutias, induſtriasque, non tam ut jacturam priorem novis reſarcirent prædis, quam, ut nil ab ſe curari Ychoalay, ſignificarent. Hæc altereationum ſcaturigo, hæc ſollicitudinum, quæ diu, noctuque nos premebant, materia. Michael Ziburro centurio, Piedra buena aliique ex ſanctæ fidei urbe prædiorum domini cum exiguo equitum manipulo ad S. Hieronymi oppidum venerant, ope Ychoalay equos ſibi a noſtris Indis abactos recuperaturi. Noverat Ychoalay paſcua, ubi equorum recens ereptorum greges latitarent, ad illos igitur clanculum abigendos cum Hiſpanorum, ſuorumque turma noctu adfuit, verum ſpes illum eluſit. Namque

Abipones noſtri de Hiſpanorum in ſancti Hieronymi colonia adventu, deque Ychoalay propoſito ab advena quopiam tempeſtive præmoniti, quidquid equorum poſſederant, trans flumen in remotiſſimis ab hominum conſpectu latebris abdidere præter aliquot ſtrigoſos, vetulos, claudos, ulceribus, vermibusve ſcatentes, quos ad Ludificandum Ychoalay publico reliquerant in foro. Is equis, quos ſperabat, quærebatque noctu, nusquam repertis eorum raptores invadere ſtatuit. Dubia adhuc luce oppido cum ſuis propinquat, ſed occurrentem ſibi citatiſſimo curſu, ferocique impetu Abiponum noſtrorum multitudinem conſpicatus, ne opprimeretur, tuguriorum objectu ſe tuetur, Hiſpanosque non ad mactandos, ſed alloquendos oppidi incolas ſecum adeſſe, ſubdole affirmat. Quo audito noſtri reflexis, quos intentaverant, haſtarum mucronibus quieti inducias indulſerunt. Hiſpanus centurio annis gravis, animique intrepidi cum Alaykin Caziquio per interpretem noſtro in cubiculo collocutus eſt aliquamdiu. Ideone, inquiebat, hanc veſtræ coloniæ ſtationem delegiſtis, ut noſtris e prædiis, quoties lubet, equorum agmina abigeretis? Nihil ad me equidem, Caziquius reponit, iſtiusmodi incuſatio, & querela. Bello adhuc inter nos ardente par pari reddidi, vim vi repreſſi. Pace inita vobiſcum & vobis, & veſtris fortunis religioſiſſime peperci. Innoxium te novimus, ait centurio, at vero Pachieke filius tuus prædonum eſt primipilus. Veſtra culpa, reſpondet Alaykin, hæc accidere. Pax ſancita ſancte obſervata eſt a meis contubernalibus; A veſtro, qui equum præſtantem illis rapuit, milite, violata eſt primum. Illius exemplo animum adjecere mei ad equos vobis rapiendos, quos noverant a vobis male cuſtoditos. Cui centurio: At tuum erat contubernalium rapacitatem coercere. Enimvero, ridens

dens ait Caziquius, illud dictu, quam factu facilius. Ad venandos equos ſylveſtres excurrere ſe ſe mihi dicunt iſti juvenes, & cicures veſtris e prædiis, me inſcio, ac invito adducunt. Veſtrum erat, prædiis veſtris invigilare ad arcendos fures. Haud equidem facultatis eſt meæ campis longe, lateque patentibus invigilare, ac contubernalium per campos itinera, manus, pedesque obſervare. Milites veſtri, ſtipendio conducti, vias percurſent omnes diligentius, & ſi quem meorum, qui equos rapuerit, deprehenderint, pace mea ad obſcuram domum (carcerem urbis publicum ſic vocant) eum pertrahant, ac liberaliter flagellatum, dum lubuerit, domum remittant. Hiſpanorum vigilantia, ſeveritateque territi adoleſcentes noſtri equorum furto quidni abſtinebunt dein. Bene eſt, conſiliis parebitur tuis, reſpondet Hiſpanus, ſed jam noſtro parendum eſt imperio: Equi ad unum omnes, qui nobis erepti, reſtituantur illico. Mihi quidem, Alaykin ait, equus, qui veſtri juris ſit, nullus omnino eſt. Aliis, ut reſtituant, tute impera. Reſtituent, ſi voluerint. Ego ſiquidem, utut velim, præcipere id, haud queo. Abipones, accepto a majoribus more, ſuo, non Caziquiorum arbitratu agunt omnia. Illis præſum, ſed ita, ut meorum nemini obeſſe, nec meis deeſſe utilitatibus poſſim. In contubernales meos ſi imperiis, ſi vi utar, terga mihi vertent actutum. Amari ab illis volo, non formidari. Agite igitur, & veſtros equos, quos verbis vix impetrabitis, armis, ſi lubet, extorquete. Ad dimicationem accincti in foro adſtant mei. Hæc, me præſente, ſermocinantem Caziquium impavidus audit Centurio, & ad conferendas manus promptiſſimus, ni bini Hiſpani nobiles, quorum neuter militiam profitebatur, Abiponum aſpectu perterriti, illi ſilentium, pacem, celeremque e colonia abitum ſvaſiſſent,



fissent, de vita tot iter Barbaros servanda, quam de equis recuperandis magis anxii. Prandio, ad quod a nobis invitabantur, recusato, inglorii uno agmine citra cunctationem ad sancti Hieronymi coloniam cum Ychoali discessere, qui, ut mihi fassus ultro est; nunquam Hispanos adduxisset, si tot commilitones Alaykin Caziquio suppetere, nosset. Accelerato Hispanorum reditu audaciores nostri Abipones, nil dubitarunt suorum aliquem mittere, qui eos observet, horteturque ad iter præcipitandum, ne ad premenda eorum terga, si cunctati per viam fuerint, reliqui omnes ex oppido accurrant. Interea tempestas coorta, quæ horrendos inter Cœli mugitus multum aquæ, plurimum ignis effuderat, properantes Hispanos comitabatur. Nostri Abipones eodem tempore cantus inter, ac pocula siccam, quia nihil omnino sanguinis fusum, victoriam celebrarunt, de Ychoalay frustra fatigato, elusoque mire sibi gratulantes. Miserebat me Hispanorum, quibus tantum ex urbe sua iter non irritum modo, sed & probrosissimum fuit, & terroris plenum; Id quod illorum imprudentiæ profecto assignandum. Nam, dum Abiponum ira frementium globo cinctos se viderant in foro, ad nostras ædes refugientibus ingenue dixeram: Rem vestram haud satis præmeditati comparetis, amici! Ad pugnandum enim nimis pauci, ad Indos alloquendos, nimis multi venistis. Ecquis credat, alloquii causa vos adesse, qui dubia adhuc luce, armatis manibus Ychoalay duce nostro oppido adrepsistis? Hostilis aggressionis num luculentiora usquam indicia? Tempore, ac modo, quo hostes solent, venistis, veniam dabitis nostris Abiponibus, qui hostili apparatu vobis occurrunt, vobis cæterum magna ex parte amicissimi. Certe quidem si Hispani soli, de reddendis equis cum Abiponibus acturi, adulto

jam


jam die oppidum adiissent, honorifice sine armorum tumultu accepti, & votorum compotes abituri fuissent, nil dubito. Ychoalay Hispanos comitantis aspectus universi populi & animos, & manus armavit, quippe a quo vinci turpissimum sibi putarent.

Importunus hic Hispanorum cum Ychoalay adventus nobis sane perniciosissimus, & prope exitialis fuit. Nos equidem cum illis collusisse, de eorum consiliis certos fuisse, Indi nostri sibi persvaserant, nosque veluti proditores, ac hostes perperam insectabantur. Nemo illorum ædibus nostris, aut templo jam pedem inferre, nemo jam alloquio nos dignari suo voluit, ut adeo vitam periclitari nostram haud dubitaremus. Illa, quam de nobis conceperant, suspicio inanis prorsus, ac stolida fuit. Nam de Hispanorum itinere, ac molitionibus ne per somnium quidem nobis quidquam constabat. Illa equidem, qua nobis imminuerunt, nocte calceos laceros, quos unicos habui, consuebam, meos ut pedes adversus pluviam præmunirem, quam ipsa Cœli facies non obscure portendit. Repentino Indorum obequitantitium strepitu excitus meo prodivi e tugurio, quid rei esset, observaturus. Abipones nostros fucatis, ut in pugna solent, vultibus, hastis armatos, equis insidentes longo per forum agmine excurrere & vidi, & stupui, quod, quis, vel ubi hostis esset, penitus ignorarem, neque fœminæ, quod alias solent, ad aream nostram sudibus munitam refugerent. Verum circumspectans omnia, Hispanos, Abiponibus Ychoalay immixtos oppido instare, demum deprehendi, & socium meum Josephum Sanchez, nil tale somniantem, expergefeci protinus. Ex quibus liquet, quam stupide Indi nos consiliorum hostilium participes, rerum



rumque, quas Hiſpani animo agitabant, præſcios putarint.

Ychoalay, quod expeditio ſuſcepta optato, ſperatoque exitu caruiſſet, in rabiem efferatus ad coloniam noſtram Hiſpanorum ope funditus evertendam adjeciſſe animum, palam dicebatur. His rumoribas perculſi Abipones noſtri ſuis cum familiis oppido ſe, ac periculo ſubduxere, turmatim ad nota ſibi latibula feſtinuates. Quis nobis ad hæc animus? Aſtutia uſi curſorem, qui Barredæ iſta nunciaret, cum literis ad ſancti Jacobi urbem miſimus, opportunum, forte ſerum, remedium noſtræ afflictionis interea expectantes. Conſcii equidem Lenitudinis, qua in ſuos milites utitur Barreda, ac lentitudinis, qua iſti iter tantum ingredientur, jure metuimus, ne Roma deliberante Saguntus iterum periret.



CA:

CAPUT XXX.

Barredæ adventus. Oppidi ad flumen Saladum translatio.

De oppido in ruinam præcipite edoctus Barreda ingemuit enimvero; Quantum enim negotii dederint Hiſpanis Abipones quondam hoſtes, noverat, atque adeo amicitiam illorum toti provinciæ ſalutarem omni ſtudio conſervandam porro exiſtimavit. Nil cunctatus quadringentis cum equitibus in viam ſe dedit eo conſilo, ut jam jam fatiſcens oppidum a periculoſa Ycholay, a ſanctæ fidei urbis vicinitate avulſum Jacobopolitano agro propius admoveret. Iter ſane perarduum habuit, Primis namque diebus ad viginti ſæpe leucas gutta aquæ, quæ vel aviculæ ſufficeret, haud ſuppetebat, amnibus, lacubusque diuturna Cœli ſiccitate exhauſtis. Poſterioribus imbre per dies aliquot pertinaci adeo ſubmerſus latuit campus, ut in aquis equitandum interdiu, noctu, ſomno urgente, cubandum eſſet. Colles enim, qui aqua mox defluente ſiccantur citius, paſſim deſiderantur. Militum non pauci avium more in arboribus noctes egere, quin gleba duriore, quam ex altis formicarum tumulis decerpſerant, arborum iter ramos collocata focum excitare ſibi norunt ad aquam, quam herba Paraquarica conditam bibunt, calefaciendam. Fluvii, quotquot via offert, ſolito turgidiores natando ægre ſuperabantur. Barreda ipſo Pentecoſtes die oppidum noſtrum paulo ante meridiem attigit. Stillantibus aqua



qua pluvia veſtibus ab equo ad templum properans mihi ad aras operanti miniſtrum ſe ſtitit, præclaro ad circumſtantes milites, ac Indos exemplo, quod & ſæpe alias religioſiſſime præſtitit, ubicunque verſaremur. Cæterum in eo totus erat, ut afflictis oppidi rebus celerrime mederetur, quod, ne interiret, ad fluminis, cui Salado nomen, ripas octoginta facile leucas a primo ſitu diſtantes, transferendum duxit. Verum hæc medicina ipſo morbo & acerbior, & periculoſior nobis videbatur, quia dulcis amor patriæ, maxime Americanis.

Alaykin certe reliquorum princeps migrationem ejusmodi audacter, prudenterque damnavit vel eo nomine, quod ſitus, qui coloniæ deſignabatur, minime idoneus ſibi videretur. Viſne tu, Barredæ ajebat, aquam dein' amaram bibamus, quam vel equi noſtri ſorbere nunquam potuere? Fluvius enim Saladus, etſi ſuo in fonte dulcis, ex amnium ſalſorum acceſſione ſalis tantum, ac amaritiei contrahit, maxime dum pluviis deficientibus deficit, ut ne beſtiis quidem ſit uſui. Abipones cæteri ad unum omnes Barredæ conſilia averſati nativum ſolum tot frugibus, ferisque ad delicias abundans, tot latibulis ad ſecuritatem munitum, ut Pergama ſua, plurimi fecerunt ſemper. Hiſpanorum vicinitatem perinde, ac ſervitutem, cum illam hujus eſſe occaſionem experti ſint aliarum nationum exemplo, ſolertiſſime refugiebant. Zapancha, de quo plura ſuperius, cænans cænantem conjugem ſuam cultro trucidavit, quod Hiſpanorum de mutatione oppidi ſententiam ſibi probari affirmaret imprudens muliercula. Adeo nec mentionem de hoc argumento ferebant. Munuſculis, promiſſisque dulcibus etſi Barreda demulceret ſingulorum animos, voluntati tamen ut ſuffragarentur ſuæ, impe-

tra-

trare neutiquam potuit. Stragulum laneum, quo noctu se tegebat, variis coloribus acu eleganter pictum Caziquio Malakin dederat. Donum hoc pro hamo ad captandam ejus benevolentiam, ac præ omni fascino fuit. Stragulo eleganti tectus Barbarus actutum mentem mutavit, quo quo Barredæ luberet, migraturum se cum suis spopondit. Caziquium Ypirikin cum ejus asseclis in suam sententiam pertraxit. Adeo dona præ verbis ubique gentium plus possunt.

Qui Caziquiorum Alaykin, Oaikin, Machito, & Zapancha partes sequebantur, timebant enimvero, ne vel inviti, quo ire recusabant, ab Hispano milite raperentur, & quod tergiversari pergerent, ab irato Barreda hostium instar per insidias peterentur denique. Solliciti igitur, quo evasura esset res, ad vim omnem propulsandam Ychamenraikin sancti Hieronymi Caziquium principem, veterem amicum, suppetias vocant clanculum. Adfuit ille cum lectissimo suorum manipulo ad consalutandum, ut ajebat, honoris gratia Barredam. Repetitis, quas iste cum nostris Caziquiis habuit, consultationibus interfuit Ychomenraikin, & qua potuit, verborum, argumentarumque contentione migrationem ardentissime dissvasit. Verum, quod alienam in messem falcem mitteret, leniter reprehensus a Barreda, mirum quantum excanduit. Exasperati animi acerbitatem licet silentio presserit coram Hispanis, illorum tamen amicitiæ nuncium remittere, collatis cum Alaykin consiliis, actutum constituit. Fixum illi erat, sancti Hieronymi oppido, trucidatis binis sacerdotibus Brigniel, & Navalon, terga vertere, ad nota sibi latibula regredi, bellumque in Hispanos instaurare. Huic prælusurus, ingentem equorum lectissimorum copiam Barredæ militibus noctu rapiendam curavit per suos.

Et vero meditatam Patrum cædem, oppidi ſui incendium, fugamque cum ſuis executurus erat illico, ni per Chitalin Mocohiorum Caziquium, Romanis dudum ſacris initiatum, ſibique familiarem a nefando propoſito abſterritus fuiſſet. Opportune is ex ſancti Xaverii oppido venerat, de ſuis apud Hiſpanos adhuc captivis Barredæ locuturus, atque inde officii cauſa ad ſancti Hieronymi Coloniam, quæ decem ſolum leucas a noſtra aberat, aliquantulum deflexit. Tanti apud Ychamenraikin ponderis fuit ejus amicitia, ac, qua valebat plurimum, eloquentia, ut impia conſilia ejus ex animo penitus exterminarit. Ad ſervandam utriusque ſacerdotis noſtri vitam, ad ejus periculum detegendum divino miſſus conſilio videbatur. Ychamenraikin mutato jam animo equos Barredæ militibus ademptos per Ychoalay ad ſancti Jacobi territorium reducendos curavit ſubinde, & amicitiam cum Hiſpanis coluit porro.

Tanta fuit tempeſtatum, imbriumque ultra menſem pertinacia, ut camporum planities omnis in ſtagnum converſa videretur. Equi diu noctuque aquis immerſi emollitis ungulis periere quam plurimi, ſuperſtites vix pedibus jam inſtiterunt. Itineri faciendo impares ea de cauſa per viam relicti ad trecentos. Militum non paucis, qui decem equis inſtructi advenerant, nec unicus ad reditum ſuperfuit, ut adeo alienis, quos ſocii obtulerunt, uti cogerentur. Hos inter Cœli procelloſi, & populi, quoties de migratione injecta eſt mentio, indignantis tumultus menſis abiit, mihi ſane triſtior novem illis menſibus, quos ultro citroque navigans oceani inter procellas conſumpſi. Barreda quoque morarum impatiens, non expectato imbrium fine cum ſuis, & quæ ſequi ſe demum voluerint, Abiponum familiis abire conſtituit. Pridie iti-

ne-

neris præmiſſa quatuor plauſtra, domeſtica oppidi, ſacraque templi ſupellectili, portis, valvisque domus onerata; Ad hæc ſingula trahenda quinque boum paribus plerumque, viginti adhæc equis adjutoribus opus fuit præterea per vias aquis, paludibusque horrentes. Cum denique vires nullæ, nullæ induſtriæ ſufficerent, ad plauſtra allevanda & portas, & quidquid ex ligno, abjicere in via oportuit.

Nobis ad abitum accinctis Abipones ſuis quieti conſedere in tuguriis. Singula mecum jam equite eques Barreda obiit. Diſpicerent iterum, iterumque, quid conſilii caperent, mæſta, minacique voce per interpretem me dicebat ſingulis. Habiturum ſe pro amicis, qui ſe ſequerentur; Qui iſtic remanſerint, eos Ychoalay, Hiſpanorumque ſanctæ fidei vindices manus vix evaſuros. Acerrime ſe inſectaturum eos, quot quot pacem datam violaverint dein. Verum Surdis cantavit fabulam. Triſte ſilentium, torvi vultus pro reſponſo fuere. Nil cunctandum porro ratus Barreda mecum, militibus partim præmiſſis, partim ſequentibus ex oppido diſceſſit, ubi relinquendus ſocius meus Joſephus Sanchez fuit ſubita viſcerum ægritudine tentatus, poſtridie tamen ſe nobis conjunxit. Primo profectionis die Malakin, cujus voluntatem eleganti ſtragulo emptam ſuperius dixi, alterque Caziquius Ypirikin triginta aliquot cum familiis nos ſunt aſſecuti. Quantum iſtorum adventus Barredæ animum exhilaravit, tantundem is doloris ceperat ex Alaykin remanentis abſentia, qui ut ſoli nativi, ſic propoſiti ſui tenax cum reliqua, quam copioſiſſimam numerabat, gente nos ſequi præfracte recuſavit, ſuo, ut dein intelliges, damno.

Quantæ nobis per omnem viam exhauriendæ fuerint difficultates, facile conjicies, si, quæ de meo ad urbem sancti Jacobi itinere alias scripsi, in memoriam revocaveris. Secundus profectionis nostræ dies finis imbrium, principiumque serenitatis fuit. Verum triginta aliquot dies continuata pluvia campos omnes natura sua planos, declivesque inundaverat omnino. Solum in salum abiisse, jurasses, quoquo oculos conjeceris. Nusquam siccum palmum terræ deprehendimus toto itinere. Aqua ad suras pertingente plerumque, non raro genua attingente per dies unum & viginti equitandum nobis fuit quotidie. Humor assiduus nobis ut officeret minus, exspirareque liberius ut posset, nudatis semper pedibus, calceis, tibialibusque ex ephippiorum fastigio suspensis equo insedimus. Aqua enim intra calceos conclusa animi defectiones subitas, stomachi imbecillitates, minuta ulcera, capitis dolores, aliosque generat morbos in America, quod experientia ipsus didici, & in aliis crebro observavi. Folium tabacæ dentibus mansum, & cum saliva pedum plantis illitum, noctibus singulis remedio nobis adversus noxium humorem, atque adeo saluti fuit. Eundem in finem tabacæ fumum haurire identidem non utile modo, sed & necessarium putabatur. Sub dio, sub Jove frigido noctes agendæ, nisi quod raro pruina defuerit, quæ a capite ad calcem dormientes nos texit; Mense quippe Junio, qui hyemis portio in Paraquaria, magnopere exasperatur aura, & quamvis nivibus careat, Auster sæviens frigus præter morem acrius afflat in sancti Jacobi territorio, alpibus nivosis (la cordillera) quæ Paraquariam a Chilensi separant regno, propinquiori. Cubare noctu dum lubuit, & artis & felicitatis erat stationem detegere aliquam, quæ etsi luti plurimum, parum aquæ habe-

be-

beret. Flumina aliquot, quæ ſuis egreſſa litoribus latiſſime vagabantur, vel natatu, vel corii Bubuli ope transmittenda fuere. Plauſtra ingentia, ovium, boum, equorum aliquot millia ſine ponte, ſine cymba trajicere majoris negotii, longiorisque temporis labor erat.

Poſt repetitas gelidis in aquis natationes, quotidianas inter aeris injurias, & defatigationes neminem Hiſpanorum morbo correptum fuiſſe, id equidem mirabar ſæpe. Abiponum tamen aliquis, Hemakiè dicebatur, fatis ceſſit. Hic oppidi ſancti Ferdinandi dudum incola, frugis non optimæ, & nuperrimo equorum apud Hiſpanos raptu infamis cum Ychoalay oculos, manusque ultrices reformidaret, ad nos, vitam tuiturus, veteri in oppido accurrit. Paucis ante migrationem diebus, ſibi nobiſcum proficiſci ut liceret, ſupplex a Barreda impetravit. Fractis jam tum viribus, & macie adeo erat confectus, ut equitationis impatiens plauſtro veheretur. Svavius iſtic ut cubaret, lecti mei ſtragulum ſubſtravi. Sed enim plauſtri ſuccuſſum haud ferens equo, ut potuit, prorepebat, volare prius aſſvetus. Omne pietatis genus illi a nobis liberaliter impenſum. Morbo per momenta ingraveſcente, religionis capita edoctus, ſacroque tinctus latice in campo, cui Don Ghil nomen, placide exſpiravit. *Dios ecnam Caógarik Grkauagiìkam! Dios latè ìkauagraniapegalge* Creator Deus miſerere mei! Mater Dei intercede pro me, poſtremi, ac identidem repetiti gemitus illius fuere. Dum eodem loco ſepulchrum illi cavatur, tanta undique aqua ſcaturiit, ut merſus potius, quam humatus dici poſſit. Lugubri Indarum ejulatu, conſonantibus recepto more cucurbitis, illi parentatum eſt diu. Nos luculentum miſerentis Dei beneficium interpretati ſumus, hominis

per omnem ætatem pessimi bonam, ut confidimus, mortem.

Milites aliquot, quos viæ tædium cepit, fuga dilapsi. Alter, domui suæ qui inhiabat ardentius, incredibili flagitio reditum accelerare suum conabatur. Noverat, in fabrica novæ coloniæ diutius se detinendos. Barredæ consilia igitur ut disturbaret, benevolentiæ, commiserationisque simulatione Abiponibus fugam, reditumque ad patrias terras celerem svadet, & affirmat: Eo solum fine a Barreda illos a patrio abduci solo, ut per insidias, quam primum opportunitas se dederit, contrucidari omnes impune possent. Caverent sibi itaque ab Hispanorum vicinitate, ac ad avitas patriæ suæ latebras revolarent sine cunctatione. His improbi hominis hortatibus suspicaces Barbari fidem adhibuere eo promptius, quod hanc formidinem animo altissime impressam circum tulerint semper. Postridie nobis iter ingredientibus Abiponum nemo se movere visus est. Attonitus repentina tergiversatione Barreda causam sciscitatur, nil tamen exsculpsit omnino. Dum denique fœmina, olim Hispanorum captiva, impudentem militis ad Abipones concionem proderet, militem tamen, multis licet precibus, ac promissis sollicitata detexit nunquam. Nebuloni post homines natos profligatissimo, quisquis ille fuerit, mille mortes comminatus Barreda Malakin Caziquio credulitatem ridiculam exprobrat, eique, ut ad prosequendum iter novo amicitiæ testimonio alliceretur, nodulos duos argenteos, sui quibus indusii manicas clauserat, porrexit, cum, quod dono daret, nihil sibi jam reliquum videret. Et vero argenteum illud munusculum, ut prius stragulum, magnetis instar fuit, tergiversantesque Indos ad nos sequendos pertraxit. At enim violenta nil dura-

rare, hic quoque experti ſumus. Hiſpanorum finibus quo magis propinquabant Abipones, eo acriori, quod a patria receſſerint, pœnitentia, metuque tangebantur. Noctu cum Barreda ad focum humi conſidentibus nobis adeſt cum ſuorum aliquot Malakin: Has terras ſuis nec probari, neque expedire omnium contubernalium nomine proteſtatur. Hiſpanæ gentis propinquitatem periculoſam ſuis, atque adeo formidabilem videri. Deſiderari iſtic arbores, fruges, radices, herbas, ſuæ quibus carere mulieres neutiquam poſſint, lamentatur. Objecta ut dilueret, vacillantesque animos in officio contineret, eloquentiam exhauſit ſuam Barreda. Ex Hiſpanorum oppidorum vicinitate beneficia, emolumenta, ſecuritatem, opportunitates, neſcio, quas illis liberaliter magis, quam credibiliter pollicetur. Quæ quidem ampliſſimæ, magnificæque pollicitationes nobis ſtomachum movebant; Nam, dum promiſſis contraria experiuntur Indi, mendacem eſſe Hiſpanum, & verbis, quam rebus liberaliorem, nobis identidem oggannire conſveverunt. Enimvero ſitus, ubi locata recens colonia, & nobis, & Abiponibus miſeriarum triſte ſeminarium fuit.

CAPUT XXXI.

Recentis ad Saladum flumen Coloniæ calamitates, ac perpetuæ mutationes.

Duo ſupra viginti fluxerunt dies, dum denique locum attigimus, coloniæ deſignatum. Rincon de Luna, rincon de Yacare, la fragua ab Hiſpanis dicitur, quod latibulum Hiſpani Luna, latibulum Crocodili, officinam, in qua ferrum cuditur, ſignificat. Diverſa diverſorum nominum origo, quam exponere non vacat. Verum ſub multis nominibus parum rei latet. Ab ortu ſolis ripam Saladi fluminis: Ab occaſu campum late patentem habet: Ad ſeptentrionem, meridiemque ſylva utrinque clauditur. Hanc inter campus medius, vix quadringentos paſſus latus & ab eminenti fluminis litore declivis pro oppidi ſtatione delectus eſt, quod melior oculis non occurreret. Aqua fluminis, licet diuturnis ex imbribus turgidi, ſalis & amaritiei adſperſum aliquid hyberno etiam tempore habuit; Flumen poſtquam detumuerit, ſolis æſtu accedente, aquam, quæ nobis uſui ſit, certiſſime defuturam, omnes præſenſimus. Barreda obvio Coloniæ ſitu contentus triſtia hæc, quamvis veriſſima omnia, ægris auribus accepit, & qui hanc aquam faſtidierit, ajebat iratus, ex Parana fluvio, centum facile leucas diſtante, per me licet, bibat. Acquieſcendum erat viro bono, ſed reditus avidiſſimo. Eo curante raptim ſtructa mihi, ſocioque tuguriola ex ſtipitibus ſicco gramine veſtitis. Tertium item ejusdem formæ, quod templi vices ſubiret interea.

Abi-

Abipones sub ftoreis, quibus in itinere uti folent, habitare cogebantur. Nec plus. Abit cum fuis militibus Barreda, & jam novi oppidi conditor apud Tucumaniæ Gubernatorem, apud Limanum Proregem, apud Regem Catholicum, apud omnes proclamatur.

Nos in vafta folitudine nobis, Barbaris, miferiæque, ac quotidianis vitæ periculis relicti facrificia obedientiæ, patientiæ miracula a cordatis Hifpanis, qui nos viderant, dicebamur. Profecto fi quot admiratores oculos, totidem manus adjutrices numeraffemus, bene nobis, optime noftris Abiponibus fuiffet confultum. Habitavimus miferrime feptem omnino menfes. Cafæ noftræ, coturnicum caveis fimiliores, foli, vento, pluviis, ferpentibus, bufonibus, gliribus, & quod maxime periculofum, tigridibus patebant undique. Bina foramina portam, feneftramque fuppleverunt; corium penfile illis claudendis objecimus. Pro tabulis parandis equidem & materies, & fabrilia inftrumenta defiderabantur. Tigridum, quæ propinqua in fylva latitaverant, magna frequentia, major audacia fuit. Cœlo pluvio, vel frigidiore cumprimis, ut contra aquas, ventumque procellofum fe tuerentur, in Indorum tentoria, more fuo, irrepferunt non raro; Ad noftra quoque tuguria aditum tentaverant interdum, quod ex luculentis, quæ juxta portam mane deprehendi, veftigiis illarum patuit; Sed ab ingreffu per moloffum, quo excubitore utebar, identidem absterrebantur. Equi plures, quos, ut in promptu haberent, ftorearum fuarum perticis loro alligare folent Indi, vel difcerpti noctu, vel fauciati. Quo plures tigrides Abiponum haftis confoffæ, eo plures, veluti ad vindicandas fociarum mortes, accurriffe videbantur. Glires prægrandes turmatim e campo ad nos confluxerant, fame ftimu-

lante, & eſculentis nusquam repertis, quidquid ſeu ligneum, ſeu lineum, laneumque domi noſtræ fuit, corroſere. Oppidi ſtatio fluminis ſaladi litus, atque adeo bufonum innumerabilium ſedes fuit, qui ut mole corporis, ſic veneni atrocitate hujates longe excedunt. Ictu, vel calcibus offenſi urinam ejaculantur, oculis certe exitialem. Sole occumbente e latebris proſiliunt gregatim, ſolumque omne dum tegunt, glaciei inſtar lubricum id ambulantibus reddunt. Hæ loci ærumnæ, de noſtris quid dicam?

Quotidianus victus ſola carne bubula, eaque miſerrima fere definiebatur. Interdum aliquid ex ſtruthionum, quos Indi ceperant, alis delibatum. Si quando, quod rariſſimum, biſcocti panis portiuncula ex urbe nobis obtigit, paucos intra dies in Indos ſemper famelicos, ſemper importunos mendiculos, erogata eſt. Vini extra Miſſæ ſacrificium uſus rariſſimus, ac prope nullus. Veſtibus obſoletis, uſu attritis tegebamur ſemper. Verum tolerabilis hæc, quæ nos afflixit, rerum penuria; Illud acerbiſſimum, caruiſſe nos illis præſidiis, quæ ad Indos juvandos, recreandosque neceſſaria vulgo putantur. Præter carnem bubulam, eamque, bobus itineris aſperitate incredibiliter emaciatis, ingratiſſimi ſaporis, quod illis largiremur, noſtra in penu erat nihil. Struthionum, quibus vicina ſcatet planities, quotidiano venatu, mellis, quod ſubtus terram latet potiſſimum, collectione ut tempus fallere, ſic famem mitigare conſueverunt. Apri, cervi, urſi formicarii, palmarum, arborumque aliarum fructus, radices eſculentæ, quæ omnia in chaco paſſim ad manus ſunt, ac in cupediis numerantur, hic nusquam inventæ. Numeroſus ovium grex, qui texendis veſtibus lanam miniſtrabat, nocte una totus diſparuit. Sylvis, campisque remotiſſimis

per

per Abipones equites, peditesque diligenter excussis ne vestigium quidem illarum compertum est. Lapso octiduo post fugam aries unicus oppido sese restituit; Quo devenerint tot ovium centuriæ, in hanc usque horam latet, neque facilis est conjectura, nisi, cum nullum usquam reliquerint vestigium, illas avolasse quis somniarit.

Extremæ paupertati perturbatio rerum assidua accessit. Regia via, qua ex Tucumania ad Sanctæ Fidei urbem itur, cum oppido adjaceret, commeantes ultro citroque equos nostros, bovesque per pascua sparsos rapuerunt frequenter. Idem per vagantium Barbarorum manipulos impune factitatum. Deprehensi aliquoties prædones, sed, cum vanæ sine viribus iræ, inutilis fere prædii excubitorum vigilantia fuit. Ab Alaykin nativo in solo remanentis Contubernalibus emissarii alii ex aliis advenere, qui oppidi situm, ac res cæteras explorarent, Malakin Caziquii nostri gentem ad reditum pellicerent; Ni morem amice invitantibus extemplo gesserint, hostiles assultus, extrema quæque comminarentur. Enimvero Malakin semper sibi constitit, minarum æque, ac promissionum contemptor, alii tamen ejus Contubernales non pauci seu miseriarum impatientes, seu comminationibus territi, seu patrii soli dulcedine tracti ad Alaykin contubernia remigrarunt, e quibus alii se nobis adjunxerunt iterum, iterumque. Ut æstus affluentis, refluentisque Oceani, sic itus, & reditus Barbaris prope quotidianus. Jam spe, jam metu ad varianda stativa impelluntur, vagationum semper amantes.

Alaykin, qui oppidi mutationem se invito factam necdum concoxerat, ut Hispanos inter late terro-

terrorem ſpargeret, cum longo Abiponum agmine profectus vias omnes, Cordubam inter & Sanctæ Fidei urbem medias inſedit, iter agentibus quibusvis non formidandus modo, ſed & exitialis. Trucidati Hiſpanorum mercatorum aliquot, ſpoliati alii, alii detenti, vexatique. Baraſſa Jacobopolitani, ſociorumque trunca ſine capitibus cadavera in via, quæ a cucurbitis (los porongos) nomen obtinuit, ad tegendas cædes lacui injecta, ſed ab alio fors transeunte paulo poſt detecta fuere. Ex illa prædonum, qui Alaykin ſequebantur, colluvie latrociniorum buccinator quispiam noſtrum auſus eſt oppidum ſubire, ubi ſua, ſociorumque adverſus Hiſpanos inermes facinora, opulentasque prædas jactans Malakin noſtri contubernalibus ſocordiam, & quæ inde naſcebatur, pauperiem exprobravit. Oſtentationi minas adjecit: Conflatas ex Abiponum flore turmas ad oppiduli ignavi internecionem præſto adfuturas, ni excuſſo Hiſpanicæ ſervitutis jugo ad patrium ſolum mox remigrarint. Hæc ait & fulmine ocyor ad ſua ſuo in Pegaſo latibula revolavit. Si, ut minari incurſionem nobis, ſic exequi auſi eſſent, de vita noſtra conclamatum fuiſſet utique. Aperto in campo habitavimus. Domus nullis, ut alias ſolet, ſudibus munita hoſtium telis, flammisque, quas ejaculari ſagitta conſveverunt, omni ex parte patebat. Abipones, qui vim vi repellerent, perpauci nobis erant ſuper. Ipſe loci ſitus hoſtilibus inſidiis opportuniſſimus fuit, cum ſylvis circumjacentibus eorum itinera tegerentur. Hinc, quod nobis aliunde ad ſecuritatem procurandam defuit, vigilantia ſupplevimus.

De Abiponum hoſtilium cædibus, rapinis, conſiliis, ac minis per curſorem protinus certiorem reddidi

didi Barredam, ut, si qua posset, ratione illorum licentiam refrenaret, nostræ, Hispanorumque iter facientium incolumitati consultum iret. Missi equidem ad nos iterum, iterumque equestres manipuli, tum ut præsidio adversus hostes essent, tum ut nobis domus struerent. Militum, fabrorumque partes omnes impleturi sclopum, hastamve manu altera, altera securim tenere, cogebantur; Fatendum tamen, nunquam propius, impudentiusve Barbaros coloniæ imminuisse, nunquam plures equos, bovesque nostro e campo fuisse abductos, nunquam nobis plus seu negotii, seu periculi exstitisse, quam pauculis his militibus præsentibus. Noctes integræ sæpius in armis actæ. Multa, quæ risum mereantur, Panico ex terrore orta silens prætereo. Barbari sibi victores videbantur, quoties Hispanos a se territos, fatigatosque intellexerunt. Ipsus demum Barreda binis cum equitum centuriis adfuit; Illo curante e crudo latere, tignisque affabre elaboratis duo nobis constructa cubicula; Tertium iisdem cohærens, quamvis longius, sacra ædicula dicebatur. Fabricæ totius non spectatores nos, sed strenui adjutores fuimus; Limo, & ligno ad sudorem occupati manus, pedesque certatim fatigavimus diebus integris. Operis, quantum erat, architectum collegam meum Josephum Sanchez exstitisse, nemo est, qui ignoret.

Illud magnopere dolendum, ædes tam operose paratas menses pauculos nobis usui fuisse. Me equidem paulo post ad sancti Hieronymi oppidum moderatorum jussu translato, Patri Sanchez, Indisque alio migrandum fuit dein. Namque exhaustis diutina Cœli siccitate fluviis, lacubusque propinquioribus; vel certe aquam sale aspersam propi-

nantibus, campo graminibus nudato, antequam pecora cum incolis fame, sitique conficerentur, coloniam ad fluvii dulcis, qui leucas sat multas abest, litora transferre oportebat denique. Illic collocatos Abipones repentina, & qua majorem indigenarum nemo unquam viderat, fluminis alluvio noctu dormientes oppressit, & parum sane abfuit, quin omnes demergeret. Jam quaerendo, jam fugiendo aquam iterum, iterumque mutare coloniam cogebantur. Ex repetitis migrationibus quanta in Indos, ac Indorum curatores Sacerdotes calamitas, quanta pernicies in pecora redundaverit, piget memorare. Post quatuordecim, quod Pater Sanchez mihi scripserat, coloniae mutationes in occidentali, quam Hispani habitant, fluvii dulcis ripa felicior demum situs illis obtigit. A sancti Jacobi urbe meridiem inter, ac orientem quinquaginta circiter leucas; A campo, cui *Los porongos* a cucurbitis nomen est, ubi flumen dulce absorbetur, & in stagna dein dividitur, sexdecim admodum abest. Neque uspiam laetiora pascua; Paucos intra annos vaccarum numerus ad triginta millia accrevit, plurimae quamvis alendis Abiponibus quot annis absumerentur maxime, postquam Debayakaikin numerosis cum Contubernalibus coloniae se adjunxerat, ex sancti Ferdinandi oppido fugitivus; Novus hospes reipsa hostis coloniae fuit, quippe quam novis identidem turbis ob annosas cum Ychoalay simultates involvit, quod supra memoravi. Veterator Barbarus, homo inquies, Praediorum hirudo, coloniarum, in quibus versatus est, omnium certissima pestis oppido Conceptionis valere jusso cum plerisque suorum avitas in Chaco latebras repetiit, ubi, ut alias dixeram, ab Ychoalay dimicante trucidatus denique fuit.

Pacis

Pacis turbatoribus libera enimvero respirare cœpit colonia, & conquiescere. Etsi fructus neutiquam operæ responderit, quam illi excolendæ per annos circiter viginti strenuus Pater Josephus Sanchez variis cum sociis navarat, multi tamen adultorum, supremo præsertim vitæ articulo, infantium plurimi sacro latice tincti, reliqui barbariem dedocti sunt. Hispani gentis istius, tot olim annos sibi infestissimæ, pacem, amicitiamque pro immortali beneficio habuere; Illud & patientiæ nostræ potissimum, & industriæ deberi tum demum intellexerant, postquam nos amisere. Nobis enim in Europam, collachrymante tota Praquaria, remissis Abipones plerique omnes ad ingenium, feritatemque pristinam redierunt, vix, ac ne vix quidem ab Hispanis porro pacandi.



CAPUT XXXII.

Colonia ab Abiponibus Yaaukanigis habitata, & Sancti Ferdinandi, ac Sancti Francisci Regis nominibus insignita.

Barbarorum latrociniis ad incitas redacta Correntina Civitas urbium aliarum exemplo coloniam ex Abiponibus Yaaukanigis conflandam sibi dudum peroptaverat, quæ sibi adversus Mocobiorum, Tobarumque incursiones præsidio esset. Nicolao Patrón Progubernatore curante, Ychoalay, qui prius repugnabat, jam consentiente paratum oppidulum. Situm non optimum ipsi delegere Indi, ab Hispanis, cum opportunior haud suppeteret, tandem probatum. Campus est tenuis in occidentali Paranæ fluvii, paulo superius cum Paraquay flumine coeuntis, litore, duas a ripa leucas distans. Ad orientem urbem Correntinam eidem flumini incubantem a fronte, fluvium nigrum (Rio negro) a tergo habet, navium etiam majuscularum patientem, sed aqua amara, salsaque, quam vel bestiæ respuunt, semper infamem. Sylvis utrinque, & stagnis amplioribus obsidetur, quæ tamen omnia, unum si demas, aqua dulci carent, sed hirudinibus, crocodilis, & vario colubrorum prægrandium genere abundant. Piscium, quod a crocodilis vel terrentur, vel consumuntur, nusquam vel umbram deprehendas. Totus hic terræ tractus, paludibus, sylvisque passim interclu-

sus

ſus in planitiem excurrit. Pabulum armentis, gregibusque uberrimum juxta, ac ſaluberrimum præbet, præſertim ubi palmarum ſylva (Abiponibus nebokehát, Quaraniis Carandaytí) in Paranæ litoribus ad multas leucas porrigitur. Gleba, ſi rite colatur, multo cum fœnore ſementem cujusque rei reddit. Arbores fructibus diverſiſſimis pollent, ſimiorum quoque ingentium, pſittacorum loquacium, aliarumque avium catervis perſtrepunt præterea. Apri, cervi, damæ, cuniculorum varia genera, porci aquatiles (Abiponibus atopehenřa, Quaraniis Capiyguára) anates, mel copioſum, ſiliquæ græcæ, & quod rei caput, arbores variæ & altitudine, & duritie præſtantes, quoquo te vertas, ad manum ſunt, navium, plauſtrorum, ædiumque fabricæ inſigniter ſervituræ. Nusquam tigrides deſunt, utinam abeſſent! Cœlum immodicis caloribus exæſtuans tempeſtates, turbines, fulmina, nimbos crebro effundit, & liberaliter. Aura ob circumjacentium paludum ſtagnantes aquas ut vaporibus noxiis, ſic culicibus innumeris prægnans vitam inſvavem, noctes intolerabiles habitatoribus reddit.

Hæc tamen Yaaukanigarum multis abhinc annis fuerat ſedes. In hac ſtatione, dum ſacerdotibus ſe in diſciplinam dedere, porro habitare illis viſum eſt. Princeps eorum Caziquius Naré dicebatur nobili apud ſuos genere, & factis militaribus inſignis, quamvis cæterum nec corporis, nec animi magnitudine eximius ſingulari pro mulieroſo, ebrioſoque paſſim haberetur. Otii, quam negotiorum appetentior mentis languorem prodidit undequaque. Hoc tamen naturæ vitium quadam virtutis ſpecie ſeu texiſſe, ſeu penſaſſe cenſebatur. Namque pacem, quam Hiſpanis petentibus indulſerat,



fide integerrima coluit ſemper, quod idem ejus aſſeclæ prædarum ſitientes timori, non virtuti tribuerunt. Illud certum, & ſi Abiponum ingenium ſpectes, profecto rariſſimum: Narè ab innocuis etiam ad inviſendos vicinos, ad venandos equos, vel cervos itineribus conſtanter abſtinuiſſe. Domi ſutoris claudi inſtar conſidens rariſſime equum conſcendit. Quamvis re nulla egregius eſſet, ſagittarius nemo unus illo dexterior putabatur. Complures illi fratres natu minores; Hos inter maximi erat nominis Pachiekè projectæ ad quidvis experiendum audaciæ, ſagacis ingenii, & ſi quis alius, fervente adhuc bello Hiſpanorum cervicibus formidandus. Animorum illi plus, quam corporis fuit. Magnanimitatis tamen famam compotationum frequentia, & repetitis, antequam ſacris Romanis initiaretur, uxorum repudiis obſcuravit. Nicolao Patron præ cæteris in amoribus, atque adeo, dum de bello agebatur, a conſiliis fuit. Nos quoque, quoties contra hoſtes res erat, in ejus ſagacitate non minus, quam ſtrenuitate plurimum eſſe momenti, exiſtimavimus. Præter Narè Caziquios Oahári, & Kachirikin, ut ætate florentes, ſic patritia ſuos inter nobilitate, ac prædandi ſcientia inſolentiſſimos Yaaukanigarum nonnulli ſectabantur.

Sacerdotum noſtrorum alii, atque alii inhujus coloniæ procuratione ſibi ſucceſſerunt. Magnis ſinguli venere animis, ſed attritis mox viribus ad valetudinem reſtaurandam revocati plerique omnes. Patres Thomas, & Joſephus Garzia primi conditores quanta ferocientes inter Barbaros faſtidia, periculaque exhauſerint, incredibile. Kachirikin petulantiſſimus, quod pro arbitratu ſuo vaccas jugulare non ſineretur, citatiſſimo equo accurrens Joſepho

Gar-

Garzia laqueum injicere tentavit, Hiſpanis coram aſpectantibus. Poſt menſes aliquot iſtis ſubrogati ſunt Patres Joſephus Roſa, & Petrus Ebia: Hic pedes, ille caput graviter affectus abiit. Denique P. Joſephus Klein Bohemus Glazenſis, etſi invaletudine tentatus identidem, tanto oneri ad finem usque par fuit. Quanta egerit, tuleritque per annos circiter viginti, cogitatu, quam dictu facilius. Enimvero inſtituti mei haud eſt panegyricum, ſed hiſtoriam ſcribere. Mirabar ſæpe virum tantillo in corpore (quod & ejus cognomen prodit) tantos animos circumferre. Miſeriis, periculisque omnibus usque ſuperior fuit: Hæc contempſit intrepidus: Illas tranquillus toleravit. Subſidiis annuis, quæ Quaraniorum opulenta oppida largiebantur, dextre uſus, Patre Hieronymo Rejon procurante, prædium locuples in adverſo Paranæ litore ſtabilivit, ex cujus proventibus alendis, veſtiendisque dein Abiponibus neceſſaria colligebat. Quamvis, quod alibi conqueſtus ſum, ex Barbarorum pace, amicitiaque utilitatis plurimum in urbes Hiſpanorum derivaretur; Hæ tamen ad conſervandas illorum colonias parum, vel nihil omnino contribuebant, inopiamque cauſabantur ſuam, ut adeo totum de Indorum ſuſtentatione ſollicitudinis pondus noſtris humeris incumbat. Quod ſi penes Correntinos Cives ſtetiſſet, huic ſancti Ferdinandi coloniæ ab ipſis incunabulis fame, ac rerum omnium penuria certiſſime pereundum erat. Quidquid ſacræ ſupellectilis in templo, quidquid panni ad Indos veſtiendos noſtra in penu, quidquid pecorum in prædio, id propemodum omne Quaraniorum liberalitati in acceptis referendum fuit. Celebratus ſæpe, ſemper celebrandus ob ingenuitatem Nicolaus Patron Progubernator; Hic equidem, dum de condenda Yaau-

kanigis colonia ageret, a noſtro quopiam interrogatus: Ecquisnam aliturus eſſet hanc coloniam? prompte, candideque reſpondit: Hoc Jeſuitarum erit, procurare. Progubernatores alii colonias ſtructuri aureos nobis montes pollicebantur; Aſt ridiculus plerumque mus prodiit, cum eorum liberalitas magnificis pollicitationibus neutiquam reſponderet.

Multos ſæpe menſes Joſephus Klein incomitatus hoc in oppido egit; Alias diverſis temporibus jam Patres Gregorium Mesquida, jam Joannem Queſada, jam Dominicum Perfeti Romanum ſocios habebat, cui dudum morbido ſuccedere jubebar a Provinciali. Ex ſancti Hieronymi oppido, ubi biennium conſumpſi, adverſo flumine Parana dies aliquot miſerrimo lintre navigandum mihi, reliquum viæ ex ſanctæ Luciæ oppidulo ad urbem Correntinam equo conficiendum fuit. Imbrium, qui præceſſerant, diuturnitas, Cœlum adhucdum procelloſum, & quod ex his conſequebatur, viæ incredibiliter paluſtres, amnium tumentium trajectus, Charruarum Barbarorum propinquitas iter mihi perarduum, & multis nominibus periculoſum reddidere. Ab ipſo tum Progubernatore ad ſancti Ferdinandi coloniam honorifice ſum deductus. Primo aſpectu, quæ nemini non displicerent, oculis offerebantur plurima: locus ſtagnis, lacubus, ſylvisque proxime impendentibus undique cinctus. Aer diu, noctuque ardens. Cubiculum arctiſſimum, porta duplici, feneſtra nulla inſtructum, palmarum male coagmentatis corticibus tectum, qui incumbente vento loco moventur ſuo, ut adeo, quoties pluerit, tantundem madeſias in cubiculo, quantum foris in campo. Dum prandendum, adfertur aqua

ex

ex ſtagno vicino, quod et canum, & equorum, & quibus non aliis beſtiarum gregibus tum balneum, tum potum præbet quotidie, feces omnes ex oppido, dum pluit, confluentes recipit, & hirudinibus, reliqua ut taceam inſecta, impletur. His viſis mirari demum deſii, a tot, qui me præceſſerant, ſociis valetudinis factam jacturam, ipſosque Indos indigenas cum tertianis febribus identidem fuiſſe conflictatos.

Annis ſuperioribus trecentas inter calamitates incolumis licet perſtiterim, parum tamen abfuit, quin hæc ſtatio mihi lethalis eſſet. Morbi originem accipe. Sole in occaſum vergente culicum innumerorum examinibus, ceu denſa nube, fervebat aer, qui turmatim in meum convolaverant cubiculum. Hoc, cum pro triclinio nobis fuerit, cibos pro cœna adferentibus æque, ac culicibus patuit, quos lux candelæ allicere ſolet. Illorum ſibilo clangente, & aculeis a ſomno abſtinebar quotidie. Nequidquam adhibita centum remedia. Fumus bubulo ex ſtercore culices arcet equidem, ſed me quoque ejus fœtor. Noctes integras inſomnes agere, in area domus, recentioris auræ gratia, obambulare jam denique in conſvetudinem mihi abiit, ex qua cibi omnis nauſea ſenſim enaſcebatur. Quotidianis vigiliis, inediaque adeo emaciatum me vidi, ut vix oſſibus hærerem. Erant, qui tres duntaxat menſes me fore ſuperſtitem, ominabantur. Verum ne funeſtis præſagiis funeſtus reſponderet exitus, Provincialis pietas impedivit, cujus imperio ad antiqua Quaraniorum oppida fui translatus. Non ſine lachrymis vale Abiponibus dixi, quorum conſvetudine per quinquennium uſus, & lingua mediocriter inſtructus eram. Spes tamen ad eos-

 dem,

dem, dum convaluero, redeundi a Provinciali facta discessionis acerbitatem mitigavit. Apud Quaranios, quorum mox linguam, Abiponica multo faciliorem, condidici, agenti mihi quarto demum mense in sanctae Mariae Majoris, quod Uruquay flumen ingens alluit, oppido inveteratum stomachi fastidium evanuit, cibi, somnique facultas, & valetudo integra rediit, ad quam recuperandam, quamdiu Paranae in oppidis detinebar, industriae medicorum, artesque nihil omnino valuerunt. Ex quo, quantum aeris temperies, Cœlique mutatio possit ad aegros recreandos, planissime intelligas. Confirmata licet valetudine Quaranios inter annos novem moratus ad condendum Abiponibus in Timbo coloniam rursus evocabar, & exacto biennio ab his denuo ad illos remissus. Paucis: Missionarii munere per annos duodeviginti functus septem Abiponibus, Quaraniis undecim impendi. Missionarii, ut militis, est ab eorum, qui praesunt, arbitrio pendere, huc, illuc commeare. Idem Apostolorum mos olim.

CA-

CAPUT XXXIII.

Oppidi Sancti Ferdinandi progressus, quos Debayakaykin retardavit.

Yaaukanigæ quo viliores Abiponibus cæteris, eo arrogantiores fere ſunt, minusque morigeri. Qui tamen ſaxa emolliri, æs liqueſcere, domari feras novimus, de iſtis ad frugem reducendis deſperavimus nunquam. Et ſane, dum ſoli adhuc in colonia verſabantur, ſpei affulgebat aliquid. Adultiores a ſolitis in Hiſpanos excurſionibus jam continuerunt ſeſe. Agris colendis operam dederunt plerique. Quotidiana nobiscum conſvetudine barbarum miteſcebat ingenium. Poſt menſium aliquot inſtitutionem humanum quid velut in herba efflorеſcere non ſine jucundo animi ſenſu animadvertimus. Sacri laticis, quem ſibi lethiferum prius autumaverant, horror ſenſim exolevit, & quamvis illo tingerentur tum infantes, tum adoleſcentum plurimi, jamjam connivebant eorum parentes. Ad quotidianas in religionis ſanctæ rudimentis inſtitutiones confluxere puellarum, mulierumque catervæ, ut adeo vel in America veterem devoti fœminei ſexus laudem ſibi vendicarint, confirmarintque. Præſtigiatrices tamen vetulæ, quas Barbarorum rituum antiſtitas dudum dixeram, vel limen templi terere nefas ſibi putarunt, quin quotquot poterant, ab ejus ingreſſu arcebant. Pueros equo cir-

cumvolitantes ad templum compellere, majoris negotii res fuit. Yaaukanigarum quispiam ætate provectior sub ipsa coloniæ primordia salutaribus expiandum undis cum sua se familia stitit. Joannis Boni, vir optimus, nomen jure nactus est; Namque semper sui similis nil unquam eorum intermisit, quæ vel a probissimo expectaveris. Ejus conjux, filia, captiva Africanæ originis, quæ sponte sua suo hero famulabatur, ab illius pietate nihil ablusere.

Spes optimas, quas de religionis, coloniæque lætis progressibus concepimus, in herba prope succidit infausti Debayakaykin adventus. Nam Ychoalay hostis sui aggressionem metuens cum Contubernalium suorum agmine ad hoc oppidum refugit, quod Hispanorum sub tutela cum esset, securitati suæ cautum omnino putabat. Ast vero paucos post dies idem Ychoalay commilitonum centuriis aliquot stipatus, cum Debayakaykin conflicturus, adfuit. Sanguini ut parceretur humano, evocatus a Patre Josepho Rosa Correntinus Progubernator utriusque factionis duces ad pacem, certis, quas alibi dixi, conditionibus sanciendam permovit. Tranquillatis eum in modum animis pax tum quidem coaluit. Ast Debayakaikin ad Conceptionis oppidum cum suis emigrante, utrinque recruduit bellum, ut superius scripsi. Jam, quam perniciosa fuerit sancti Ferdinandi coloniæ Debayakaykin cum Yaaukanigis conjunctio, obiter exponendum.

Voraces hi, turbulentique advenæ præterquam, quod carnis portione solita raro contenti boves clanculum, vitulosque, luculento prædii damno sibi mactarint identidem, coloniam ipsam bello

cum

cum finitimis Mocobiis, ac Tobis implicuerunt. Alaykin infelicem, relicto Conceptionis oppido cum suis in campo patente compotantem Mocobiorum phalanx sub diluculum oppressit, acrique demum velitatione cum septem commilitonibus in acie cæsum, ac mox rite assum eodem in loco devoravit. Septem aliorum, qui in pugna occubuerunt, corpora, adolescentis item duodecim annos nati barbarum epulum amplificarunt. Vetulam tamen, quam innumeris vulneribus confecerant, intactam reliquere, quod carnes illius jam duriores dictitarent, ac esui inutiles. Sauciati complures Abiponum equorum celeritate vitam servarunt, quam diffugientes cum prolibus fœminæ cæteræ vicini nemoris latebris tuebantur. Pachieke Alaykin filius paternam necem armis, quod religiose observant Abipones; vindicaturus Yaaukanigas, ac Debayakaykin contubernales Nakaiketergehes ad expeditionem in Mocobios suscipiendam pertraxit, in qua etsi nihil prope sanguinis hostilis fusum, provocati tamen hostili hac incursione Mocobii in coloniæ totius excidium conspirarunt. Assultus diu noctuque repetiti, & plures annos varia fortuna continuati fuerunt. E multis pauculos memorabo.

Dubia adhuc luce ingens Mocobiorum agmen in foro apparuit repente. Debayakaykin cum plerisque omnibus non sine cucurbitarum cantori consonantium strepitu poculis indulgentem, sed mox armatum circumstetere alii, alii interea equorum per pascua vagantium greges impune diripuerunt. Sanguine tamen nonnullorum ingens præda stetit. Nam Pachieke, Naré Caziquii frater, conscenso, qui ad manum forte erat, equo in extremum hostium recedentium agmen invectus hasta

 con-

confodit aliquot, quam fanguine recenti fpumantem redux oftentavit. Sæpe alias Yaaukanigæ, dum expeditos habuere domi equos, fugientium Mocobiorum prefferunt terga, eosque equis non folum, quos fibi rapuerant, fed &, quibus ipfi in itinere utebantur, fpoliatos, pedites domum remiferunt, quo vulnera pro prædis, & trifte de commilitonum mortibus nuncium reportaverunt. Pluviis percrebefcentibus, & amnium eluvione demerfi campi locum, ubi noctu cubarent, Mocobiis haud reliquerant alias. Idcirco e virgultis hinc atque hinc arboribus implexis lectos fibi ftruxere, quibus veluti craticulis citra periculi fufpicionem incubantes, noctu a Yaaukanigis infequentibus deprehenfi, jugulati alii, alii vulneribus, & equorum, quos abegerant, omnium detractione mulctati fuere. Pari utinam fortuna ufi fuiffent undecima Calendas Decembris in præda recuperanda. Hunc diem equis meis fatalem nullus unquam dies delebit mea ex memoria.

Pridie pecorum cuftos Quaranius obfervata hoftium veftigia, equosque in campo defiderari quam plurimos primo mane nunciat. Yaaukanigis jacturam fuam nequidquam deplorantibus eques cum focio Patre Klein, binisque adolefcentibus campum luftravi aliquamdiu. Flumen nigrum a Mocobiorum turma trajectum, impreffa arenis veftigia, gramen ab equorum multitudine attritum vidimus. Hoftes fua cum præda id temporis longiffime jam a nobis abeffe, nemo erat, qui ambigeret, qui de illis affequendis porro cogitaret, nemo. Lituum militarem inflavi fæpius; Mocobiorum lingua facetias edita voce diximus. Ab illis in propinquo latentibus, tacentibusque vifi, exauditi,

haud

haud tamen invaſi ſumus, quod aſſultum poſtridie in oppido faciendum meditabantur. In reditu cum de equorum, quibus inſedimus, celeritate contentio nobis amica eſſet, unoquoque ſuum præferente, curſu certavimus. Laxiſſimis habenis procurrentes nos eminus ex oppido viderant Abiponenſes fœminæ, ac Mocobios tergo noſtro inſtare cum crederent, ejulatu ſolito terrorem prodidere ſuum, & nobis etiam auditis vix denique conquieverunt. Propinqui itaque hoſtis ſuſpicio quod nulla eſſet ſuper, in utramqne aurem dormitum eſt ab omnibus. Sed en! poſtridie prima poſt meridiem hora iidem Mocobii equis vegetis, quos nobis pridie rapuerant, vecti in conſpectum oppidi ſe dederunt, reſiduum equorum gregem abacturi. Yaaukanigis pleriſque venatione occupatis, reliquis compotantibus, nobis vero, ut Hiſpanorum mos fert, domi meridiantibus concurrentes fœminæ ejulatibus forum, vociferatione domus noſtræ, quo ſe receperant, aream implevere. Expergefacti ad propulſandum hoſtem accurrimus confeſtim, ſclopeto inſtructi ambo, & jam, quis credat? quantocunque hoſti minaces. Pater Klein binis Abiponibus haſtatis ſtipatus præceſſerat aliquantulum. Illius veſtigia prementem me temulentus Yaaukaniga prehenſo humero interpellat: Quorſum properas? truculenta mihi ait voce. Quin potius ad oppidi cuſtodiam remaneas hic, velim. Equos, quam conjuges, liberosque ab hoſtibus diripi, præſtabit equidem. Sine, repoſui, utrumque curabitur.


Ab oppido jam, quam ab hoſtibus remotior, dum his, velut locuſtarum examine, campum impleri videram, enimvero tantam Barbarorum equitum multitudinem duobus ſclopis terreri poſſe, ac

fu-

fugari, ut crederem, induci vix potui. Ut ut fuerit, calceos, quibus crepidarum instar festinans utebar hactenus, ligavi, ne, si præcipitanda mihi ad oppidum esset fuga, ad currendum pedes haberem impeditos. Acceleravi gradum hostes versus, quibus jam jam propinquare Patrem Klein conspexi. Verum Barbari solo sclopporum splendore territi, non expectato tonitru, certatim in fugam effundebantur, equorumque, quos hac, illac fugitantes velut indagine cinxerant, numerosum agmen rapuere. Dilapsis licet hostibus necdum aggressionis periculo defuncti nobis videbamur. Namque nubis instar elatus pulvis equitatus Barbari intra sylvas propinquantis suspicionem injecit. Armati Yaaukanigæ ad illam oppidi partem, ubi assultus timebatur, nobiscum in acie constiterunt aliquamdiu, dum denique equorum, qui prædonum manus effugerant, reliquias ab Indo quopiam adduci vidimus. Conscensis celeriter equis, ad locum, cui a cruce Likinránala nomen, leucas aliquot distantem occumbente jam sole properarunt nostri omnes; Noverant scilicet, illac transeundum esse Mocobiis, ut adeo de his mulctandis, recuperandisque equis spem haberent amplissimam. Verum postridie vacuis rediere manibus, hostium sagacitate elusi, qui per speculatores suos de nostrorum insidiis moniti, per vias paludibus, arundinibusque impeditissimas, semperque alias inaccessibiles fugam cum præda accelerarunt, declinata illa, quæ crux dicitur, statione, ubi ephippia, & quidquid celeritatem retardare posset, prius reliquerunt; Quæ impedimenta, cum sibi usui non essent, nostri cremarunt. Spoliatum me equis præstantissimis dolui equidem; una tamen, quod sine mutuis cædibus peracta sit hæc aggressio, nobis

magno-

magnopere gratulabar. Quamvis, utrum Mocobii omnes incruentis corporibus redierint domum, ſit, cur dubitem. Namque in illos prædio noſtro, ſudibus einćto, imminentes multa vibrabantur tela a pecorum cuſtodibus Yaaukanigis; Qua ićtus felicitate, ignoramus etiamnum.



CA-

CAPUT XXXIV.

Novæ turbæ ab exteris, ac ipſis incolis concitatæ.

Periculoſior alias procella coloniæ incubuit, ſed Yaaukanigarum virtute feliciter, ut dicam, diſcuſſa. Mocobiorum, Tobarumque trecentis plures tacito, aſt accelerato itinere nobis imminebant. Eorum ex numero transfuga quispiam ſocios clanculum antevertit, & Abipones Oaherkaikini Contubernales, nobis vicinos, ſibique, neſcio, quam ob cauſam, amicos de periculo coloniæ noſtræ commonuit; Inde ad nos rumor tempeſtive delatus. Pater Klein, cum hoſtium numero impares videremur, ſuppetias a Correntino Progubernatore petiturus flumen Paranam, quamvis Auſtro tum debacchante, procelloſiſſimum, lintre transmittit, more ſuo, intrepidus. Yaaukanigæ noſtri ad ſtrenuam coloniæ defenſionem, victoriæque fiduciam identidem a me excitati diu, noctuque, quod cum hoſte proxime congreſſuri aſſolent, compotationi vacabant interea. A me vigilatum diligenter, & miſſis quaquaverſus excubitoribus, ſpeculatoribusque nihil eorum, quæ ad oppidi, prædiique ſecuritatem facerent, intermiſſum. Die, quam Dominicam Quinquageſimæ dicimus, duabus poſt meridiem horis hoſtium unus vicino in campo a Nahagalkin noſtro conſpectus eſt, unde de ſubſequenti reliquo agmine prona nobis fuit conjectura. Yaaukanigæ te-

temulenti omnes, etſi pedibus vix inſiſterent ſuis, apparatos per fœminas equos conſcendere illico, & fulminis more turmatim nullo ordine excurrentes in Mocobios, Tobasque ad ſylvæ marginem latentes invehebantur. Jucundum hoc oculis ſpectaculum; ſed de rerum exitu incertus, anxiusque de oppidi incolumitate armatus perſtiti, ut, ubicunque neceſſitas poſceret, opem ferrem. Sclopus enim unicus præ decem haſtis plus adverſus Barbaros valet. Res, propitio Numine, ad votum cecidit. Namque hoſtibus improviſa noſtrorum impreſſione territis, circumſeſſisque non jam manus conſerere, ſed equorum pedes ad fugam ſtimulare viſum eſt. Fervente mutua inſectatione Diviſi Mocobii. Pars Auſtrum verſus profugiens binas, quæ in campo ſiliquas græcas collegerant, Abiponenſes mulieres jugulavit, infànte uno a matris uberibus in captivitatem abducto. Pars altera ad ſeptentriones properavit, noſtris iſtorum terga ſeram in noctem prementibus. Yaaukanigarum, qui ab hoſtium inſectatione non deſtiterant, complures cum non niſi ſub auroram oppido ſe reſtituerint, pro mortuis habiti a fœminis jam deplorabantur. Unicus noſtrorum ſub velitationis principium vulnus ſat luculentum retulit. Quot hoſtium ſeu cæſi fuerint, ſeu ſauciati, nihil admodum certi.

Verum tu expectare etiamnum mihi videris auxiliares copias, quas ab Hiſpanis petiturus Pater Klein ad urbem Correntinam pridie navigaverat. Dicam. Nihil prorſus fiduciæ Hiſpanorum in auxiliis collocandum eſſe vel extremo in diſcrimine, inde conjicies. Sub veſperum Indis noſtris fugitivum jam hoſtem inſectantibus advenere Hiſpani milites duo, at tales ambo, ut neuter militis nomen me-

mereretur, neuter Hiſpani ſpeciem referret, quin ne umbram quidem. Si nec Hercules contra duos, quid, amabo, duo imbelles, imberbesque homunculi contra quadringentos Barbaros præſtabunt? Mihi certe nulli uſui, riſui meis Indis fuere. Pecoribus, ne noctu a Mocobiis remoto in campo diriperentur, oppido admovendis operam ut navarent ſuam, nullis aut precibus, aut promiſſis poterant induci; Extra domus noſtræ ſepimenta prodire ſibi nefas eſſe, ajebant metu palpitantes. Per Indos adoleſcentulos, milite utroque animoſiores armentum omne ad oppidi conſpectum ex prædio adductum, noctuque, ne rurſus ſpargeretur, per eosdem cuſtoditum diligenter. Nos quoque ad unum omnes noctem illam in excubiis tranſegimus, a fugitivo hoſte reſumptis animis aggreſſionem repeti, ſæpe alias experti. Et vero Mocobiorum per prædii fines noctu palantium veſtigia a noſtris ſpeculatoribus primo diluculo fuerunt detecta.

Exacerbatis duarum mulierum cæde, & Hiſpanorum in mittendis auxiliis tergiverſatione animis Yaaukanigæ per curſorem Progubernatorem Correntinum ad coloniam evocant, & cunctationem quamvis, vel repulſam amicitiæ violationem interpretaturos ſe ſe, minaciter ſignificant. Enimvero die, cui a cineribus nomen, mox comparuit cum Patre Klein Nicolaus Patron denis militibus ſtipatus. Hunc indi noſtri, & qui accerſiti fuerant, vicini Oaherkaikin Contubernales fucatis, ut pugnaturi ſolent, vultibus, armatique excepere, &, dum illis collocuturus noſtram ſubiit domum, fores utrinque, forique aditus omnes obsederunt. Periculoſa nobis conſilia eos animo volviſſe, undique patebat. Progubernator Patron, ut erat intre-

trepidus, facetoque ingenio, Pachiekè, Narè Caziquii fratrem, sibi alias in paucis charum conspicatus: fuliginem, qua faciem tinxisti tuam, mihi locuturus absterge prius, illi ait; Hic: quoniam mihi alloquendus eras, vel ideo atratus ora, nigrisque fucatus coloribus adsum, voce minitabunda respondet, moxque populi universi nomine querimoniarum capita proterve recitat: Pacem, quam emendicasti, inquit, victores nos, & inviti vobis indulsimus. Coloniam hanc, quam nobis obtrusisti, recusavimus diu, quod finitimis hostibus numero inferiores nos novimus. Hanc nobis sollicitudinem ut eximeres, quæ, & quanta spopondisti! Milites mei, ajebas, vestri erunt. Hostes vestros pro meis habebo. Inita vobiscum amicitia Mocobiorum, Tobarumque odium nobis conflavit, qui amici nobis, ac fœderati, quamdiu infensi vobis, infestique perstitimus. Nunc annis abhinc pluribus extrema in nos audent. Rapti e sinu matrum liberi: obtruncatæ conjuges: Equorum greges nobis toties erepti. Diu, noctuque, quin respirare tuto liceat, ab iis hostibus petimur, & ni vigilantia insidias, magnanimitate numerum eludimus tot hostium, nemo sane nostrum jam superstes foret, equus, cui insideremus, nullus jam restaret. Haud te latent ista. Clades, calamitatesque nostras quietis auribus, tranquillo animo accipis, quin manus ad ferendam nobis opem porrigere tibi in mentem venerit unquam. Dum injurias ulturi Mocobiorum Contubernia infestis armis nuper invasimus, quam acriter nobis succensuisti! Caves equidem, ne lacessiti a nobis Mocobii iras denuo in vos refundant suas, & Correntino in agro grassentur. Quousque securitatem vestram capitum nostrorum periculo conservatam voles? Nobis enimvero, quid-

quid oppoſueris, fixum eſt in Mocobios ire, armisque ultricibus acceptas injurias vindicare. Id abs te unum amicitiæ tuæ teſtimonium, noſtræ præmium jure poſcimus, denos equites Hiſpanos, ignivomis Catapultis rite inſtructos, nobis expeditionis ſocios ut adjungas.

Plura locuturum Pachiekè Progubernator interpellat, & minaciter dicta joco intempeſtivo eludit. Vos equidem, ait, ſi modo haſta prælonga armati, variis ad terrorem coloribus picti, ſtruthionibus perniciores, equorum ungula campum egregie quatiatis, ſi auram horrifico buccinarum ululatu impleatis, tum enimvero magni vobis heroes videmini. Quæ dum geſtu mimico proferret, ut belli, quæ apud Abipones viget, rationem explodere videretur, incredibilis apud circumſtantes indignatio coorta eſt. Aliis palam frementibus protervior aliquis, Kachinga dicebatur, heus tu, exclamat, lituis, claſſicisque noſtris, cave porro illuſeris! His enim clangentibus trepidare vos Hiſpanos, totisque tremiſcere artubus experti fuimus tot annos. Horrendum populi totius murmur, torvi oculi, vultus minaces periculum Progubernatori portendebant, me, quo demum evaſura eſſet res, haud mediocriter ſollicito. Ad deliniendos furentium animos, ſibique conciliandos (Nutibus id ſvaſeram) ſtylum mutavit callide, ex ſatyrico in laudatorem Abiponum converſus. Belligerandi peritiam, eximiam in armis, equisque tractandis dexteritatem illis pleno tribuit ore. Laudibus promiſſa, quamvis nunquam his ſteterit, liberaliter adjecit: Se nunc quidem expeditione alia (contra Quaranios evocabatur) impediri, ajebat, quominus eorum votis faceret ſatis; Aſt, utprimum bello præ-

ſenti

ſenti defunctus domum rediiſſet, cum aliquot equitum ſuorum centuriis in Mocobios ſe profecturum. Hæc ait, & negotium, neſcio, quod, cauſatus in urbem properavit, nullo prorſus adventus ſui fructu, niſi quod Indos magis irritarit. Res eodem, quo prius, loco relictæ. Idoneum qui afflictæ, & ægri periclitantis inſtar fatiſcenti Coloniæ remedium afferret, nemo omnium fuit. Continuas inter Barbarorum aut incurſiones, aut ſuſpiciones anni fluxerunt, ſolatiorum ſteriles, calamitatum feraciſſimi.

Præ quovis tamen extero hoſte coloniæ hujus tum diſciplinam, tum rem domeſticam labefactavit Abiponum, quos Debayakaykin adduxerat, ſocietas infelix; Iſtorum ſeu exemplis ducti, ſeu numero confiſi Yaaukanigæ noſtri auſi ſunt non raro ad agrum Cordubenſem, Sanctæ Fidei, & Aſſumptionis excurrere, ubi, quamvis cædibus abſtinerent, equorum greges diripuerunt. Quin viciniora Quaraniorum oppida vexarunt impudentius, quorum liberalitate potiſſimum & alebantur, & veſtiebantur. Prædatorias ejusmodi excurſiones damnare, vetare, dolere, haud item impedire poteramus. Correntinorum tamen territorio nihil unquam noxæ ab illis eſt illatum. Debayakaykin Caziquii, poſtquam ad Conceptionis oppidum ſemper inquietus, nusquam ſecu us, ſeceſſerat, Contubernales non pauci in ſancti Ferdinandi oppido remanſerunt; Alii Oaherkaikin Contubernio ſe adjunxere, qui vicino in campo, & prope in oppidi noſtri conſpectu ſedem diu ſtabilem fixit. Quæ quidem prædonum vicinitas quantam peſtem Yaaukanigarum moribus afflaverit, quantam prædiolo noſtro attulerit perniciem, neque verbis exponi,

neque lachrimis pro merito deplorari poteſt. Laagalà quidam, ex illa Barbarorum colluvie, longe rapaciſſimus præ omni tigride armentis nocuit. Pro numeroſo Oaherkaikin Contubernio alendo boves, quot lubuit, quotidie noſtro e campo clanculum abſtraxit. Modus, quo coerceri poſſet ejus rapacitas, ſuppetebat nullus, Yaaukanigis noſtris, Oaherkaikin ſemper amicis, quotidiana hæc pecorum furta jam promoventibus, jam diſſimulantibus. Progubernator ipſe, rerum conſcius, hunc prædonum primipilum Laagalà, lateri ſuo noſtris in ædibus impudentiſſime aſſidentem vel verbo reprehendere non eſt auſus, quin blanditiis demulcere ſtuduit. Si Hiſpani duces, militibus ſtipati ſuis metu obmuteſcunt, dum Indis immorigeris flagitia exprobrare oportebat, ecquis miretur, ſi Patres humanis præſidiis deſtituti, Barbarorum manibus, voluntatibus, telisque expoſiti eorum errores perſtringere acrius timuiſſent. Verum mortis contemptores vicimus timorem, & ſi quid a legibus abſonum notavimus, quoties ex reprehenſione fructus expectari poterat, reprehendimus. Unum e multis, quæ de noſtris hominibus adferre poſſem, exemplum accipe. Pater Joſephus Klein, ut ſemper alias impavidus, Yaaukanigam apud ſuos nobilem, & malitia, quam ætate grandiorem, a noxiis adverſus Hiſpanos excurſionibus porro ut abſtineret, amice hortatus eſt. Ferociens juvenis clavam ejus vertici impegit eo impetu, ut impos ſui, ſanguine diffluens ſuo ſemianimis humi procumberet. En! immane vulnus, & ex omnium ſententia periculoſiſſimum correctionis præmium fuit. Nemo Hiſpanorum militum, qui iſtic verſabantur, Abiponum nemo auſus eſt percuſſori ſacrilego manum injicere; Impunitus abiit. Alter Yaaukaniga

eidem

eidem Patri colaphum infregerat. Fabula eſt, quidquid de rerum omnium conditore Deo refers, exclamans. Auſus fuit impudens Barbarus, quod nemo unus Abiponum. Aſſidua prædonum rapacitate exhauſtum eſt prædium, bovesque Indis vix duos porro menſes alendis ſuffecturos numerabat. Neque ſpes ſubſidiorum ulla ſuperfuit. Urbis Progubernatori pecorum penuria paulo poſt cogendos nos coloniam deſerere, coram ſignificavi. Ait ille, ut de colonia deſerenda ne quidem cogitaremus, me per ſacra omnia obteſtatus, hortatusque eſt. Quod ſi enim, ajebat, diſcedentes vos diſcedendi copiam feceritis Yaaukanigis, id eo conſilio a vobis factum malevoli interpretabuntur, ut novis nos Hiſpanos hoſtibus, ac calamitatibus belli oneraretis denuo. Neminem fore reſpondi, adeo ſtolidum, ut ejusmodi malevolorum obtrectationi adhibeat fidem. Barbaros intra oppiduli anguſtias coarctari, & a vagationibus, quibus a pueris aſſveverunt, cohiberi a nobis haud poſſe, ſi domi alimenta deſiderentur. Nam & feris, quas caveis claudimus, eſcam præbemus, quam more ſuo ſibi quærere haud poſſunt. In Europa a diſcipulis magiſtri aluntur; In America Indi tamdiu pro magiſtris habebunt Miſſionarios, quamdiu illos nutricios experti fuerint ſuos. Et nobis, & coloniæ terga vertent, ubi inedia pereundum ſibi viderint. Extra coloniam vagabundi, etſi nec ſerant, neque metant, jam venando, jam prædando norunt ſibi dapes conquirere. Quidquid liberalis procreat natura, quidquid pecorum in Hiſpanorum prædiis ſuppetit, ſui eſſe juris, perinde ut feras in campo, putant, rapiuntque. Hinc vetus, & quotidie decantata illorum querela: Se Hiſpanorum amicos ſæpius in colonia eſurire, quam olim inimicos ſuis

in latibulis. Hac oratione ſeu convictus, ſeu quod ſimilius veri, conterritus Progubernator ad coloniam conſervandam ſpopondit plurima, ſed ſpopondit tantum, præſtiturus certe omnia, ſi prolixis viri optimi voluntatibus facultates reſpondiſſent. De extrema, quæ proximam coloniæ ruinam minabatur, pecorum inopia a me per literas factus certior Provincialis noſter Joſephus de la Barera citra cunctationem mille boves ſuppeditavit, Indis aliquamdiu alendis deſtinatos. Ejusdem liberalitate, oppidorumque Quaranicorum ſubſidiis in adverſo Paranæ litore conditum denique eſt prædium, quod, cum prædonum incurſibus non pateret, annorum aliquot intervallo omni pecorum genere incredibiliter fuit locupletatum.

Illud certiſſimum: Hanc Yaaukanigarum coloniam (27 gradu, 30 minut. latitudinis. 318 gradu, 15 minut. longitudinis ſitam) non Hiſpanorum ope, aut opibus, ſed noſtrorum maxime hominum patientia, vigilantia, ac induſtriis conſervatam fuiſſe; Hanc urbi Correntinæ parum ſubſidii, iſtam illi emolumenta plurima debere. Certe a primordiis hujus coloniæ reſpirare demum, ac in pacis ſinu conquieſcere cæpit, a Barbarorum, quotquot in Chaco conſident, incurſionibus ſemper intacta. Correntinis diuturno bello ad incitas, ut alibi expoſui, redactis in adverſo, quod colonia noſtra tenuit, & præſtantiſſimis arboribus abundat, litore naves, plauſtraque ſtruere, ubi ubi liberet, prædia condere, varioque, quo diteſcerent, commercio citra periculum operam dare jam licuit. Noſtris periculis ſecuritatem ſuam, inopi oppidulo, quod illis pro muro fuit, facultates, opportunitatesque ſuas in acceptis referebat. Anno 1767, quo in

Eu-

Europam remiſſi ſumus, ducenti Yaaukanigæ Chriſtiani numerabantur, plurimis aliis jam malignarum febrium, jam variolarum, vel morbillorum contagione extinctis. Relegatione noſtra, mirum, quantum in Hiſpanos exacerbati ſuperſtites, Patris ædibus, temploque in cineres redactis, relicta, quam annos ſeptemdecim habitarant, colonia ad avita latibula, latrociniaque redierunt. Sacerdos e Seraphica familia, qui noſtris ſubſtitutus fuerat, fugiendo ad urbem ægre vitam ſervavit ſuam. Paucas, quas Yaaukanigas inter verſatus eſt, hebdomades vir bonus quot momenta, totidem vitæ diſcrimina numeravit. Adeo funeſtus coloniæ, quæ tantis ſudoribus, miſeriisque nobis conſtitit per annos ſeptendecim., exitus fuit, Correntinis, Hiſpanisque omnibus longe pernicioſiſſimus, adverſus quos dilapſi Indi mox arma reſumpſerunt.

CAPUT XXXV.

Coloniæ Abiponum a S. Rofario, & S. Carolo dictæ origo, ac fitus.

Corruptionem alterius alterius generationem effe, ex putri infecta nafci, phyfici affirmarunt alii, alii negant; At certe talis coloniæ iftius origo fuit; Nam ex Abiponibus transfugis, oppidorum aliorum, relilgionisque defertoribus hæc nata eft. Difciplinam Chriftianam, pacisque otium pertæfi inftituto majorum non latrociniis modo, fed & cædibus Hifpanorum, Quaraniorumque fines vexarunt aliquamdiu. Verum quod a fronte, a tergo vindicibus fe fe armis petendos profpicerent denique, nullæque, quibus adverfus Ychoalay Hifpanorum defenforem fe tuerentur, latebræ fuppeterent, incolumitati fuæ arte confultum ibant, quod Marte haud potuere. Ad Affumptionem Paraquarii territorii metropolim tres e fuis oratores legant, qui cæterorum nomine coloniam fibi, ac religionis magiftros facerdotes efflagitarent. Jofephus Martinez Fontez, Valenciæ in Hifpania natus, dimacharum veteranus centurio, & nuperrime Gubernator dictus propenfiffima voluntate verfipellium legatorum precibus fubfcripfit, quod celebritatis apud Regem fpes ampliffimas ex colonia his Barbaris condita fibi finxerit. Fulgentius de Yegros Paraquayus, armorum præfes, &, ut quidem iftic res funt, fupra heroum vulgus, Gubernatoris confilia mire probare, executionem urgere, & Abi-

po-

ponum legatis effuſe blandiri non deſtitit. Sagaciores alii Hiſpàni condendæ coloniæ propoſitum aperte, præfracteque rejecerant. Veteratóres iſtos (Tales profecto fuerunt ad unum omnes) Abipones, nationis univerſæ fecem, vindictæ metu, non religionis amplectendæ deſiderio adeſſe, non cóloniam, ſed impunitatem criminum, aſylumque apud Hiſpanos quærere; Homines frugi ſi eſſent, oppidis, ubi verſati ſunt annos complures, & ſacro fonte expiati, terga vertere, ac latrociniis vacare, nunquam ſane in animum induxiſſent ſuum. Sed demus hæc abeſſe, provincia hæc rerum omnium egentiſſima iis deſtituitur ſubſidiis, quæ ad Coloniam ſeu inchoandam, ſeu conſervandam neceſſaria, veriſſime dictitarunt. Eadem noſtrorum hominum fuit ſententia.

Verum ſurdis hæc a Gubernatore, gloriæ avido, auribus accepta. Ejus juſſu convocatus ad urbis forum populus (cabildo abierto dicitur ab Hiſpanis) pro ſuis quisque ut facultatibus ad dotandam Coloniam, quod luberet, ultro contribueret. Donum gratuitum vulgo dicitur. Hi boves, ovesque: Illi equos, vel herbam, quæ cum aqua calida bibitur, Paraquaricam: Alii tenuioris fortunæ ſecures, cultros, & quidquid ad domeſticam penum pertinet, liberaliter promiſerunt. Enimvero, niſi promiſſa inter, ac dona tantundem intercederet, quantum verba inter, & facta ſolet, ſatis, ſuperque de neceſſariis coloniæ proſpectum utique fuiſſet. Verum, ut Hiſpanorum utar adagio, multus erat in pollicendo ſtrepitus, ſed nuces pauciſſimæ. *Mucho era el ruido, pero pocas las nueces.* Multi promiſſis ſteterunt nunquam. Alii vaccas effœtas, equos ſtrigoſos, mancos, moribundos, oves vetulas, calvas, hectica, ſcabie laborantes, cætera omnia, quæ uſui vix porro ſint, im-

pudenter obtruſerunt. In plerisque, quibus datum a Gubernatore negotium, beſtias, resque, quæ ſpondebantur, alias colligere, vel conſervare, aut fidelitas, aut diligentia deſiderabatur. Aliqua ſibi occultæ mercedis nomine retinuerunt; Meliora, quæ ſibi reſervabant, deterioribus commutarunt. Ut adeo nil mirum, coloniam egentiorem nusquam, calamitoſioremque in univerſa Paraquaria extitiſſe, quod mihi, oculato teſti, exploratiſſimum, quippe cui per biennium cum extrema paupertate ſimul, ſimul cum Barbarorum illorum inſolentia luctandum fuit.

De ſecuritate cumprimis ſua anxii Abipones ſtationem, ubi colonia collocaretur, ab Aſſumptionis urbe Auſtrum verſus ſeptuaginta leucas, a Paraquayi fluminis occidentali litore quatuor diſtantem ipſi deſignarunt, ſylvis, amnibus, paludibusque circumſeſſam, atque adeo Hiſpanis difficiliorem acceſſu, quibus, quoties ſua ex urbe equites venirent, ingens illud flumen eſſet trajiciendum. Campus hic lingua Quaranica Timbò dicitur ab arbore ejus nominis iſtic frequentiſſima. Ab aliis *La herradura* equi ſolea vocatur, quod fluvius Paraquayus hoc loco inſulæ interjectu in gyrum circumactus equi ſoleæ ſpeciem referat. Duo præterea amnes majuſculi (ambo aquam ſale aſperſam vehunt) Coloniæ locum alluunt, ejusque in conſpectu unum in alveum coeuntes lacum efficiunt denique ſat grandem, qui in Paraquayum flumen mox evolvitur. Aquam omnino dulcem maxime, ſi Cœli ſiccitas longior præceſſerit, aut piſcem nobiliorem in hoc aquarum labyrintho rariſſime deprehendas; Crocodilos, a quibus piſces vel abſumuntur, vel fugantur, innumerabiles videas paſſim. Stationem tamen hanc habitationi humanæ neutiquam accomodatam, quam Tobæ ſui eſſe juris

con-

contendunt, Abipones nunc demum latendi desiderio sibi delegerant, & Hispani assensu pronissimo comprobarant eo ex capite, quod Mocobii, ac Tobæ hostes, quoties adversus Paraquayenses excurrunt, hic loci potissimum flumen Paraquayum trajicere consveverint; Quasi vero hoc trajectu etiam per Abipones novæ coloniæ impedito non decem alios æque opportunos Barbari detexissent.

His in latebris, futuræ coloniæ destinatis, jubebantur commorari interea Abipones, dum denique rebus rite dispositis, assignatisque sacerdotibus istic oppidulum conderetur. Boves, quibus alerentur, illis dati. Quamvis fœminæ cum prolibus hac in statione persisterent semper, viri plerique omnes consvetis ad sanctæ fidei, sanctique Hieronymi prædia excursionibus occupabantur identidem, unde ingentes equorum greges abegerunt. Ast vindex Ychoalay suorum equitum turma comitatus, luna noctem illustrante, latronum contubernium oppressit, & quidquid equorum istic deprehenderat, nemine repugnante abduxit. Quo quidem nocturno assultu irritati iteratis rapinis equorum jacturam gnaviter resarserunt suam. Neque puduit Hispanos quosdam de latronibus equos furtivos emere, quo quidem commercio ad prosequenda ardentius furta Indi inflammabantur. Illud risu sane dignissimum: Dum boni hi (si superis placet) Catechumeni Abipones diu, noctuque nullum fecere prædandi finem, illorum integritas summis in Cœlum laudibus efferebatur per urbem Assumptionis a Fulgentio de Yegros, eorum facinora omnium linguis pervulgata vel negante, vel excusante. Idem cum numerosa militum caterva ad Abiponum istorum stationem profectus est, venturis sacerdotibus habitationem fabricaturus. Post diuturnam illic com-

commorationem, incredibili boum, Coloniæ destinatorum, multitudiue consumpta duo duntaxat tuguriola struxerunt milites tam angusta, tam humilia, tam inepte e ligno, & limo compacta, ut vel Indo Barbaro inhabitabilia ab ipso dein Gubernatore pronunciarentur. In urbem tamen redux Fulgentius collegium Patribus Missionariis se condidisse, pleno ore jactavit. Neque tamen erat, cur istum, ejusque commilitones suscepti itineris pœniteret; Namque cum equis, cervorumque pellibus, quas non sine quæstu de Abiponibus coemerant, domum rediere. Utrumque enim fluminis Paraquayi litus cervis abundat, qui nec mole corporis, neque forma ab Europæis abludunt.

Nicolaus Contucci noster tum & Provincialis & Visitator Chilensi e provincia missus a Paraquayensi Episcopo Emanuele Antonio de la Torre, & a Gubernatore Josepho Martinez Fontez per literas Regio nomine est monitus, Sacerdotes ut designaret novæ Abiponum Coloniæ præfuturos. Petitioni morem gesturus, consultis aliis rerum provinciæ gnaris, mihi, quod Abiponicam callerem linguam, eam provinciam detulit, ex qua quidem, consideratis omnibus, laboris plurimum, parum fructus, gloriæ nihil expectandum videbatur. Æthiopas a me lavandos, rigandos aridos stipites jam tum prospexi. Hinc etsi semper alias volupe mihi obtemperare, peracerbum tamen fuit, falcem amplissimæ messi nunc subducere, & Tarumensibus migrare ex sylvis, ubi in sancti Joachimi oppido ultra sexennium Ytatinguas Indos excolui, Barbarisque Mundaý, & Acaraý fluvios inter conquirendis, sexto jam itinere defunctus, operam non omnino inutilem navavi, ut in libro prodromo uberius expositum. Coloniæ igitur novæ super negotio

ad

ad Quaranicum ſanctæ Roſæ oppidum, ubi contucci Provincialis tum verſabatur, vocatus ſum, & mox iter ad Aſſumptionis metropolim accelerare juſſus. Eundo, redeundo, dum denique dictam urbem attingerem, trecentarum prope leucarum profectio continua, paucorum dierum quiete interpoſita, iisdem equis ſuſcipienda mihi, exhauriendaque fuit menſibus Junio, Julio, & Auguſto, illic maxime hybernis. Campos ob Cœli ſiccitatem diuturniorem paſſim aridos deprehendi, beſtiarumque cadaveribus horrentes. Longiſſimo ſæpe terrarum tractu vix herbula, qua equi paſcerentur mei, ſuppetebat; Sæpiſſime aqua deſiderabatur. Dies demum duodetrigeſimus Auguſti, Divo Auguſtino ſacer, in urbe Aſſumptionis incolumem me Gubernatori, dudum mihi familiari, ſtitit, qui meo adventu mire lætus hanc mei electionem magnopere probavit, affirmavitque palam omnibus: Si optio deligendi aliquem ex univerſa provincia ſibi data fuiſſet, haud alterum abs ſe fuiſſe deligendum. Ab Epiſcopo pariter magnis ſolatii ſignificationibus, ac menſa poſtridie ſum acceptus. Eundem paucos ante menſes, dum ſancti Joachimi oppidum viſitaret, noſtris in ædibus diebus ſexdecim hoſpitem omni officiorum genere ſumus proſecuti. Sed en! quam ſuperflua itineris mei acceleratio tanta fuit. Enimvero a duodetrigeſimo Auguſti die, quo adveniſſe me dixi, ad vigeſimumm quartum Novembris usque in urbe mihi erat hærendum, dum denique ad inchoandam coloniam neceſſaria a Gubernatore pararentur.

Tanto in otio negotii plurimum mihi quotidie fuit. Per omne id tempus equidem Pater Ignatius Oyarzabal Cantaber, qui per annos admodum triginta Miſſionarius, ut ajunt, ſegnerianus præcipuas Peruvii, & Paraquariæ urbes incredibili cum fructu

per.

peragravit, in foro publico Gubernatore, Episcopo, patritiis universis præsentibus ad confertissimum quotidie auditorem noctu dixerat; Alias omne hominum genus sacris meditationibus exercuit. Qui vitæ superioris a puerita labes non expiaret, e tanto incolarum numero vix aliquis fuit. A primo diluculo ad crepusculum usque sacro tribunali affixus sedi. Quod & Hispanicam, & Quaranicam, qua nonnihil depravata nobiliores quoque matronæ utuntur, linguas callerem; Quod peregrinus item, & mox peregre abiturus essem, id sane verecundiæ levamen plurimis fuit, & nescio, quid fiduciæ, candorisque aspersit, unde maximi ad me fiebant pœnitentium concursus. Si quid a sacro tribunali reliquum erat temporis, id conscribendis Abiponicæ linguæ rudimentis impendi, Patri Joanni Diaz dein servituris, qui mihi in nova Colonia socius designatus, sed invaletudine impeditus ad Quaranios transire jubebatur. Adhæc rebus, quæ ad sacram ædiculam pertinent, seu procurandis, seu formandis & caput, & manus, & pedes fatigavi identidem. Præter calicem enim argenteum, quo minorem nusquam terrarum vidi, nil suppeditatum est ab illis, qui Coloniæ Conditores se se jactabant. Collegii nostri Rector vestem Sacerdotalem nitidam, sed unicam, Missarum quoque codicem longo usu detritum, & Divinæ Matris imaginem dono dedit. Servatoris e cruce pendentis corpus e plumbo liquato, adhibito modulo, ipsus paravi. Ex his loci pauperiem conjicias, velim.

CA-

CAPUT XXXVI.

Coloniæ principia.

Coloniæ, quam moliebatur Gubernator, ſacri Roſarii, & ſancti Caroli nomine nuncupavit, tum ut ſuam in Deiparam pietatem profiteretur, tum ut apud Carolum tertium Hiſpanorum Regem gratiam iniret. Quamvis cæterum, quidquid ſpectem, in miſeram hanc coloniam nomen a ſpinis, quam a roſis ſumptum melius quadraſſet; Conſiderataque incredibili ejus paupertate nihil ſane Regium ex illa eluxiſſet. Quarta & vigeſima Novembris anni 1763. cum Gubernatore navim conſcendi. Ad fluvii Paraquayi margines ferreis fiſtulis ſalutati ſumus. Comitatus noſter quadringentis militibus provincialibus definiebatur. Equites Fulgentius de Yegros terra duxit. Pedites reliqui ternas in naves diſtributi nobiſcum venerant. Primum prandium vicina in inſula a vigiliarum præfecto ſupremo Cavañas nobis apparatum. Noctibus ſingulis, &, ſi litus opportunum, ſub meridiem quoque in terram exſcendimus. Paraquayum flumen ſyrtibus, ſcopulisque latentibus ſcatet undique, moleſtiæ tamen plus a culicibus innumeris, quam periculi navigatio habuit, in decimum diem producta. In campo, quem trajectum paſſo del Timbò dicunt, Fulgentius ſuis cum equitibus nos præſtolabatur. Exſcenſione facta ad nos ſalutandos Abipones ex adverſo, ubi habitabant, litore natando turmatim venerant. Eorum quoque conjuges, licet Auſtro atrociter ſæviente, decumanos inter fluctus

idem

idem præstiterunt, attonitis hoc natantium spectaculo Hispanis, ac Indas, ceu Sirenas, suspicientibus, quæ tamen corporis stigmatici, capillorumque habitu ad furiarum stygiarum similitudinem propius accedunt. Aliquot boum centuriæ, quæ militum, Abiponumque alimento destinabantnr, Hispanorum quoque equi omnes in oppositum nobis litus transmissi. Hæc inter trajectus negotia triduum nobis eadem in statione abiit. Mox, quod restabat itineris, per flumen absolutum. Sole in occasum declinante tempestas & tonitruis sonantissimis, & procelloso turbine horrenda nobis incubuit. Quamvis lacum, qui illic pro portu est, jam ingressi horas plures miserrime fluctibus jactabamur. Tertia, quam a tergo reliquimus, navis discrimen noctu subiit; Eam salvam non nisi postridie cognovimus. Tempestatem immanis imber, ac per triduum continuatus excepit, nosque intra navis angustias continuit. Crocodili ingentes, qui certatim naves stipant, ad fallendum tempus, oculosque recreandos pro spectaculo nobis erant. Locus, ubi locanda colonia, leucam abest a portu. Hanc pedes, incomitatusque, situs speculandi aviditate, c nfeci. Campus aquis innatabat omnis. Abiponum obequitantium manipuli ad me consalutandum, comitandumque accurrerunt. Equum quisque suum mihi offerebat, sed quod stapedibus carent illorum ephippia, pedes cæptum iter prosequi malui. Circumspectis omnibus sub vesperum ad navim redux situm hunc, coloniæ assignatum, ranis utique, quam hominibus opportuniorem videri, nullum graminis melioris genus in Campo nasci Gubernatori inter Gemitus significavi.

Postridie excubitoribus ad navium securitatem relictis ad præfixum Coloniæ campum equites demigra-

gra-

gravimus. Tuguriolum, quod binis ſacerdotibus a Fulgentio prius conſtructum dixi, ipſe Gubernator primo aſpectu inhabitabile dixit. Quod hoc curante, inſpectanteque per milites opere tumultuario ædificatum eſt, majus aliquantulum, ſed neutiquam melius fuit. Reditus accelerandi deſiderio nimium feſtinata omnia. Haud pigebit Europæos noſſe tuguriorum ejusmodi ſtructuram. Stipites in terra alte defiguntur. Hinc, atque illinc arundines, aut virgulta vimine, lorisve ſtipitibus illigantur. Spatium vacuum inter utramque arundinum ſeriem lignorum, vel ſi ſuppetant, laterculorum ſegmentis oppletur, quibus denique limus paleis, & fimo bubulo bene ſubactus cum impetu, ut firmius adhæreſcat, agglutinatur. Ejusmodi fabricam parietem Gallicum (Tapia Françeſa) Hiſpani vocant, ac, ubi ſeu lapidum, ſeu laterum inopia, paſſim adhibent. Si rite conſiant omnia, murusque talis calce, vel terra candida tobati dealbetur, ætatem fert, & ab ordinario pariete vix dignoſcitur. Solum, ut eſt, gramine veſtitum pro pavimento cubiculi eſt. Tuguria, ſacræque ædiculæ hunc fere in modum conſtructæ in novis Barbarorum coloniis nobis paſſim fuerunt. Jam, qua ratione tegantur, audi. Palmarum Caranday trunci per medium fiſſi, cavatique ſcandularum, imbricumque vices ſubeunt aliquando; Cortice equidem ſunt duriſſimo, lignum vero, quod eo clauditur, e filis acuminatis, & ſpinarum inſtar pungentibus conſtat. Plerumque ex graminis adulti, ſiccatique faſciculis ad ſubſtratas arundines ligatis tectum paratur, ut alibi ſtramine tritici, quod in Paraquaria haud ſuppetit; Nam a meſſoribus ſpica tritici ſolum reſecatur, culmis, ſeu ſtipulis intactis, & mox in agro crematis, quarum cineres, fimi inſtar, ſolum fœcundant. Interdum iisdem ſicci graminis faſciculis in limo mol-

li iterum, iterumque volutatis, conglutinatisque ædes teguntur, qua quidem induſtria cavebis, ne ex ſagittis, quas ſtupa accensa inflammatas Barbari ejaculari ſolent, tectum flammam concipiat. Hoc certe Barbarorum aſſilientium artificio complures Hiſpanorum pagi in cineres abierunt. Ejusmodi tectum, de quo mihi ſermo, ad arcendum incendium etſi præſidii habeat aliquid, ad pluviam excludendam tamen nihil admodum valere, hac in colonia ſum expertus. Limus equidem gramini illitus imbris diuturnitate emollitur, aquisque vi irruentibus aditum præbet adeo, ut intra, quam extra ædes liberalius pluiſſe videatur. paucis ut complectar omnia, domus a militibus mihi condita nulli prorſus uſui fuit. Nam loris, quæ recenti, humidaque ex pelle formaverant, mox putrefactis & arundines, & lutum his agglutinatum decidit ita, ut ſolis ſtipitibus remanentibus caveæ, cui aves includuntur, ſimillimum evaſerit tugurium, meo ſubinde, meorumque ſudoribus, habitari ut queat, laborioſe concinnatum. Latus parietis, quod Auſtrum furentem reſpicit, & pluviarum impetu maxime quatitur, munivi maſſa ex luto, & boum ſanguine compoſita, qui glutinis inſtar aquam repellit. Sacra ædicula ut anguſtiſſima, ſic ornamentis omnibus nuda fuit. Aliqua meis manibus elaborata non nihil ſplendoris aræ addiderunt.

Ædium noſtrarum, adverſus hoſtium aſſultus coloniis ſingulis neceſſarium, ſepimentum inſcite, ac negligenter a militibus factum. Quamprimum ad ſuos viam remetiri ut ſibi liceat, accelerarunt omnia, numeris omnibus abſolutum reliquere nihil. Eodem in urbem redeundi deſiderio ipſe etiam Gubernator torquebatur multis de cauſis. Nullam hic cepit quietis partem. Denſa culicum examina

mina ejus cutem, sed multo acrius animum sollicitudo pungebat, ne qua Barbarorum aggressione opprimeretur. Idcirco remotis in stationibus hinc atque illinc equites excubarunt dies, noctesque. Ad tugurii sui fores præter quatuor machinas legionarias excubitorum peditum decuriam, in tugurio ipso sclopos quadraginta majores, minores aliquot ad ictum semper promptissimos habuit. Sed vel hæc omnia ad conciliandam somni tranquillitatem illi neutiquam suffecere. Concubia jam nocte insomnis, circumcursans, partibus ne desint suis, excubitores hortabatur. Laudassem ejus vigilantiam, nisi nimiam vidissem. Ipsis adeo, quibus colonia condebatur, Abiponibus diffidebat. Sed mutua erat suspicio. Illi namque, qui Hispanorum quantamvis amicitiam suspectam habere solent, experimentis nempe cauti suis, timoris argumenta sibi haud deesse existimarunt, quod Gubernator coloniam positurus milites tam multos, boves, quibus alerentur, tam paucos adduxerit. Quorsum, ajebant palam, quadringentorum equitum turma? Ni hostile quid in nos meditaretur, satis utique centuria, superque fuisset. Si fixum illi coloniam nobis hoc loco condere, eccur boves trecentis vix plures venere? Hos Hispani absument, nobis porro alendis ecquid reliquum facient? His ducti rationibus numerosi militis præsentiam periculo non carere putarunt. Insidiis igitur Hispanorum ne paterent, in campo leucæ quadrantem a nobis distante ea sagacitate tentoria collocarunt sua, ut hinc sylvam, inde fluvium, a fronte tumulum pro vallo haberent, subitumque Hispanis accessum præcluderent, certe retardarent. Ridiculas formidines, suspicionem futilem illis ut eximerem. adlaboravi sæpe, sed irrito semper conatu. Indi, ut cera figuram, suspiciones facile concipiunt, sed, ut marmor in-

 sculp-



ſculptam ſibi imaginem, difficillime dimittunt, tardiſſimeque. Neque Gubernatoris ſuſpicioſam mentem ullis tranquillare modis valui. Muſcam pro hoſte quamvis aſpexit. Argumento ſit, quod dicam. Sex Yaaukanigæ juvenes ex ſancti Ferdinandi oppido advenerant, quæ novæ Coloniæ facies ſit, viſuri. Me, ſibi dudum notum, officioſe ſalutant. Juſſu meo confeſtim Gubernatorem mecum inermes adeunt, manusque oſculo amiciſſime venerantur. Is hoſpitum præſentia territus excubitores omnes in armis promptos ſtare jubet; Hoſpites equidem pro hoſtibus, certe pro hoſtium emiſſariis habuit, neque, ſiniſtram de his conjecturam ut poneret, induci a me potuit. Acta anxias inter ſollicitudines nocte, nato ſervatori dicata, primo mane homologeſi ſacra apud me animum purgat, meisque mox e manibus ſub ſacrificio divinam hoſtiam recipit inſigni ad circumſtantes pietatis exemplo. Sacra ædicula egreſſus, abiturum ſe confeſtim cum ſuis omnibus, mihi ſignificat, nil tale cogitanti Vix exſpectato meridie, rebusque raptim compoſitis diſcedit. Fugæ, quam profectioni ſimilior abitus fuit. Abipones de hoc demum edocti ſuis e tentoriis advolant equites, & digreſſum paulo ante Gubernatorem, vale ut illi dicerent, aſſecuturi citatiſſimo curſu ad portum, qui leucam aberat, properant, ſed jam navi inſidentem deprehendunt. Officioſam Abiponum concurſationem inſectationem ſui hoſtilem interpretatus, removeri navim a litore jubet properatione tanta, ut plauſtrum, quod eadem navi in urbem revehendum erat per flumen, nobis reliquerit. Ignoſcendum viro cætera ſtrenuo, ſed Americanos inter Barbaros novitio, de quorum volubili amicitia, fideque deſultoria factus certior cavere ſibi, timereque, quam periclitari

ma-

malebat. Hac certe ductus ratione discessionis, quam dudum forte animo volverat, tempus nos celavit. Consilia enim tamdiu tuta esse, quamdiu tecta, vir militaris probe novit.

CAPUT XXIX.

Coloniæ egestas incredibilis, variæque calamitates.

Hæc a Rosario nuncupata Colonia ab ipsis primordiis spinosissima omni ex parte fuit. Hispanis omnibus cum Gubernatore dilapsis Abiponum, & quotquot in vicinia vagantur, Barbarorum hostilium voluntatibus relinquebar, nunquam tamen tutior, quia solo solius Dei optimi, maximi præsidio fretus. Ad triginta minimum leucas nulla usquam Christianorum Colonia, unde quidquam auxilii foret expectandum adversus palantes Mocobiorum, Tobarum, & Quaykuruorum turmas, quorum contubernia adeo mihi propinqua, ut eorum fumus nostris quotidie oculis obversaretur. Colonia enim nostra, quæ in adverso litore fluvio Tebiquary, ubi a Paraquayo flumine absorbetur, objicitur, sita est in 26 grad. 26 minut. latitudinis, & 318 gradu longitudinis, atque ab urbe Assumptionis septuaginta abest leucas. Abipones mei ad designatam, ubi habitaveram, Coloniæ stationem sua transferre tentoria pertinacissime recusarunt aliquamdiu. Subitus Gubernatoris, ac fugæ, ut dixi, simillimus discessus tergiversationis causa, tre-

centarumque ſuſpicionum ſemen fuit. Abiere Hiſpani hodie, ajebant, cras forte via alia ad nos trucidandos redituri, ut primum patente in campo locatos nos intellexerint. Loci, quem occupamus, natura ſecuritatem nobis porro præſtet, neceſſe eſt. Hæc uno omnes ore dictitabant. Quod nullas ſibi ædes paratas viderent, quas aliis in coloniis conſtruere ſolebant Hiſpani, inde peſſima quæque ſuſpicandi occaſionem arripuerunt. Triduum incomitatus egi. Vetuli tres Indi Quaranii ſuis cum prolibus intra domus ſepta mecum habitaverant, quos, Hiſpanis porro heris inutiles, Gubernator pecorum cuſtodes, famulosque domus hic conſtituit. Multum illis quotidie laboris, plurimum periculi, mercedis nihil fuit, niſi promiſſa mercedem dixeris. Puer quoque Semihiſpanus, qui ſacrificanti mihi ad aram ſerviret, a Gubernatore mihi datus, quod ſua in patria noxius, & malæ frugis eſſet. Talem & ipſe fueram expertus. Multis ratiocinationibus, ut relicto latibulo ſuo ad me commigrarent Abipones, denique impetravi. E ſuis, quos emiſerant, ſpeculatoribus longiſſime abeſſe Hiſpanos, didicerunt, abſterſa ſuſpicione inſidiarum tranquillati.

Quoquo flecterem oculos, & mihi, & Indis neceſſaria pleraque videram deſiderari, ſine quibus vix tolerari vita poſſit, neque Colonia conſervari. Oves, quas Hiſpani contribuere, omnes propemodum vetulæ, calvitio, ſcabieque ſquallentes advenerant; Pars illarum maxima, Gubernatore adhuc præſente, exſtincta eſt, ut adeo ſpes lanæ nulla ſupereſſet, ex qua Indæ veſtes contexerent ſuis. Caro bubula præcipuum, & fere unicum alimentum, & macerrima, & permodica quotidianum conquerendi argumentum incolis præbuit. Boves, qui per anni intervalla ex

remotiſſimis Hiſpanorum prædiis miſſi, itineris diuturnitate emaciati, & prope exſangues venerant, ac nullo pingueſcendi ſpatio relicto, cum alii jam non ſupereſſent, ad lanienam mox trahendi fuere. Caro ſeu aſſa, ſeu elixa tam ſucci, ſaporisque expers, ut ligno ſimilior, ac palato cruciando, quam recreando aptior eſſe videretur. Mihi certe nauſeam movit tantam, ut menſes complures præter pedes boum eelixos nil præterea cibi caperem, licet pane, aliisque campi, quem colere nondum vacavit, fructibus plerumque deſtitutus.

In adverſa Paraquayi fluminis ripa prædiolum a Fulgentio de Yegros ad Coloniæ uſus collocatum, ſed paſcuis minime lætis, & pecoribus adeo parce inſtructum, ut Indis alendis vix ſufficerent, atque adeo perpauca ad foetus procreationem relinquerentur. His curandis ab urbe miſſus verſipellis quiſpiam fraudibus duntaxat apud ſuos clarus. Divinæ Matris imaginem per Hiſpanorum oppida circumferebat diu, quam in rivi alicujus marginibus abs ſe repertam, & jam, neſcio quibus, prodigiis illuſtrem dixit. Pro templo, ubi hæc collocaretur, condendo ſtipem corraſit undique. Hanc quos in uſus converterit, nemo eſt, qui norit. Templum ejusmodi nunquam vel inchoatum fuiſſe, omnes norunt. Alias, ſpeculatorem, ut ageret Barbarorum, qui Tebiquary fluminis accolas vexaverant, publico ære conductus eſt idem veterator. Officio functuri ſuo, camposque, num quæ hoſtium veſtigia apparerent, remotiſſimos luſtraturi ſpecie Barbarum indutus, id eſt, ſeminudus, plumisque ornatus in viam ſe dedit ſæpius; Verum extra hominum conſpectum jam poſitus in obvia ſe, tutiſſimaque ſylva abdidit, & biduum, triduumve in latebris dormiendo, ſedendoque conſump-

 ſit,

ſit. Domum redux de capitis ſui periculis, de hoſtium indiciis a ſe deprehenſis mira quæque ſtupenti plebeculæ ſpumanti ore recitavit. Adhæc præſtigiatoris famam apud rude vulgus prenſaſſe videbatur; Nam ad vias explorandas abiturus funiculum brachio adſtrinxit ſuo; Hujus ope pungi, vellicarique corpus ajebat ſuum, ſi qui hoſtes in propinquo fuiſſent. Has ipſe fallacias Hiſpano cuidam familiari detexit ſubinde, quo authore hæc refero.

Hominem profligatæ apud omnes famæ, totum e fraudibus, mendaciisque conſutum, ad ſuas unice utilitates intentum prædii noſtri cuſtodem Fulgentius deſignavit; At enim lupum experti ſumus. Vaccas obeſiores ſuis ipſe uſibus mactare conſvevit, collectumque ex iis ſevum, ac adipem Hiſpanis vendere, nobis in colonia utriusque penuria laborantibus interea. Equos prædii vel cervis curſu aſſequendis confecit, vel, ceu rem ſuam, aliis venumdedit. Accuſatus a me Gubernatori ſæpe, nunquam correctus, de furtis innumeris convictus licet, ſed jam jam ſibi male metuens fuga ſe proripuit denique. Nunquam mihi in mentem venit Verſipellem hunc Hiſpanum, qualis haberi voluit, putare; Frons enim, oculi, vultus, mores Africanis, Americanisve majoribus ortum hominem prodidere. In iſtius locum ſuffectus eſt a Fulgentio alter, vitæ quidem integer, ſed mentis non omnino ſanæ. Terroribus exagitabatur quotidie, & lapides ab incognita manu in ſe, ubi ubi eſſet, vibrari vel ipſo in meridie ſomniabat. Tragicis de incredibili hac lapidatione ſermonibus, quoties mei copiam nactus eſt, aurem mihi utramque obtundere vix tandem ceſſavit. Ab inſaniente capite quam in curandis prædii rebus ſeu diligentiam, ſeu accurationem expectes? Tales prædio Fulgentius præfecit, nobis nequidquam re-

repugnantibus. Armenti curatore idoneo nos ſemper caruiſſe, calamitas non poſtrema, prima miſeriarum radix fuit profecto. Nihil enim ſibi ad felicitatem deeſſe putant Abipones, ſi carne pingui abundent ſemper. Hæc ſi deficiat, ſua in colonia nunquam acquieſcent.

Illud quoque miſeriis adnumerandum, quod, cum prædium in oppoſito nobis litore eſſet, boves victui noſtro neceſſarios per ingens illud Paraquayum flumen ad coloniam traducere oportuerit. Ne cum boum plurimorum jactura id fieret, & navi, & equis ſtrenuis, & equitibus dextris, & induſtria opus fuit non una. Audi, quales adhibeantur. Armenti portio aliqua ad ripam fluminis adigitur. Circumſtantes equites laqueo injecto boves capiunt ſingulos, & cornibus ſcaphæ lateri loro alligant ea ratione, ut natent quidem eorum corpora, capita tamen in navis margine conquieſcant, natatioque tolerabilior reddatur. Navi per remiges adverſo litori applicata boves ſolvuntur. Natatione defuncti, & libertate recuperata ferociores ne quaquaverſus per campos ſpargantur, id per obſtantes equites eſt impediendum. Pro ſcaphæ magnitudine plures jam, jam pauciores uno itinere boves transmittere ſolemus. Qui quidem trajectus moleſtum mihi ſemper negotium, & ſollicitudinum argumentum fuit, cum, quæ ad illum faciendum neceſſaria, pleraque deeſſent. Nullum erat Coloniæ navigii genus, ne linter quidem. Hiſpanos hoc in genere verſatiſſimos, ut eclipſes in Cœlo, raro in colonia videre licuit. Abipones, etſi in equorum gregibus per flumen traducendis dexterrimi, ad boves, quos fere metuunt, illaqueandos, navique illigandos minus valent, navisque Gubernandæ ſcientia deſtituuntur plerique. Ad minuendas trajectus difficul-

ficultates ex arboribus timbo tenuibus, quod majores nondum detexerim, lintres binos, ſed anguſtos conſtruxi, qui ſtipitibus transverſim poſitis connexi magno nobis dein uſui fuere. Paucis poſt menſibus vicina nemora pervagatus in arborem timbo proceram, vaſtamque incidi, ex qua linter undecim ulnas longus, unam latus prodiit, bobus viginti uno itinere transvehendis par, & tumultuante licet fluvio tutiſſimus. Longior, latiorque exiiſſet, ſi arbor ut alta, ſic ad apicem usque perinde recta fuiſſet. Adhæc quidquid ligni albi ineſt arbori, reſecatur, mox enim ſub aqua putreſcit. Rubra ſolum arboris portio, quæ medullæ inſtar, ad navium fabricam idonea putatur, quia durior, atque adeo diuturna. Cedris, e quibus lintres immanes conficiuntur, & altiſſimis, & vaſtiſſimis, & a radice ad culmen usque rectiſſimis abundat paſſim Paraquaria, ſed ſylvæ coloniæ noſtræ viciniores caruerunt. Hernandus Arias Boni aeris juxta ac Aſſumptionis olim Gubernator ad utramque provinciam celerrime viſitandam per fluvios Paraquayum, & Paranam navigans uſus fuiſſe dicitur lintre cedrino, quadraginta remigibus, & multis ad ſecuritatem militibus inſtructo.

Milium Turcicum, fabarum, radicum, peponumque varia genera carnis, ſi adſint, condimentum, ſi deſint, ſupplementum Indis eſſe ſolent. Hortabar igitur Abipones ad agros colendos; Verum neceſſaria ad agriculturam fere deſiderabantur. Boves aratro habiles perpauci nobis ſuppetebant. Secures, aliaque e ferro inſtrumenta, quorum ad ſepiendos agros, & a beſtiis liberandos eſt uſus, minime numeroſa, certe longo uſu detrita. Ipſa frugum ſemina plerumque defuerunt. Miſſi ex urbe aliquot modii

mi-

milii Turcici, ſed jam a curculionibus miſere corroſi; Fabarum item ſaccus, ſed quæ nautarum incuria per flumen madefactæ jam germen protruſerant. Ab ipſis, quis credat? Barbaris vicinis, quamvis alias inimicis ſemina varia accepimus, fruſtra ab Hiſpanis petita toties. Campus ipſe, quod primo aſpectu prædixeram, plantis inimicus, quia creta abundans. Percrebreſcente pluvia ſtagni ſpeciem retulit; Aquis paulatim ſubſidentibus ſaxi inſtar obduruit, exaruitque. Magnam certe campi partem ararunt, conſeveruntque Abipones, ſed nullo operæ pretio. In ſylvis, ubi gleba pinquior eſt, & arborum umbra adverſus Cœli æſtus defenditur, nullo propemodum labore frugum variarum meſſem uberem habuere. Tabacæ, quam plantaveram, ſolum mire propitium ſum expertus. Goſſipio ſerendo, quod in collibus, locis arenoſis, vento patentibus, & in Saxetis lætius provenit, ſitum opportunum diu, multumque circumſpexi, nusquam detexi.


Siliqua græca, quæ Abiponibus & pro eſca, & pro potione eſt, non niſi remotis in nemoribus proſtabat. Illius tamen inopiam mellis ubique obvii incredibilis ubertas affatim ſupplevit. Frugum aliarum, quæ alibi paſſim ab arboribus gignuntur, ingens hic raritas. Litorales campi cervis, damis, ſtruthionibus, amnes finitimi Crocodilis, lupis, porcisque aquatilibus abundant, ſed piſcibus fere deſtituuntur, quos ſcilicet a crocodilis voracibus partim abſumi, partim fugari alias dixi. Paraquayum flumen ubique piſcoſiſſimum longius a colonia aberat, quam ut piſcatus gratia a me adiri pro arbitrio poſſet, paludibus crebris viam intercludentibus, tigridibus, Barbarisque vagis periculum minantibus. Illud ſingulare: Amnem coloniæ proximum per dies aliquot omni piſcium

opti-

optimorum genere affluxiſſe, qui, veluti hoſtem inſtantem fugitantes pleno agmine, ingenti cum ſtrepitu celerime defluebant. Nudis manibus, nulloque negotio capiebantur plurimi. Ex flumine rubro, ſeu Grandi (Indis Yñatè) quot annis exundante per intermedia ſtagna ad hunc rivum devehi, putantur, de quo plura memoravi, ubi de fluvio dulci mihi ſermo fuit.

Cæterum Coloniæ penuriam non ſitui tantum, & naturæ loci, ſed Hiſpanorum urbis Aſſumptionis, qui eam condidere, egeſtati tribuendam eſſe, mihi exploratiſſimum. Patres alii ad Barbaros erudiendos miſſi, a Gubernatoribus, civibusque opulentis copioſa earum recularum ſupellectili liberaliter inſtructi fuere, quæ ad Captandas illorum voluntates plurimum valent. Tela linea, laneave, globuli vitrei, cultelli, forfices, annuli, acus, hami, inaures &c. illicia ſunt, quibus Barbarorum & oculi, & animi capiuntur. Id genus munuſculis plura Americanorum millia ad Dei, Regisque Hiſpani obſequium per noſtros homines, quam militum ſclopis, & mucronibus traducta fuiſſe, nemo unus, niſi rerum Americæ ignarus, in dubium vocat. Mihi ad inchoandam coloniam abeunti ne unam quidem aciculam, neque aliud quid in urbe Aſſumptionis datum eſſe, quis credat? Hiſpani in urbe ſanctæ fidei, & ſancti Jacobi Patribus ad novam coloniam abituris equos lectiſſimos tribuerunt, quibus uterentur. Hiſpani in urbe Aſſumptionis officii ſui immemores, equorum, quos Quaranicorum Patrum beneficentia acceptos illuc adduxeram, præſtantiſſimos quatuor mihi rapuerunt, quin vel Gubernator in latrones animadverteret, vel jacturam reſarciret, Hiſpanis ipſis honeſtioribus & furtum, & impunitatem palam execrantibus

bus. Abipones ad petendum, quidquid in mentem venerit, audaciſſimi dum repulſam pro reſponſo quotidie abſtulerant, ſordidum me, rerumque tenacem dictitabant, quod adeo pauperem nunquam credidiſſent. Sal, & tabacæ folia, quæ cum vetularum ſaliva commixta, ſubactaque ſexus, ætasque Abiponum omnis mandere, & a nobis identidem poſcere conſvevit, domeſtica in penu ſæpe deſiderabantur. Promiſſa ab Hiſpanis ſubſidia ejusmodi raro, parceque cum mitterentur, cumque ſæpe alias nautæ tardius ea nobis afferrent, vel male cuſtodita per viam peſſumdarent, incredibilis plerumque egeſtas hac in colonia dominabatur. Quaraniorum ex oppidis, unde in alias Abiponum colonias uberrima beneficia redundarunt, tum ob temporum illorum calamitatem, tum ob ingentem locorum diſtantiam nihil opis mihi expectandum fuit. Paucæ munuſculorum, quæ mihi olim ex amicorum liberalitate obtigerant, reliquiæ, acus ſcilicet, cultelli, & ſphærulæ vitreæ magno mihi tanta in penuria uſui fuerunt ad ſedandas Abiponum querelas, qui fortunæ melioris ſpe, Hiſpanorumque amplis promiſſionibus allecti hanc in coloniam confluxere, ubi deluſos ſe, rerumque prope omnium inopes jure lamentabantur.



CA-

CAPUT XXXVIII.

Belli tumultus assidui.

Ad miseriarum cumulum aliæ, atque aliæ belli turbæ accesserunt. Martinez novus Gubernator militaris famæ desiderio ardens, Regi se ut commendaret, ex quadringentis, quos ad condendam coloniam adduxerat, militibus ducentos ad oppugnanda Tobabarum, Mocobiorumque vicina contubernia emittere, constituit. Consiliis suis mecum collatis, expeditionem ancipitis eventus dissvasi, ne recens, & incolarum numero imbecillis colonia bello implicetur, & vel in ipsis incunabulis fatiscat. Eodem prorsus ardore, pacem cum omnibus religiosissime ut colerent, Abiponibus commendavi meis. At vero istis conquiescere unquam nec libuit, nec licuit. Tumultus tumultum excepit. Mox sub coloniæ principium Ychoalay equorum Greges nuper sibi raptos reddi, amice poposcit. Repulsa efferatus ad eos vi recuperandos cum lecta suorum manu iter ingressus est. Meis vim vi repellere, ultimaque experiri, fixum erat, inveterato, quo in Ychoalay ferebantur, odio illorum animos obstinante. Enimvero, si vires iris pares fuissent, illis paucioribus licet aggressorum quiscunque numerus haud erat magnopere formidandus. Equorum agmine, in hostium oculos, manusque ne inciderent, ad loca tutiora deducto, speculatores, qui hostium iter observarent, missi. Mel undique per sylvas conquisitum ab aliis, ut mulso calentes & ad consilia, & ad arma capienda evaderent

rent alacriores. Ego anxiis interea jactabar sollicitudinibus, facta oppidi aggressione, quid agerem, incertus. Ychoalay, mihi dudum amicissimus quovis alio hoste formidabilior repente exstitit. Nefas sit, ajebam, in istum arma convertere, quippe qui jure belli usus ad sua recuperanda advenerit. At vero, si penes illum, ut simillimum veri, victoria steterit; Si furore percitus obvios quosque incolas contrucidaverit, certe quidem, nisi quidquid mihi nitrati pulveris, quidquid plumbi est, adversus Ychoalay exoneravero, cum illo collusisse a meis putabor Abiponibus, sagittis, hastisve configendus. Perfidi, proditorisque notam, etsi superstes, non effugiam profecto. Hæc animo volvens incudem inter, & malleum hæsi, semper anceps. Id denique facturum me constitui, quod in arena optimum factu videretur. A Gubernatore nihil auxilii sperandum. Consulti in urbe per literas Patres sapientiores, ut relicta colonia Ychoalay abeunti me comitem adjungam vitæ servandæ gratia, mihi svasere. Verum nunquam hoc consilio standum mihi putabam, ne fugiendo & mihi, & patrio solo timiditatis maculam aspergerem.

Providentissimum Numen, quidquid erat periculi, a nobis deflexit. Ychoalay equidem magnis contra nos itineribus festinans in numerosum Abiponum hostilium Nakaiketergehe contubernium per viam incurrit. Velitatum est acerrime, nec sine cædibus aliquot, & mutuis complurium vulneribus. Ychoalay ad decem saucios, hosque inter sibi sanguine propinquum, & facile charissimum Deborkè, numeravit. Hi curari certius domi, celeriusque ut queant, omissa, quam meditatus est, coloniæ nostræ aggressione reditum acceleravit. Quod Ychoalay factum

ctum timoris argumentum interpretati ſunt noſtri palam, & ceu triumphum ſuum feſtis compotationibus, cantibusque celebrarunt, dum interea fœminæ conſanguineorum, qui in ultima velitatione occubuerant, manibus planctu, cucurbitarumque mœſto crepitu parentarunt. Superſtites ex profligato illo contubernio partim ad nos, partim ad ſancti Ferdinandi oppidum ſe recepere. Sua, quæ necdum bene coaluerant, vulnera exhibuit quisque eum in finem, ut horum aſpectu ad vindictam celerem, luculentamque ſociorum animi accenderentur. Neque opus fuit currentibus calcar admovere. In Ychoalay plerique omnes conſpirarunt actutum. Ex Yaaukanigis, Abiponibusque Nakaiketergehe ſeu vagabundis, ſeu noſtræ coloniæ adſcriptis ingens conflatum agmen ad ſancti Hieronymi oppidum evertendum abiit, quamvis, ut eo certiore ictu, quo magis improviſo ferirent Ychoalay, ad venandos in campis Auſtralibus equos ſe excurrere, nobis affirmarint. Sed ad nihilum reciderunt ſpes tantæ, ac fallaciæ. Ab iisdem, quos opprimere, delereque voluerant, repente oppreſſi, cæſi alii, alii fugati ſunt. Namque oppido ſancti Hieronymi jam propinqui, dum relictis in loco, cui *Nibirenak Lenerörkie* antrum tigridis nomen, ephippiis, equisque ſuperfluis, tinctis jam fuligine vultibus aſſultum meditabantur, in Ychoalay & ſuis Riikahes, & Mocobiis Chriſtianis, & Hiſpanis equitibus numeroſis ſtipatum inciderunt. Quam volupe fuit iſtis coram præſentes intueri illos, quos ſuis in latibulis quæſituri, oppugnaturique iter hodie ſuſceperunt. Nullo negotio obviam hoſtium multitudinem internecione deleviſſet Ychoalay, ni iſti fugere, quam dimicare maluiſſent. Equorum pernicitati, nemorum latebris, ſalebrisque fugitivi vitam debuere ſuam. Ab inſequentibus tamen vulnerati,

cap-

capti, cæſi non pauci. Ad oppidum ſancti Ferdinandi usque fugientium terga preſſit Ychoalay, & commilitonum numero metuendus terrore implevit omnia. Fugati ab eo hoſtes, qui ante victoriam triumphum cecinere, leſſum canere in reditu cogebantur. Noſtræ quoque coloniæ forum multos dies fœminarum ejulatu perſtrepuit, mortem Abiponis cujusdam noſtri lamentantium, qui paucis poſt nuptias diebus abiit cum Ychoalay pugnaturus, ſed fugiendo cum cæteris periit. Conjurati in Ychoalay exitium Abipones Nakaiketergehes, etſi extremos conatus ſucceſſu optato caruiſſe viderent, dolerentque vehementer, novis in illum odiis exarſerant, nullumque ejus inſectandi finem unquam fecere. Repetitis velitationibus vitam illi eripere cum non poſſent, innumerabiles eidem equos iterum, iterumque rapuerunt. Neque mirandum omnino, coloniæ meæ incolas hoſtili ſemper, acerboque in Ychoalay animo fuiſſe. Ab hoc præcipuum nationis Caziquium Debayakaykin trucidatum, alibi dixi. Quatuor iſtius, e diverſis tamen matribus nati, filii nobiſcum verſabantur. Reliqui incolæ, paucos ſi demas, ejusdem contubernales, commilitonesque fuerunt. Quantum igitur Ducem illum, ac principem ſuum amaverant quondam, tantum ejus interfectorem Ychoalay, vindicta ſtimulante, averſabantur.

Præter inteſtina Abiponum cum Abiponibus bella, vicinitas Mocobiorum, Tobaum & Oaekakalotorum, quos vulgus Quaykurus appellat, periculoſa nobis ſemper, ſæpe pernicioſiſſima fuit. Barbari hi populi ut multitudine, ſic nocendi artibus inſigniores campum, quem noſtra colonia occupaverat, ſui juris eſſe, nunquam ab Abiponibus inſeſſum, usque contendebant. Coloniæ recentis habitatores,

quod Hiſpanis parère, ac curæ eſſe noverant, ſuſpectos ſibi, ac periculoſos putarunt, etſi ſuperioribus annis Confœderati unitis viribus Hiſpanos bello vexarunt perſæpe. Quamobrem nullum non movebant lapidem, ut iteratis incurſionibus fatigatos nos hac ex ſtatione exturbarent. Ad id impetrandum jam artibus, armis alias ſunt uſi. Pacem, amicitiamque mentientes velut officii gratia ad nos inviſendos turmatim affluxerant ſæpe. Liberaliter a nobis, amiceque accepti, munuſculis deliniti, carne bubula ſaturati dies interdum complures apud nos commorabantur. Verum hoſpitalitate in noſtram perniciem abuſi incolarum, qui bello idonei, numerum, equorum paſcua, vias, aditusque omnes, & reliquas nos, dum lubuerit, invadendi opportunitates callide explorarunt interea, quamvis diligenter a me quoque obſervati. Qua rerum noſtrarum cognitione adjuti, quoties ſibi viſum, ad Coloniam noſtram vel terrendam, vel equis ſpoliandam clanculum advolarunt. Noſtra tamen vigilantia impetratum eſt, ut vacuis plerumque manibus, reque infecta domum redirent. Negotii quidem plurimum nobis faceſſiverant frequentes vicinorum hoſtium inſidiæ, cum noctes ſæpe integras inſomnes agere nos, & arreptis excubare armis oporteret maxime, dum rumor de propinquis Barbaris Oaekakalotis percrebreſcebat, qui præter aliorum populorum morem noctes ad aſſultum deligere conſveverunt. Illud moleſtiſſimum, quod ad campos, ſylvasque remotiores ſeu venationis, ſeu negotii alterius gratia excurrere nemini tuto licuerit, Barbarorum quaquaverſus palantium metu. Ne ab illis ex circumjecta ſylva repente proſilientibus opprimeretur Colonia, in domus meæ ſudibus munita area ſpeculam ex præaltis arboribus erigendam curavi, quæ magno nobis uſui, ac præſidio ſemper fuit.

Jam ſingularia quædam, quæ adverſus nos varia fortuna tentarunt Barbari vicini, exponamus.

CAPUT XXXIX.

Mocobiorum, Tobarumque incurſiones variæ.

Inſidiarum hoſtilium, periculi, terrorisque plena cum eſſent late omnia, multi Abiponum vitam tot nominibus inſvavem pertæſi, ut reſpirarent tantiſper, trajecto Paraquayo flumine ſuis cum familiis ad prædium Fulgentii de Yegros, Tebiquary fluvii litoribus propinquum, excurrerunt, a quo ſumma voluntate, quin voluptate accepti, nec minori rei familiaris emolumento ſolerter occupati fuere. Indæ tondendis ovibus, filoque e lana ducendo: Indi cuſtodiendis, caſtrandis, domandis pecoribus, aliisque, qui rure occurrunt, laboribus utilem operam navarunt. Caro bubula, qua ventres implebant, mercedis opimæ inſtar illis fuit. Perpauci interea mecum in Colonia remanſerunt. Hanc ſolitudinem aggreſſioni peropportunam cenſuere Mocobii, fœderatique illorum Tobæ. Enimvero conclamatum de nobis erat, ſi eadem hora, quæ pomeridianæ apud Hiſpanos quieti dicata eſt, dormientem me reperiſſent. Ut Deum, cujus inſtinctu præter morem meridiatione ſolita tunc abſtinui, vitæ noſtræ ſervatorem intelligas, rem enucleatius memorare viſum eſt. Lintres novos, remigesque experturus ad fluminis ripam, equo inacceſſam, pedes ivi ſolus, redivique. Trium circi-



ter horarum ambulatione, cœlique æſtu fatigatus licet, quod a prandio non quieverim, divino id prorſus conſilio factum. Nam ſecunda a meridie hora puer Hiſpanus, qui ad aram operanti mihi ſervire conſveverat, ſpeculæ gradibus inſiſtens, equites Barbaros propinquare, exclamat repente. In domus area forte obambulans adequitantem mihi Mocobiorum turmam conſpicor. Atro ad terrorem colore fucati, haſtis, arcubusque armati, in certos ordines diſtributi ſine ullo fœminarum, liberorumque comitatu in foro ſpectandos ſe præbent, quæ quidem omnia intentiones illorum nequaquam amicas prodidere. Alias enim, dum amicorum ſpecie nos inviſebant, ſine ſagittis, ſine vultuum fuco, cum fœminarum, proliumque comitatu venire conſveverunt. Ipſum meridiationis tempus, quo comparebant, eos reddidit ſuſpectos. Hoc enim Hiſpanos dormientes ſæpe alias oppreſſerunt, jugularuntque. Præter puerum, cujus memini, nemo mecum domi. Nemo in oppido præter ſex vetulas, & Abiponem claudum reliquis per campum, ut ſolent, ſparſis. Conſilium in arena. Arreptis armis ad areæ portam excubans ſolus ego & Ducis & præſidiariorum perſonam ſuſtinui. Audi, & ſperne Americæ heroes Barbaros. Tantillus ego tot equitibus terrendis ſatis, ſuperque fui. Sclopo, quem viderant, ad ictum prompto promptiſſime terga verterunt. Leni paſſu per forum recedentes in vicina, quæ Indorum tentoriis incubuerat, ſylvula, conſedere. Quod Americanis bellatoribus aſtutiæ plus, qnam animorum ineſſe, experientia didicerim, eadem, quam cepi, in ſtatione armatus perſtiti, oculis in eorum motus defixis. Aſſiliunt enim ſæpe, dum vel timere, vel redire putantur.

Ho-

Horæ quadrans abierit, dum pedes, ſolo puero comite, Mocobios acceſſi, hoſtesne, an hoſpites putandi ſint, exploraturus. Salutati a me inermi, & de rebus obviis interrogati, Lacones reſpondendo fuere. Torvi oculi, vultus minaces ſiniſtrum animum detexerant. Nobis colloquentibus ingens fumus in illa litoris parte attollit ſe ſe, ubi Paraquayum flumen trajicere ſolent Hiſpani. Rogatus a Mocobiorum Caziquio Ytioketalin: Undenam, vel a quibus illud campi incendium ortum mihi videretur? Ab Hiſpanis reſpondi; Ducentos equidem milites, qui coloniæ ædes conſtruerent, a Gubernatore mihi promiſſos propediem expectabam. Perculſi hac novitate Barbari exequi timebant, quod in noſtrum exitium meditabantur; ſi quid enim hoſtiliter hic egiſſent, ab Hiſpanis equitibus, quos imminere credebant, mox vindicandum ſuſpicati ſunt. Sub idem tempus eadem in via, unde Barbari venerant, obducta Cœlo nubes pulveris in conſpectum ſe dedit. Abiponum mulieres, quæ mane ad conquirendas in ſylvis fruges excurrerant, ſuis in equis redire, neſcio, quis ajebat. At vero ex luculento haſtarum micantium ſplendore, equites Barbari noſcebantur. His eminus conſpectis ſuos in equos inſiliere actutum omnes Mocobii, quæ res novum de illis male ſuſpicandi argumentum dedit. Puer togam meam vellicans: Domum redeamus, Pater, ajebat, ne capiamur. Eadem ſollicitudo mentem ſubiit meam. Vale Mocobiis comiter dicto, paſſu lento, ne quo indicio latens ſuſpicio, metusque ſe proderet, domum, ad noſtra ſcilicet Pergama, me recepi, ubi reſumptis armis rei exitum ad portam expectavi.

Nec mora: Tobarum agmen numerosum Kebetavalkin Caziquio duce, & nationis universæ medico clarissimo per forum se explicat. Omnes omni armorum genere onusti, nigro colore, ut præliaturi assolent, tincti omnes, quin vel verbo adventus sui causas proderent, dimissis ad pascua equis cum Mocobiorum turma pernoctaturi considunt. Armis nudatus accessi, circumspexi, allocutus sum hospites, & ceu amicos omni officiorum genere prosecutus, quamvis, quidquid spectaveris, non nisi pro hostibus haberi prudenter possent, nocituri certe, ni liberaliter a nobis, cauteque tractarentur. Bovem, quem sibi pro cœna assarent, mactandum curavi illico; ut ferocienti equo poppysmata adhibentur, mordacique molosso offa objicitur. Pauci, qui in colonia mecum remanserant, Abipones hostilia quæque ab advenis expectanda jure putarunt. Ne illorum insidiis omnino pateremus, noctem insomnem, oculis, auribusque ad omnia attentissimis, armis ad vim, si opus fuerit, propulsandam semper expeditis egimus. Primo mane necdum dispersis Cœlo tenebris, sacrificavi; Festa enim Christi Corporis memoria agebatur. Sine campani æris pulsu, maximoque, quo poteram, silentio res divina peracta, ne Barbari hospites, si me ad aram occupatum nossent, remoto sclopi timore hostile quid in nos tunc impune auderent, quod alias ab aliis Barbaris in Paraquaria factitatum. Nam Patrem Julianum Lizardi Cantabrum in Valle Ingrè sacrificantem ferocissimi Chiriguanæ oppresserunt, & ex altari funibus abreptum, stipiti alligatum sagittis triginta septem in campo confecere anno 1735 17 Maji in oppido Conceptionis, ubi eidem nationi Christum docendæ operam dedit. Historia de Viri Apostolici vita, morte,

morte, ac virtutibus Matriti typis data eſt. Idem prope fatum Patri Joanni Antonio Solinas Sardo, & ejus tunc in oppido ſancti Raphaelis ſocio Petro Ortiz de Zarate Hiſpanorum alias in Tucumania Parocho fuit. Ambo ad flumen Sentà divino ſacrificio perfuncti in limine ſacræ ædis a Mocobiis, & Tobis conjuratis contrucidati ſunt. Exemplis eruditus cautione omni utendum mihi, dum rem divinam facerem, putavi, ſed nulla ſuffecerat. Nam conſecrationis divinæ formulam jam jam pronunciaturum me Barbarorum caterva circumſtetit. Per portam altari contiguam Mocobiorum præſtigiator, ac myſtagogus irrepſerat primus. Hic vaſto, proceroque corpore, naſo aquilino, rubro e lana, albisque globulis diſtincto, e quo militaris lituus pendebat, balteo inſignis mihi a tergo adſtitit aliquamdiu, mox mimicis geſtibus, & ridicula brachiorum jactatione ad ſocios in limine confertos iterum, iterumque reſiliit. Solis nutibus, neſcio, quæ conſilia taciti agitabant. Mihi rem ſacram proſequenti quis ad hæc animus fuerit, tute conjicias. Ictum lethalem in momenta expectabam, ad quodvis lethi genus Numinis amore promptiſſimus. Enimvero honorificum mihi fuerat hoc loco, hoc modo occubuiſſe. Verum ad quavis morte duriora, quæ me in patriam reducem manebant, videbar reſervatus.

Sacrificio ad ultimum apicem rite defunctus Barbaris, veluti officioſe me ſub auroram inviſentibus, munuſcula, quæ in promptu mihi erant, porrexi, quid tamen animo volverent, ex illis exſculpere haud potui, debui certe peſſima de illis ſuſpicari. Nam domus meæ angulos ſcrutabantur omnes. Sudes, quibus ſepiebatur, manibus e ſo-

lo evellere, ædiculæ ſacræ portam ligneam humerorum impactu perrumpere num poſſent, me adſtante impudenter tentarunt. Silens, ſubridensque ſpectavi illa, cavebamque maximopere, ne quo ſe vultus indicio latens animi ſuſpicio proderet, ne qua trepidationis ſignificatione formidinem explicarem. Viliſſimo enim cuique creſcit audacia, ſi ſentiat ſe timeri. Hinc, quo minaciores videbantur Barbari, nobisque periculoſiores, eo pertinacius ſerenitate oris tranquillitatem animi affectabam; quin, e re noſtra eſſe duxi, militem glorioſum, ac truculentum agere aliquando. Magnificis verbis animos intrepidos, jaculandique peritiam jactavi. Armorum ſupellectilem, glandium plumbearum varietatem illis coram exhibui. Incredibilem ſclopi virtutem, qui longiſſime poſita attingat, duriſſima quæque penetret, ac disrumpat, prædicavi. Hæc necis inſtrumenta oculis objecta, manibus contrectata vel audaciſſimos Barbaros perterrent. Martinez Gubernator e colonia in urbem rediturus bellicam e ferro machinam minimæ molis, quæ navium proræ clavo affigitur, ad incolarum defenſionem mihi reliquit. In domus area trunco palmæ impoſita eſt, eodem jubente. Aliquot poſt menſes lectum, cui hæc machina incubet, rotis inſtructum elaborandum curavi, ut ad locum, ubi neceſſitas popoſcerit, manibus trahi, & adverſus hoſtem irruentem adhiberi queat. Ad onerandam hanc machinam pulveris nitrati portiones octo duntaxat, glandibus plumbeis quindecim prægnantes ſingulas, Gubernator mihi tribuit, ſed globum ferreum unicum, quod ipſa metropolis globorum ferreorum penuria laboraret. Hoc globo, qui ſemilibram pondere vix æquaverit, non ad necandos, ſed terrendos Barbaros utendum mihi putavi.

Nam,


Nam, quoties Barbari advenæ meo in cubiculo humi circumſederant, ne quando impugnandæ coloniæ lubido eos inceſſeret, globum hunc terriculi inſtar ſpectandum, contrectandumque ſingulis porrexi: Hem! quam ponderoſus eſt! exclamabat quisque, quantum corporis hiatum, quantum foramen efficeret! Neſciebant enimvero, me hunc unicum globum poſſidere. Hic a me diligenter ſervatus, & meo ſubinde ſucceſſori traditus poſt biennium plus, quam credi poſſit, utilitatis præſtitit. Namque exploſus unum forte attigiſſet, ſolum forte aerem feriiſſet; Aſſervatus, & identidem commonſtratus terruit plurimos. Artificiis ſcilicet utendum in bello, dum vires deſunt, more apud Europæos quoque Duces paſſim recepto. Barbaros, ad quos vincendos nobis nequaquam ſatis facultatis erat, territando, vel benefaciendo compeſcere ſolebamus.

Utroque, alterutro certe modo impetravi, ut Mocobii, Tobæque hoſpites ſuum, quod attulerant, delendæ coloniæ propoſitum vel mutarent, vel in opportuniora tempora rejicerent, id quod aliquot poſt menſes eventus docuit. Dies complures, quos ſub dio, eadem, quam primum ceperant, in ſtatione, noſtroque in conſpectu conſumpſerant, equorum noſtrorum paſcua, campos, ſylvasque adjacentes, latebris omnibus excuſſis, quotidie equites percurſarunt Abiponum, qui pauciſſimi aderant, nemine impedire auſo, nemine periculoſa eorum conſilia in dubium vocante. Illi interea, etſi de perfidia nobis ſemper ſuſpecti, Bacchanalia apud nos vixiſſe videbantur, quod, cæſis me jubente bobus, recenti carne affatim ſaturarentur, id quod ſummopere cordi mihi, ac curæ fuit, ne

ne fame urgente nos ipſos ſeu aſſos, ſeu elixos devorarent. Anthropophagi enim ſunt, humanasque carnes, aliæ ſi deſint, epulis adhibent, atque adeo in deliciis numerant; Alaykin Caziquium, ſexque alios ejusdem commilitones in acie cæſos, & a victoribus Tobis, & Mocobiis jentaculi loco conſumptos, alibi dixi. Tobarum plerique, dum fidei rudimenta meis explanaveram a meridie, ſacram in ædiculam quotidie confluxerunt. Sed pietatis ſimulatione hoſtiles texiſſe animos, Abiponibus viſi ſunt, illius gentis calliditatem toties expertis. Eventus fortuitus inviſis nos hoſpitibus liberavit demum, ſollicitudinesque diuturnas, ac ſuſpiciones nobis exemit.

Sole in veſperum declinante campus omnis tumultu repentino perſtrepuit. Qui hoſtem propinquare dubitaret, nemo omnium erat. Domus meæ ai am ejulantes cum prolibus implent fœminæ. Pauculi, qui præſto erant Abipones tinctis vario co ore vultibus arma corripiunt. Mihi quidem ea primum cogitatio injecta eſt: Nunc denique ingens Mocobiorum, Tobarumque agmen adventare, cu us primi illi, qui apud nos commorabantur tamdiu, exploratores fuerint, atque præcurſores: Aſt Panicus is terror fuit. Diſſipatis equidem, qui pro pectum nobis eripuerant diu, pulveribus decem Abipones noſtros deteximus, qui bis mille circiter equos adduxere ex Ychoalay prædio abactos ad vindicandam necem, quæ ab illo Abiponum noſtrorum cuipiam, ut retuli alias, nuperna in velitatione fuerat illata. Ytioketalin Mocobiorum Caziquius viſa tot equorum præda prædonum tergis initare Ychoalay equorum dominum, nil dubitabat. Quamobrem, ne apud nos porro commorans.

rans in partem certaminis cum Ychoalay vindice aliquando veniret, ac in periculi communionem, postridie, ut primum illuxit, cum suis patrium ad solum properans discessit. Quam infenso nobis, quam infesto animo fuerit, jam jam abiturus prodidit: si vita, si libertas, si liberi vobis cordi sunt, fœminis Abiponensibus ajebat, hac ex colonia excedite actutum; Neque enim, quod occupatis, vestrum est solum; Neque id a vobis usurpari porro patiemur. Hoc sanguine tingetis vestro, ni ultro emigraveritis. Hoc ille; ut adeo nec suspicionum, quas de hostili istorum hospitum animo, concepi, neque vigilantiæ, cautionumque, quibus eorum insidias elusi, me pœnituerit unquam. Illo certe meridie, quo improvisi in coloniam irrepserunt, pereundum nobis erat, ni propinquantium, quod credideram, Hispanorum equitum timore a proposito absterriti fuissent. Primus hic Mocobiorum, Tobarumque adventus præludium erat, ac præparatio grandis illius expeditionis, quam iidem Barbari Oaekakalotis conjuncti aliquot post menses in coloniæ excidium suscepere. De hoc argumento, præmissis aliis, uberius dein differemus.



CA-

CAPUT XL.

Variolarum pestis calamitatum novarum semen, & cruentarum aggressionum occasio fuit.

Mocobiis omnibus, plerisque Tobarum tandem dilapsis eorum Caziquius Keebetavalkin sua cum familia apud nos hæsit menses aliquot, dum variolis extinqueretur denique, sacro fonte, a me expiatus; Quæ res Tobarum gentem in nos concitaverat, mihique periculosi vulneris, quod assilientes isti sagitta hamata inflixere, occasio fuit. Rem omnem, ut gesta est, ordine exponam. Abipones nostri variolis infecti e Fulgentii de Yegros prædio ad coloniam redierunt, eamque pestem, nullo sexus, vel ætatis discrimine cæteris afflarunt; corporibus duntaxat hoc morbo jam defunctis parcebatur. Illud sane beneficiis annumerandum, quod lues Americanis gentibus fere lethalis, cum trecentos admodum contigerit, non nisi duos supra viginti incolas necarit, quamvis a quarta decima Maji ad Novembrem usque sæviret. Quantum mihi negotii dederit, qui & medici, & Parochi partes unus expleverim, fidem superat. Qui enim mecum, versabantur Abipones, plerique omnes Barbari adhuc, & vel a sacris Romanis alieni, vel eorum desertores impii, contemptoresque, fuerunt. Hinc diu, noctuque ea me angebat sollicitudo, ut, si medicamenta, quæ porrexi, ad arcendam mortem haud

haud valerent, ſacris ſaltem præſidiis ægrotantium animos beatæ immortalitatis compotes redderem. Verum artis id erat, & infiniti laboris.

Conſpectô enim vetulæ, quæ prima occubuit, funere territi, pauculos ſi demas, e colonia profugere omnes, remotis in latibulis vitam ſuam nequidquam tuituri. Aliqui flumine grandi Iñatè transmiſſo ad viginti leucas receſſerunt. Hi ſibi relicti, medicinæ, opisque prorſus expertes ad unum omnes convaluere. Neque enim, quin maximæ incolarum parti deeſſem, accedi a me poterant, cum ſtationem, ubi latitabant, ignorarem, & ad illos inveſtigandos vix quatriduum ſufficeret, ducesque, qui vias commonſtrent, deſiderarentur. Alii quatuor leucas, plerique cum Caziquio Principe Oahári (qui nuper Rebachigi dicebatur) unam duntaxat a colonia aberant. Poſtrema duo Contubernia quotidie, dum licuit, mihi adeunda fuere incredibili cum moleſtia, nec minori ferarum, Barbarorumque palantium periculo. Trajiciendi fluvii, & paludes. Via, præterquam quod ſalebroſa paſſim, & paluſtris, Mocobiorum, Tobarumque inſidiis ſemper obnoxia fuit. Præter puerum Hiſpanum, qui me comitaretur, nemo erat usquam. Corporibus, animisque miſerorum ut conſulerem, cibos, medicinas meis miniſtrare manibus, religionis præcipua capita, ſalutari latice tingi ut rite poſſent, explanare, mentes cœleſtium inanes piis imbuere documentis me oportebat. Baptismum, cum inſito Barbaris omnibus errore ſibi lethiferum hunc exiſtiment, ut centies moniti admitterent denique, ab iis ægre potuit impetrari. Apoſtatas, qui uxore legitima repudiata a religione deſciverant, ad ſcelerum pœnitentiam revocare, arduum magis, plu-

ribus-

ribusque difficultatibus implicatum negotium fuit. Nemo tamen, ut miſerentis Dei vim perſpicias, niſi rite ablutus, expiatusque e vivis abiit præter unam mulierem, quæ dum primis, qui variolas præcedunt, produntque, caloribus tentaretur, ad recipiendum baptisma a me præparata, ſtimulataque eſt, illud tamen, cum mortis Periculum adeſſe negaret tunc recuſavit. Ego, non ortum, ſed progreſſum variolarum Abiponibus cæteris lethalem fuiſſe conſtanter expertus, & fœminæ, & mariti precibus tribuendum aliquid putavi, reque infecta domum redii cum firmo tamen ægræ mox reviſendæ propoſito; Namque in colonia ipſa haud procul a noſtris ædibus decubuerat ſuo in tabernaculo. Sed en! vix horæ quadrans abiit, cum miſeram ſubito exſpiraſſe intellexi, & magnopere dolui. Ad triſte ſpectaculum, Cœlo quamvis tonante, ac nimboſo, accurrens fœminam corio obvolutam, loris obligatam, & jam ad ſepulchrum equo efferendam deprehendi. Mœrentem me, neſcio, quæ ſpes de ejus ſalute æterna conſolabatur vel hoc nomine, quod paulo ante virtutibus theologicis, noxarum deteſtatione, & baptismi, ut primum vitam periclitari ſenſerit, ſuſcipiendi propoſito rite præmunita fuiſſet; quod ſi omnino ſincerum fuit, de Dei pietate, nullis limitibus circumſcripta certus auſim fauſta quæque illi ominari.

Ægrotantium obſequiis quotidie laſſum me coloniæ, quæ incolis bellatoribus vacabat, tutandæ ſollicitudo identidem fatigabat, cum quotidiani propemodum de hoſtinm propinquitate rumores vulgarentur. Luculentiſſimis ſæpe indiciis Barbarorum inſidiæ detectæ, ſed vigilando eluſæ. Memorabilis mihi maxime dies, quo, dum in horas aſſultus time-

me-

mebatur, adſuit ex Caziquii Contubernio remoto nuncius, qui Abiponenſem fœminam variolis laborantem biduum cum partu periculoſiſſime conflictari, ſignificabat. Quid agerem, anceps hæſi tantisper. Relictam ſine defenſore domum, ſacramque ſupellectilem hoſtes diripient. Me extra ſepes in campo deprehenſum numero opprimeut ſuo præterea. Me per Barbaros ſublato moribundi Abipones ſacris præſidiis deſtituentur; Haud equidem ſacerdos alter, eorum qui linguam calleat, aliunde expectandus. Quod ſi ad coloniæ defenſion m præſidiarius domi remanſero, & matri parturienti, & proli ſine baptismate fors erit pereundum. Hæc ego tunc meum. Verum Theologica ductus ratione, ut præſentiſſimum, certiſſimumque diſcrimen a fœmina, ejusque fœtu averterem, incertum de Barbarorum aſſultu rumorem ſum aſpernatus. Citra cunctationem pedes, & omnino inermis in viam me dedi, unde hoſtibus erat veniendum. Confiſus Deo arma neglexi, ne, ſi occubuero, victus, invitusque puter occubuiſſe. Contra circumfuſam Barbarorum multitudinem ſclopum unicum patente in campo nihil valiturum, novi præterea. Herba, quam ſvaſeram, parturienti per fœminas porrecta efficacitatem habuit, ſpe majorem. Nam me ægrotantium tentoria interim perluſtrante, prolem vivam, ſed jam pictam variolis enixa eſt feliciter. Hanc ſalutaribus confeſtim aquis abluendam putavi, ſed ab occurrente avia atrociter mihi eſt repugnatum. Ideone, vociferans exclamat, noſter in lucem prodiit nepos, ut lethalibus illis aquis mortem ei accelerares? Clamoribus apud me cum proficeret nihil, ad prolis patrem, Debayakaykin Caziquii filium, qui veluti partu defunctus ſtoreas inter, a noxio aere defendendus, propinquo in

ten-



tentorio decubuit, accurrit, opem ad baptismum impediendum adversus me nequidquam implorat. Hic enim, prudentior cæteris, arbitrio Patris aquiescendum esse respondet. Impotens sui, superstitionisque tenax vetula, cum, quas a Genero suo sperabat, suppetias contra me haud impetraret, jam prope in eo erat, ut unguibus, dentibusque in arma conversis me peteret. Verum blanditiis, rationibusque a me delinita furere desiit. mecumcumque veluti paciscens sciscitabatur: Num infantem, si baptismate initiatus obierit, tuis in ædibus (sacram ædiculam intellexit) sepeliendum curabis? Negavi, id futurum. In loco patente, quod Cœmeterium dicimus, humandum, promisi. Quo audito: Quod lubet, jam per me agas, licet, respondit. Proles eodem, quo sacro fonte renata est, die vivere desiit, & tumulo fuit illata. Mater convaluit. Ex quo fit palam, quantum refugiant Abipones sacros intra parietes, ac sub tecto sepeliri. Nemo omnium, qui variolis exstincti, baptisma recepisset, ni mox Cœmeterium in sylva morituris sub contagionis principium designassem. Quaraniorum exemplo id egi, qui Cœmeteria muro clausa, sacello eleganti, longis malorum aurearum, citriarumque ordinibus ornata, & prope leucam ab oppidis remota habent iis solum, qui e variolis mortui, tumulandis destinata, ne vapores ex istorum cadaveribus orti novum variolarum seminarium existerent aliquando. Id cauturus hac in colonia Cœmeterium eo loco, unde ventus rarissime aspirabat, collocavi.

In quotidiana ægrotantium procuratione quantæ mihi molestiæ, ac sollicitudines septem mensibus continuis exhauriendæ fuerint, cogitatu, quam dictu fa-

facilius. Præcipuum, magisque numerosum Caziquii Oahari Contubernium adituro mihi quotidie transmittendum erat flumen palustris utrinque litoris. Equos, natare ut queant, e cœno extricare, res fuit multi, longique laboris. Hinc ut & labori, & tempori in trajectu fluvii parcerem, fere pedes iter confeci, fluvio lintre celeriter transmisso. Ex quotidiana deambulatione per tot menses continuata occalluerunt mihi pedes adeo, ut cutis frustilla e plantis forficula resecare identidem oportuerit. Tibialia enim coriacea, quibus adversus culices, aliaque passim obvia insecta utebamur omnes, etsi equitantibus sint opportuniora, ambulantium tamen pedes attritu offendunt, maxime, postquam sudore obduruerunt. Quoties adhæc cælo pluvio, vel tonitribus horrendum remugiente, quoties sole exæstuante per campum undique patentem, semper culicibus, sæpe luto, ac Barbarorum palantium insidiis infamem eadem via mihi terenda fuit, ne quod officii genus miseræ tabescentium Abiponum turbæ unquam deesset, cujus amore dulcissimum mihi erat seu fatigari, seu periclitari, uti jucundum agricolis, dum uberior messis, sudore perfundi.

Vulgata undique contagio, etsi eximium faceret neminem, mediæ ætatis hominibus potissimum exitialis fuit. Eodem sæpe tempore vis morbi tantam lectis affixit multitudinem, ut incolumes seu ægris curandis, seu mortuis sepeliendis, riteque deplorandis vix sufficerent. Ut Hebræi olim, ac Romani, maximæ infelicitatis genus putant Abipones sepulchri honore, publicisque mulierum lamentis privari. Hinc quo illustrior generis claritudine, meritisque militaribus fuerit nuper vita functus, eo certius, eo diutius

Lamentis, gemituque, & fœmineo ululatu
Tecta fremunt, resonat magnis plangoribus æther.
Virgil. 9. Æneid.


Præ cæteris lamentorum argumentum præbuit Caziquii principis Oahári conjux, celeberrimi Debayakaikin filia, generis prærogativa insignis, ætate florens, elegantia formæ, morumque svavitate nulli secunda. Cum nationem universam sui amore, admirationeque impleverit, nil mirum adeo, sincerissimis omnium lachrymis ei fuisse parentatum. Paucos ante annos, quod a serpente periculosius icta decumberet, in Conceptionis oppido baptismo lustrata est. Ego optimam fœminam non variolis, sed a medicorum (Præstigiatores intelligo) turba necatam esse semper existimavi. Quoties enim, ut sacris eam præsidiis ad mortem præmunirem, ejus tentorium adii, aliquot istorum veteratorum paria deprehendi ex illius corpore, hirudinum instar, pendentium: Hic brachia, ille pedes, latera alius, alii alios ægrotantis artus & exsugebant, & perflabant, quod medicandi genus & cuivis morbo universale, & Americanis gentibus commune alibi exposui, atque superstitiosum rejeci.

Keebetavalkin Tobarum Caziquius, medicorum universo in Chaco princeps, Abiponum in sancti Hieronymi, & Mocobiorum in sancti Xaverii oppido aliquamdiu Contubernalis, plerumque vagus, & jam popularium suorum nomine rerum nostrarum explorator cum uxore, binisque filiabus apud nos hæsit menses aliquot. Nemo meorum variolis tentatus est, qui Barbaro huic Æsculapio exsugendum se, perflandumque non præbuisset. Ex assidua cum ægris consuetudine virus demum le-
thale

thale hausit, jam ætate gravis. Ægrotans levaminis spe, ut & nostrates moribundi assolent, ex alio in alium situm transferendum se curabat identidem. Ad extrema deductus in propinqua coloniæ sylvula voluit collocari. Tugurium ex arborum ramis paratum adeo depressum erat, ut non nisi flexis genibus eum decumbentem alloqui possem. Cum de certissimo periculo nullus mihi superesset dubitandi locus, illum rite instructum, apparatumque sacro latice expiavi, primæ noctis silentio. Postridie aliquot ante meridiem horis vivere desiit. Illius ossa, carne, quam obvia in sylva defoderant, nudata uxor, filiæque nativum in solum equis dedeportarunt confestim. Ferox, si quæ alia, Tobarum natio de Caziquii sui baptismo, ac morte facta certior me, qui baptismum contuli, ejusdem interfectorem criminabatur, cædemque armis statuit vindicandam; Id quod, priusquam de Tobarum proposito nobis quidquam nunciaretur, certissime futurum, palam prædixi; Novi equidem baptismum præ variolis, præ quovis præsentissimo veneno magis lethiferum, stupidis Barbaris videri. Babtizabantur a nobis nonnulli, quia moribundi; Creduntur mortui, quia a nobis baptizati. Arduum est, feram, rudemque Americæ plebeculam ridiculum hunc errorem dedocere. Et vero non intra minas res stetit. Paucis post diebus ultores Tobæ equos quingentis plures e nostro campo concubia nocte abegerunt, trucidaturi haud dubie nostrum quemcunque, ni opportunitas defuisset. Abipones nostri de equorum jactura queruli ad Assumptionis urbem advolaverant, ubi, ut ad Tobas prædones mulctandos Hispani secum equites excurerrent, Gubernatorem sunt hortati, obtestatque. Et vero superfluæ videbantur Abiponum preces id



petentium, quod Gubernatori dudum in votis fuit. Ex iis, quæ dicemus porro, intelliges variolas mutuarum incursionum, cædium, fusique a me sanguinis occasionem exstitisse. De variolarum, morbillorum, &, qui contagione serpunt, morborum proprietatibus, ac curatione Cap. 25 partis secundæ copiose disseruimus.



CAPUT XLI.

Hiſpani equites quadringenti Abiponibus conjuncti numeroſum Tobarum Contubernium expugnant.

Joſephus Martinez Fontez Gubernator paulo ante apoplexia proſtratus Fulgentium de Yegros provinciæ interim gubernandæ, dum alter a Rege deſignaretur, præfecit, illiteratum quidem, & Marii Romani ducis more ſuo in prædio ruſticantem, ſed militem, vulgi judicio, egregie fortem, & capiendis animo conſiliis & manu expediendis æque promptum. Is præclaram rei bene gerendæ occaſionem ſibi gratulatus cum quadringentis equitibus ad noſtram advolavit coloniam, ut Abiponibus conſociatus Tobas toti Provinciæ infeſtos oppugnatum iret. Octiduum prope, dum ingens equorum agmen Paraquayum flumen trajiceret, ac in paſcuis reſpiraret, apud nos moratus eſt. Militum plerique, quod expeditionem adverſus crudeles Barbaros ſibi periculoſiorem crederent, ſacra apud me homologeſi animos expiarunt interea. Dierum aliquot iter emenſi, cum nulla usquam hoſtilium ſtativorum indicia paterent oculis, jam de reditu cogitabant Hiſpani, viarum, quas exhauſerant, aſperitates, annonæ penuriam, equorum laſſitudinem cauſati. Verum Abipones ut pugnæ, ſic vindictæ avidiores intempeſtivum, ingloriumque redeundi pruritum pa-

lam damnarunt. Iſtorum ſpeculatores excuſſis latebris omnibus equorum veſtigia, & his ducibus frequens Tobarum contubernium detexere demum, ad quod non niſi anguſta per circumfuſum nemus ſemita acceſſum præbebat. Expedita ad aſſultum omnia. Maturato enim opus erat. Puncto ſæpe temporis, quod Livius ait, maximarum rerum momenta vertuntur. Hinc fixum erat Gubernatori, ratumque Abiponibus poſtridie ſub auroram Barbaros vel dormientes, vel ſemiſopitos pleno agmine adoriri, ne prius hoſtem propinquum, quam ſe ab eo circumventos ſentirent. Verum cum Abipones aliquot ad ſpeculandam propius ſtationem præmiſſi non niſi media nocte ad Hiſpanos dudum equis inſidentes redierint viarum ſalebris retardati, ſylvaque ingens transmittenda lento greſſu equitibus eſſet, prono jam in meridiem ſole aggreſſio facta eſt denique, ſpe, quam ſucceſſu majore. Barbarorum equidem plurimi, venatus cauſa per ſylvas ſparſi jam id temporis domo aberant. Atque adeo, cum, qui aſſilientibus Hiſpanis repugnarent, fere deeſſent, pugna parum difficultatis, plus fortunæ, gloriæ propemodum nihil habuit. Imbellis duntaxat fœminarum, prolium, vetulorumque turba vinci equidem, & vinciri poterat. Subita Hiſpanorum impreſſione territi, oculis auribusque ſcloporum tonantium fulgure perculſis, fugam, non arma cepere miſeri, quamvis effuſe fugientium non pauci ab inſequentibus undique Abiponibus intercepti, vel trucidati fuerunt, reliquis ſylvarum latebra vitam tuentibus. Aſt cum Abipones, vertagorum more, nemoris receſſus omnes, ac latibula ſcrutarentur, eorum oculos, manusque Tobarum pauciſſimi effugerunt, partim vita, partim libertate exutis plurimis.

Hanc

Hanc qualemcunque expeditionis felicitatem Abiponibus jure in acceptis referebant Hiſpani; Illorum quippe ſagacitate detecta Barbarorum ſtativa. Illorum celeritate e fuga retracti, capti, trucidatique ſat multi. Numerum cæſorum, fateor, me ignorare. De hoc, qui me edoceret, nemo fuit. Abipones equidem interficere ſciunt obvios, neſciunt rite numerare interfectos. Hiſpanis militibus ad ineundum hinc, atque illinc ſparſorum cadaverum numerum circumequitare nec lubuit, neque vacavit. Præter ingens equorum hoſtilium agmen, quod Abiponibus præda fuit, capti omnis generis ad quadraginta, plerique ab iisdem. Hiſpani equites quamvis, dum præcipiti in Barbaros impetu ferebantur, aliquot ſcloporum ictibus terruerint omnes, paucos admodum attigerunt. Namque, quod ipſi militares Præfecti reduces palam fatebantur, nitratus pulvis nocturno rore humidior flammam ægerrime concepit, cum noctem, quæ anteceſſit, omnem ſub dio arbores inter in equis conſumpſerint, ad proſequendum iter identidem prompti. Sed fruſtra ſæpe in Paraquaria nitratus pulvis culpatur, dum ſclopis injicitur omni ex parte tam vitiatis, ut aquam e pumice citius, quam ex illis ſcintillam ignis queas exſpectare. Provectioris ætatis Toba quispiam plumbea glande ictus ſuam præ ſe agens, & minaci haſta defendens familiam ſylvæ marginem jam prope attigerat, Hiſpanorum nemine obſiſtere auſo, ſed ab accurrente Caziquio noſtro Oahári enſe, quem otioſum ex Hiſpani vagina rapuit, in fruſta ſectus eſt cum comitibus. Eodem mortis genere Keebetavalkin Caziquii uxor, ambæque filiæ occubuerunt. Abiponum nemo, nemo Hiſpanorum in hac venatione potius, quam dimicatione aut cæſus, aut læſus fuit.

fuit. Iſtorum plurimi ad faciendum numerum duntaxat, & ſpectatores aſſultui interfuerunt. En bella, horrida bella Paraquarienſium! eodem tamen jure a me memorantur, quo Titius Livius naſcentis Romæ vicinis cum populis velitationes deſcripſit.

Puer Hiſpanus, quem infantulum cum matre paucos ante annos Paraquarienſi ex agro abduxerant Tobæ, in libertatem aſſertus eſt hac occaſione. Quantum educatio valeat, patuit. Ab Hiſpanis popularibus ſuis, quos ceu hoſtes torvis ſemper ſpectabat oculis, incredibile quantum abhorruerit, nec blanditiis, nec donis placandus. Hiſpana alia Tobarum captivitate liberata Gubernatori in acie cum ſuis ſtanti, numeroſiſſimum aliud Tobarum Contubernium vix bidui itinere ab eo loco abeſſe, ſignificavit; At ille, Abiponibus nequidquam illius aggreſſionem urgentibus, equorum laſſitudinem, cibariorumque penuriam prætexens acceleravit reditum, expugnatione dicti Contubernii in aliud tempus rejecta; verum illud tempus nunquam adfuit. Indignabantur cordatiores Hiſpani, Gubernatorem ſuis e manibus elabi paſſum eſſe occaſionem dudum optatam delendi, certe mulctandi atrociſſimam Tobarum gentem, cui Hiſpanorum ſecare cervices non negotium modo prope quotidianum, ſed & delicium multis abhinc annis fuit. Abiponum ſocietas, quæ ad eos hoſtes & inveſtigandos, & inſectandos plurimum momenti habuiſſet, optari dein ab Hiſpanis poterit, fors ægerrime impetrari. Belliſſimas indubitatæ victoriæ opportunitates ab uno neglectas plurimi ſanguine luent ſuo.

Abi-

Abiponibus cum Gubernatore in Tobas profectis ſat mihi interea negotii, ſollicitudinumque fuit, unico ſcilicet, ut ſæpe alias, coloniæ defenſori; Vicini equidem Mocobii, dum ſolas cum ſobole fœminas domi relictas per exploratores ſuos norant, iterum, iterumque nobis nocituri imminebant. Verum cum non ceſſaverim noctes, non dies pervigil excubare, caſſi fuere inſidiantium conatus, niſi quod remotiore in campo noctu equorum lectiſſimorum, quos Hiſpani milites hic paſcendos reliquerant, turbam rapuerint, Hiſpanis eorum cuſtodibus ſomno oppreſſis. Prædonum ductor Mocobius quidam religionis, oppidique ſui deſertor, mihi dudum notiſſimus, rapacitate, aſtutiaque nulli ſecundus. Interdiu cum Hiſpanis, equorum cuſtodiæ deſtinatis amiciſſime confabulari, atque adeo prandere ſolitus. (Nam & eorum linguam callebat verſipellis) noctu repente dilapſus cum ſociis prope latitantibus equos abegit & plurimos, & optimos. Diebus quatuordecim in itinere conſumptis rediere noſtri heroes, captivorum grege miſerabili in triumphum ducto, quos victoriæ teſtes, & ceu trophæa oſtentabant. At enim ego victoriam, tot imbellium fœminarum, puellarumque occidione cruentatam lachrymis, quam plauſu digniorem judicavi, meo, meorumque ſanguine haud dubie paulo poſt expiandam. Namque ſuperſtites Tobæ matrum, conjugum, liberorumque ſeu cædem, ſeu captivitatem inultam abire haud patientur. Illud nil hæſitans mox præſagiebam; Eadem prorſus Hiſpanorum omnium ſententia fuit, certiſſimum di crimen a furentibus Tobis coloniæ impendere, opinantium. Gubernator tamen acceleratis itineribus in urbem properans, quam parum ei noſtra incolumitas cordi eſſet,

palam fecit, dum nos nobis reliquit, & paucos Abipones Tobarum vindictam ſpirantium multitudini objecit. Non niſi diu, multumque rogatus, ſolos quinque Hiſpanos præſidiarios, eosque omnium miſerrimos, quibus ſcilicet ut animorum parum, ſic nihil prope armorum eſſet, nobiscum remanere juſſit. His domum remiſſis per intervalla alii pari numero, & conditione, quin alii aliis deteriores ſucceſſere, ut adeo Abiponibus riſui magis, quam præſidio eſſent.

Illud minime tacendum: Gubernatore cum ſuis copiis præſente, audienteque, nec hiſcere auſo, Abipones eodem collecti loco cædem Hiſpanorum a ſe olim patratam expoſitis palam eorum calvariis compotatione publica, cantuque impudentiſſime noctu concelebrarunt. Iſtud nulla Gubernatoris, & quadringentorum Hiſpanorum habita ratione ſi audent, ecquid ſacerdotem ſeu monentem, ſeu minantem verebuntur? Quamvis, dum reprehenſione dignum quid notavimus, neutiquam tacuerimus, quoties verba ad eorum correctionem præ ſilentio plus valitura nobis videbantur. Ipſo, quo cum Abiponibus milites ad nos redierant, die Contubernia meorum omnia percurri, captivos ſingulos circumſpecturus, allocuturusque, ſiquo auxilio, vel medicamine indigerent, ſine cunctatione a me juvarentur. Nam ſeu terrore ob repentinum Hiſpanorum aſſultum, ſeu mærore & patrii ſoli, libertatisque jactura, ſeu æſtu flagrantiſſimi ſolis per viam male affecti quidni in morbum proclives credi poſſent? At vero incolumes deprehendi omnes præter unam prolis adhuc lactentis matrem, cujus extimam in vertice ſuperficiem Hiſpanorum glans plum-

plumbea obiter rasit. Cum summa duntaxat cutis perstricta esset, ceræ recentis particulam cataplasmatis loco illi apposuerunt Hispani. Verum a muscis, quæ humida captant loca, insidiantibus sensim procreati vermes, qui, cum capitis stationem periculosam occuparint, delirare jam jam cæpit fœmina; Sed vermibus tigridis adipe illico tempestive exturbatis convaluit, de quo argumento, Capite XXVI. de Abiponum medicis, & medicamentis uberius disserui.

Captivorum causa, quæ in prædarum divisione Europæis quoque bellatoribus sæpe usuvenit, altercatio levis orta est Abipones inter, & Hispanos. Hi ut in urbem suam reduces omnium in se oculos converterent, majorique cum plausu congratulationibus cumularentur, etiam Abiponum manibus captos adolescentes æque ac mulieres Tobas abducere contendebant, & alienis plumis corniculæ instar superbire. Abipones, quod ipsi suis manibus, capitisque sui periculo ceperant, id jure suum esse, mordicus affirmarunt, quamvis pacta mercede, vel promissis liberalibus deliniti pauculos Tobarum Hispanis tradidere, in urbem transferendos, reliquis captivis in colonia retentis. Litem dirimere nec juris, neque arbitrii mei esse putavi, de utrorumque amicitia conservanda sollicitus, quamvis tacite optaverim semper, captivorum nullus apud nos ut remaneret, cum eorum præsentiam coloniæ nostræ & noxiam, & periculosam fore, prospexerim. Cum nullus, ubi clauderentur captivi, locus nobis suppeteret, plenaque, uti cæteri, vagandi libertate gauderent, heris eorum Abiponibus vel absentibus, vel sopitis haud multo post dilapsi sunt ad unum

om-

omnes. Grandiores natu aliquot Tobæ raptis clanculum equis ad ſuos revecti, exploratis hic omnibus cum popularium ſuorum turma ad ſpoliandam, vexandamque coloniam crebro redierunt. Oahari Caziquius captivam ſuam, quæ cum prole noctu ſe ſubduxerat, diu, multumque inſectatus eſt. Sub arbore in campo remotiſſimo dormitantem invenit. Intentato in eam ſclopo infantulum ex ubere pendentem glande plumbea trajecit, matre ſuperſtite. In illa quærenda defatigatus tanto furore correptus eſt, ſui impos ut videretur. Sclopo, quem a Gubernatore Fulgentio de Yegros, me neutiquam probante, dono acceperat, ad ſternendas aves dexterrime uti noverat alias. Sed, ut rem ingenue dicam, nunquam mihi placuit tanta Barbari dexteritas, Hiſpanis aliquando ipſis, ſi res ferat, nocitura. Ecquis enim Americana in hiſtoria verſatus, quam deſultoriæ ſint Barbarorum voluntates, quam fluxa fides, ignorat? Armis fulminantibus, quæ ab Hiſpanis imprudenter oblata, in Hiſpanos abutentur, vel leviſſime offenſi. Et vero cum in ſagittis ad certiſſimum ictum deſtinandis ſint verſatiſſimi, etiam ſclopi uſu Hiſpanos Americanos ſuperabunt. Hæc ego Hiſpanis Gubernatoribus identidem inculcavi. Aliter de Quaraniis in Chriſti fide, integerrimaque in Hiſpanos fidelitate in alterum jam ſeculum firmatis ſentiendum. Iſtis ignivomorum armorum uſus a Catholicis Regibus non permiſſus modo, ſed & imperatus fuit, quod plura eorum millia, quoties bellum cum Luſitanis, vel Anglis ingruit, ad Regia aſtra a Boni aeris Gubernatore ſoleant evocari, ubi ſtrenuam ſemper operam navarunt egregia ſui commendatione, quod ex obviis Paraquariæ hiſtoricis liquet. Quamdiu tamen ſuis in oppidis verſabantur

tur

tur Quaranii, ignivoma arma in armamentariis, quibus ſingulis Regis Hiſpani imago præfixa, clauſa ſervabantur, porrigenda a Patribus oppidorum curatoribus, quoties indi Regiis ſub ſignis militare jubentur, vel oppidum ſuum adverſus Barbaros tueri. Alias arcus, ſagittæ, haſtæ, fundæque, quarum tractatione eminent, quotidiana Quaraniorum ſunt arma.



CAPUT LXII.

Abiponum de Tobarum vindicta ſollicitudines. Tertianæ febris contagium.

Ut procelloſo in mari fluctus fluctum, ſic in recentibus Barbarorum coloniis calamitas calamitatem excipit. Abipones mei, Tobarum nuper victores, haud ignorabant victis hoſtibus eandem, quæ ſibi, de vindicandis injuriis legem eſſe, ſtragesque ſæpe cruentiſſimas victoriis reportatis ſuccedere. Tali metu anxiis omnia in terrorem vertebantur. Ne igitur a Tobis, quos paulo ante laceſſiverant, incurſione ſubita opprimi poſſent, ſepibus hinc, atque illinc labore tumultuario erectis ſua tentoria muniverunt diligenter. Verum cum timori nulla munimenta ſint ſatis, vel in ipſo meridie de hoſtibus, de inſidiis, de aggreſſionibus eſt ſomniatum. Scarabæus quivis intempeſtive ſtridens pro exploratore hoſtili habebatur. Nec aut locus, aut tempus ullum vacuum a periculo, ac ſollicitudine Abiponibus fuit; Nam, quod experti ſæpe alias ſumus, propiora ſibi mala fingit timor. Mulierculæ adhæc præſtigiatrices, quarum præſagiis refragari nefas ſit apud Barbaros, propinquum hoſtem identidem mentiebantur; Vagis ultro, citroque commeantium Indorum rumoribus præſtigiatricum divinationes confirmatæ ſunt adeo, ut armis ſuccincti Abipones ſæpe dies, ſæpiſſime noctes traducerent de inſtante jam Tobarum aſſultu ſuſpectas.

Ad

Ad quotidianam trepidationem febris tertianæ contagium accessit, quæ diu per omnes ætates, ac sexus ea pertinacia grassabatur, neminem unum ut intactum relinqueret. Diebus æque, ac noctibus periculose ægrotantibus me præsto esse oportuit, dum denique eadem mihi lues adhæresceret hoc tamen discrimine, quod Indi tertio quoque die febri jactarentur, ego diebus singulis sub solis occasum jam caloris, jam frigoris accessionibus ad horas plures dirissime exagitarer, ad id temporis per omnem ætatem nulla unquam vel levi febricula tentatus. Ea fuit mali vis, ut mens noctu deliraret, æstuanti caloribus corpore, lingua carbonis instar nigresceret, pedes languidi cute solum, & ossibus constarent; Interdiu, nisi baculo nixus, ægre gressum fixi, viribus omnino prostratis; Verbo, spirantis cadaveris speciem referebam. Quotquot Indorum ad me visendum confluxerant quotidie, uno omnes ore illud mihi lachrymabundi repetebant : *Layam̀ Gregachi Paỳ ! Layam Gregachi !* Jam jam moreris mi Pater! Jam jam moreris ! Certe quidem a tumulo parum abesse mihi videbar ad extrema redactus morbo indies ingravescente, medico, medicina, cibo congruo, vino, pane, saccharo, verbo, omnibus destitutus, quæ ad me recreandum, roborandumque facere videbantur. Caro bubula exsucca, lignoque durior, quæ sola alias sanum me alebat, languente stomacho horrori mihi vel eminus visa jam fuit. Milii Turcici grana contrita, coctaque, si quando vel quovis pretio oblato ab Indis nactus sum, in cupediis numeravi, quod hac dape incredibiliter refrigerari me, sitimque ardentissimam mitigari senserim. Præterea aqua cum planta, quæ ab Hispanis Verdologa, a Latinis (ut Ælius Nebrissensis in suo Dictionario affirmat) Portulaca dicitur, cocta quotidiano mihi usui, & leva-

men-

mento fuit. Hæc planta foliola habet vivacissimæ semper viriditatis, quæ cauli rubescenti innata humi serpunt, & aceto, oleoque, si id suppetat, temperata pro lactuca mihi semper alias egregie serviebant.

Illud acerbissimum mihi, ac vix tolerabile, quod noctibus plerisque maxima fieret populi concursatio, qui Tobas truculentos jam jam propinquos stare miserabili cum ejulatu vociferans me febri æstuantem, meique impotem ad coloniæ defensionem imperiose evocabat. Pedibus insistere cum nequirem, ad domus portam considens, sclopoque, ceu baculo innixus excubare coactus sum aliquando, ut imbellis plebeculæ, quæ uni sclopo plus, quam centum hastis confidit, timores lenirem Vivus eram, sed vitæ propemodum nescius meæ. Febrili æstu remittente interdiu mentis quidem, haud tamen pedum compos alienis brachiis suffultus per ægrorum tentoria reptabam sæpe, ne quis moribundus sine sacris præsidiis animam efflaret. Augescente indies morbo, hostiumque, ut quidem rumor ferebat, periculo, sacerdotis, medici, militis, præsidiarii opera destitutus mortem præstolabar quotidie, sed, utrum hostium telis, an febris per dies septem & viginti in me sævientis pertinacia conficiendus demum essem, plane incertus, quamvis ad utrumque paratissimus. Mors equidem præ ejusmodi vita optabilior mihi videbatur, sæpique jam cum ovidio sentire, mortem minus pœnæ, quam moram mortis habere, affirmante. De calamitoso rerum nostrarum statu per literas a me factus certior Fulgentius Gubernator: Non nisi post Pascha aut sacerdotem, aut militem ex urbe ad nos navigare posse, respondit. Nolebat, opinor, vir bonus quemquam Hispanorum sacris, quibus servatoris cruciatus proponuntur, seu spectaculis, seu sermo-

monibus privari; Namque totum, quod Paſcha præcedit, triduum comprecantium, ſe ſeque flagellantium ſupplicationibus magno pietatis ſenſu univerſus populus intereſſe conſvevit. At enim quis ambigat, luculentiora & pietatis & prudentiæ documenta daturum fuiſſe Gubernatorem, ſi nulla illarum ceri-moniarum ratione habita moribundo mihi ſacerdotem, coloniæ graviter periclitanti militem quam celerrime miſiſſet. Lectis Gubernatoris literis ſpe omni, quæ collocari in humanis poſſet, abjecta cœleſtem opem fidentius expectavi, & vero ſenſi etiam. Hac una ſervatum me, ſoſpitemque nullus dubitavi. Mitigata poſt ſeptem & viginti dies febri quotidiana, quæ in tertianam demum converſa eſt, rediere mihi vires, ſed gradu tam lento, ut die, cui a ſacris palmis nomen, ad aram rurſus operari, quamvis ægerrime, poſſem, ſumma & capitis, & pedum imbecillitate defectionem animi identidem mihi comminante.

Lapſo poſt Paſcha octiduo adeſt ex metropoli Aſſumptionis Sacerdos noſter Coſmas de la Cueva cum duodecim militum comitatu. Imperatum illi fuerat: Coloniæ curam interea ſuſcipere, ſi me mortuum jam reperiſſet; Si ægrotantem adhuc, ad urbem curandus navigarem, illo interim vices meas agente. Quantum ego de ejus adventu mihi gratulabar, tantum ille de mea vita lætabatur, timebatque inter Barbaros remanere, quibus nunquam aſſveverat, Philoſophicis, Theologicisque in cathedris magiſter usque occupatus. Quotidiani de crudeliſſimorum Tobarum propinquitate rumuſculi, buccinarum militarium repetitus ſtridor, trepidantium fœminarum ſubita concurſatio, pulicum, culicumque importuna examina, habitationis miſeria, aëris ſeu æſtus, ſeu

ob circumjectas paludes malignitas vitam illi intolerabilem reddidere, quamvis pane recenti, vino, liquoribus aliis ad corpus non modo alendum, ſed & reficiendum, affatim inſtructus ex urbe venerit; Quin aquam ipſam, cum mihi ex putido ſtagno haurienda ſemper eſſet, inde avexerit. Ne igitur me valetudinis recuperandæ gratia ad urbem abeunte commorari hic porro cogeretur, fidem ſuperat, quam liberali manu ad me e morbo recreandum, confirmandumque ſua ex penu quotidie omnia ſuppeditarit. Sed quantum ille a miſera, turbulentaque colonia, tantum ego ab urbe abhorrui, Indis, miſeriisque jam diu aſſvetus. Hinc illi, octiduum apud nos commorato, domum redire per me licuit cum aliquot militibus, pauculis ad excubandum hic reſervatis. Vix urbi redditus lethalem in morbum incidit, ex quo, menſes aliquot lecto affixus, vix tandem convaluit. Si ad hunc ſternendum octidui mora fuit ſatis, quamvis ad commoditatem nil ei deeſſet, mirari deſines, me poſt biennium in extrema egeſtate, perpetuisque turbis iſtic conſumptum labefactata valetudine hac colonia exceſſiſſe.

Miſſi ſunt denique per intervalla alii, atque alii militum manipuli, ædes Abiponibus ut ſtruerent; Hactenus enim, annum amplius, ſub ſtoreis habitarunt ſuis, quibus tentoriorum inſtar & domi & in itineribus uti conſvevere. Adeo levi brachio condita ſunt tuguria, ut nec durare multum, neque habitatores adverſus aeris injurias poſſent mediocriter tueri. Certe Oahári Caziquius, totius fabricæ contemptor, in domum ſibi paratam ne pedem quidem unquam intulit; Hiſpanis ſpectantibus equum ſuum, ut umbra tecti frueretur, iſtic collocavit aliquando. Feſtis diebus ad aram operatus verba facere ad mili-

tes ſolebam eo ſucceſſu, ut illorum plerique univerſas vitæ ſuperioris culpas apud me expiarent eo fidentius, quod ægrotantibus æque, ac ſanis omne officii, & charitatis genus prompte impenderim ſemper. Periculoſa adhæc, ubi verſabamur, ſtatio, mortisque formido, ut ſacra homologeſi animum perpurgarent ſuum, non paucos ſtimulavit. Quotidianis equidem hoſtilis aggreſſionis ſuſpicionibus agitabamur. Jam Ychoalay equorum ſuorum raptu iterato offenſus, jam Tobæ ultores cum fœderatis Barbaris nobis imminere dicebantur. Neque fas erat iſtiusmodi rumores, ceu futiles aſpernari, quippe luculentis ſæpe indiciis, ſæpe exploratorum hoſtilium veſtigiis confirmatos. Ne igitur imparati, paucique a multis opprimeremur, horas plures interdiu, quin noctes integras armati toties egimus, Abiponibus in acie collocatis. Haud equidem, quod authoris clariſſimi pace dixerim, crebra inter pericula metus ſemper exuitur periclitandi. Cruentæ aliorum, qui timere neſciebant, interneciones cautiores nos reddiderunt. Hoſtis coloniæ imminens pedem retulit ſæpe, quod ſe a nobis paratis exſpectari per ſpeculatores ſuos norit, aſſultum tentaturus certe, ſi nos ſeu imparatos, ſeu ſtertentes noviſſet.


Cum tranquillitatis ſpes, ſecuritatisque vel umbra nusquam appareret, nemo erat Hiſpanorum, qui celerem e colonia abitum votis ardentiſſimis non peroptaret. Quotquot militum a militaribus præfectis coloniam adire jubebantur, ad latomias condemnatos ſe, vel ad triremes relegatos autumabant. Opulentiores, honeſtioresqne quocunque præmio oblato, morbi ſimulatione, negotiorum obtentu, commentitiis excuſationibus hoc ad coloniam iter a ſe depellere nitebantur; Unde viliores potiſſimum, & ſolo

nomine Hiſpani coloniæ obtigerant, qui oneri nobis, non præſidio eſſent. Tales fere erant, qui ſub coloniæ primordia quovis menſe lintre miſerrimo ad nos ex urbe navigare jubebantur tum neceſſaria quædam allaturi, tum, an ſuperſtes eſſem, exploraturi. Barbarorum metu coloniam non attigerunt ſæpe, alias aquis corrupta omnia, mihique nulli porro uſui futura attulerunt. Hæc non raro egeſtatis noſtræ origo. Non ignoro, Hiſpanos complures multo cum quæſtu in colonia verſatos eſſe. Noverant iſti crepundiis, ſcrutis, quisquiliisque pretii loco obtruſis equos præſtantes, pelles cervinas, vel tigrinas, ceram, colores Abiponibus eblandiri. Militaris præfectus, globulos vitreos porrigens per Indorum tentoria uno die ad viginti libras coloris rubri corraſit, qui ab hujatibus Cochinilla, ab Hiſpanis grana, ab Abiponibus Cachìl vocatur. Nunquam defuere, qui equos alienis ex prædiis raptos nullo religionis ſenſu clam coemerent. Quod, etſi impedire haud poſſem, palam damnavi, cum talium emptorum ſeu aviditas, ſeu frequentia Indis ad prædandum porro novos ſtimulos addidiſſe videatur. Rerum furtivarum emptionem divina vetari lege, palam edixi; Sed æthiopem lavi. Quorum manus ad lucra qualiacunque pruriunt, illorum mentes ad Theologiam obſurdeſcunt fere. Adhæc Indi Paraquarienſes rerum avidiſſimi infantium inſtar in mercatu ſunt, viliſſima ſæpe pro pretioſis acceptant. Equum pro fiſtula dare Germani vel puero, vel amenti proprium exiſtimant. Id proverbium apud Indos locum habet maxime, completurque frequenter. Alia, quæ vidi, ut taceam, Abipon adultus mulum inſignem, jam ephippiis aſſvetum, & in Europa fors nec quinquaginta ſcutis venalem Hiſpano tradidit, qui pretii loco fiſtulam ex obvia arundine inſcitiſſime a ſe factam

poi-

rendis pa[illegible]

Z 3 quo-


pag. 357.
COLONIA Abiponum
A Rosario & S Carolo dicta
A Barbaris Mocobiis, Tobis
& Oaekakalotis Equitibus
Circiter Sexcentis oppugnata
anno 1765 die 2 Augusti
Saladillo
Saladillo
Passo
Del
Timbo
LA HERRADURA
Prædium
Coloniæ
R PARAQUAY
Passo Nuevo
R Tebiquary
R Grande Iñate
Pascua

porrexit. Hiſpanus præſtantiſſimo mulo lætus, Abipon fiſtula ſua lætiſſimus fuit; Quam cum horis integris inflaret, aurem mihi obtudit utramque. Sed jam majora canamus.

CAPUT XLIII.

Sexcentorum Barbarorum aſſultus ſecunda Auguſti.

Crebra tonitrua fulmen excipit denique. Tobæ ſemper minaces, acceptæ ſtragis nunquam immemores colliuearunt diu, ictu certiore ut nos ferirent. Delendæ coloniæ conſilio Mocobios amicos, atque Oaekakalot, ſeu lenguas, vel alio nomine Quaykurùes in belli ſocietatem ſibi adſciverant. Ad expeditionem ſexcentos Barbaros accinctos ſtare, ex idoneis nunciis cognovimus. Petitæ per literas ex urbe ſuppetiæ. Promiſſæ ſunt, ſed nunquam miſſæ. Ex quo, quantum vitæ noſtræ, quantum coloniæ incolumitas Gubernatori cordi fuerit, intelligas velim. Terrore ex periculi evidentia indies augeſcente incolarum numerus decreſcebat quotidie, plerisque ad notas ſibi nemorum latebras metu diffugientibus, quamvis per intervalla redierint nonnulli, quoties ſeu eſuries, ſeu novitatum ſciendarum lubido reditum illis perſvaſit. Dies ſæpe plurimos cum quatuor Quaranicis familiis, quas domi alui, cumque aliquot vetulis Abiponibus, qui jam nec itineribus, nec armis ferendis pares, ſolus egi. In periculoſa ſolitudine, in

quotidiana assultus hostilis exspectatione quanta ex- excubandi, speculandique omnia assiduitas diu, noctuque me occupaverit, quis mihi in ancipiti rerum nostrarum statu animus fuerit, opinandum tibi relinquo. Desperatis dudum Hispanorum auxiliis quaterni tandem milites, spirantia cadavera dixisses, ex pago capiata adrepserunt. Miserabilem hominum speciem intuitus ad moriendum illos, non ad mactandos hostes huc venisse, jurabam. Morbidos se vigiliarum Præfecti inexorabilis imperio e lectis, ut proficiscerentur, abstractos venire, ipsi fatebantur. Laurentius Vernal miserrimæ hujus triadis, ut vulgus ait, capitaneus arthritide vaga laborabat, articulis adeo captus, manus ori admovere ægerrime ut posset. In scamno stratus dies, noctesque egit. Ob affecta bubonibus inguina alter extremam sensit ambulandi difficultatem. Tertius hectica, quartus atra bile, & nescio, quibus furiis exagitabatur, usque turbulentus. Hoc authore, postquam noctem unam apud nos egissent, de hostium propinquitate edocti fugam ceperunt socii, sed capitanei precibus retracti. Vel unum istorum quatuor genere, animoque Hispanum esse, primo aspectu pernegavi. Corporis habitudo, & color Americanæ, Africanæve originis suspicionem mihi injecit. Quod si quis illos Hispanis adnumerare contenderit, Numantinorum, Saguntinorumve nepotes eos esse mihi profecto nunquam persvadebit. Ex eorum factis contrarium patuit. En tales præsidiarios coloniæ adversus Barbarorum multitudinem tuendæ Gubernator dedit!

Pauci ab istorum adventu fluxerunt dies, cum Abiponum aliquis, Mocobiorum ferocium dudum contubernalis, concubia nocte equo pernici ad nos advolat, clanculumque Caziquio Oahari: Tobas Mo-

co-

cobiorum, lenguarumque turmis consociatos iter jam ingressos, & propediem assulturos nunciat, ac nondum albescente cœlo ad suos recedit. Caziquius vires tum suas, tum hostium æstimans dum hinc tantæ hostium multitudini imparem se, inde Hispanorum auxiliis destitutum videt; Fuga sibi consulit actutum. Ne tamen metu fugisse videretur, ad dies aliquot venatum se excurrere, me nequidquam repugnante, mentitur. Plerisque incolarum securitatis studio illum turmatim sequentibus, fœminæ cum prolibus paucæ, quæ ab hoste venturo mactari possent, viri bellatores, qui hosti se opponerent, duntaxat quaterni mecum in colonia remanserunt. Alter quiscunque rebus tam arctis, trepidisque mei loco si extitisset, quidni conscensis celeriter lintribus per flumen, quoquo demum liceret, in tutiora se fuerat recepturus? Et vero quis tandem mortalium succensere ausit fugienti? Hispani Gubernatores ad tuendam Missionariorum vitam præceptis Regiis obstringuntur. Carolus secundus equidem de morte crudeli duobus Missionariis Jesuitis per Barbaros illata edoctus amplissimis literis ad Paraquariam datis præceperat, ut quinque & viginti milites Hispani, homines probi, strenui, Missionariorum arbitrio deligendi in singulis novis Indorum Coloniis collocentur ad coloniarum, Patrumque, qui eas procurant, defensionem. Literas Regias, libris variis insertas ipsus legi toties, & rarissime hac ætate observari, sum expertus. Regia voluntate a Gubernatoribus plerumque neglecta quid mirum, tot nostrorum hominum seu perfidia, seu atrocitate Barbarorum in variis coloniis occubuisse. Missionarii, Coloniarum præsidiarios ut agant, & excubitores, nulla lege tenentur, præterquam illa omnibus communi, qua vitam quisque tueri suam

 ju-

jubetur. Haud ignoravi, extremo, in quo verſabar, diſcrimine fugam mihi licere, ac ab omni dedecore abeſſe. Obfirmato tamen in quoscunque caſus animo, ſtationem curis meis creditam pro viribus propugnare ſtatui, ne Hiſpana gens timiditatis me argueret, nativamque, qua Germani ſemper præcelluere, magnanimitatem in me deſideraret.

In excubandi perpetuitate ſecuritatem porro noſtram ſitam eſſe, perſpexi, maxime, poſtquam fumi viciniores, detecti eminus noſtra e ſpecula exploratores, aliaque indicia hoſtis propinquitatem non obſcure nunciarunt. Pridie, quam hic aſſiliret, opportune Abipones noſtri octo, probatæ virtutis omnes, ad nos rediere ſub veſperum, mane mox dimicaturi. Duodecim igitur, haud plures, Abipones pugnaces numeravi in colonia, qui tamen animorum magnitudine paucitatem penſarunt ſuam. Ego noctem illam, ut ſæpe alias, vigilando traduxi, & in domus area obambulando, dum denique circa horam ſecundam & ſomno oppreſſus, & acerrimi frigoris, pruina illabente, impatiens cubitum concederem. Prius tamen capitaneum, ut excubitorem mei loco conſtitueret ſolertiſſimum, monui, rogavique. Vir bonus ſecurum me eſſe jubet, & multis jam noctibus ſe aggreſſionis metu ſomnium capere haud potuiſſe, jurat. Collocatus ab illo in area excubitor, qui rigidiori ex pruina aëri ut ſe ſubduceret, in domus angulo ſe abdidit; Iſtic conſidentem ſomnus arctiſſimus complexus eſt. Hoc igitur imo ex pectore rhonchos trahente, ſopitis, quotquot in colonia, omnibus, ipſis canibus, vel muſcam peregrinam alias allatrare qui ſolent, obmuteſcentibus Barbari ſexcentis plures equites ſuſpenſo gradu, ſilentio ſummo, ad lunæ pleniſſimæ lucem,

cir-

circa horam quartam adfuere. Primo impetu ſexaginta boves aratores, quos ſepibus clauſos prope domum habui, nemine prohibente Barbari abducunt. Illorum pars Abiponum ædes hinc, atque illinc obſidet, ne rerum ſuarum defenſione occupati mihi ſuppetias venirent. Reliquum Barbarorum agmen, ſepoſitis tantiſper ad vicinæ ſylvulæ marginem equis, per ſepimenti latera domui meæ circumfunditur, & ſagittarum imbre aream implet. Fœminarum ad domus meæ ſepes accurrentium ejulatu expergefacti denique milites, dum illico machinam bellicam, & quidquid ſcloporum in promptu erat, in irruentes Barbaros exonerare oportuerat, reculis ſuis in ſuo tugurio colligendis moram trahunt ſtupidi, & his quisquiliis in tuto locatis ad me expergefaciendum teſtudineo gradu venit Capitaneus, voceque tranquilla, multis verborum officiis præmiſſis, veluti ſelices calendas precaturus, ab hoſtibus nos cinctos, tandem nunciat. Incredibile, quantum me breviſſimi, quamvis neceſſarii, ſomni pœnituerit, qui, ne ab hoſte opprimeremur, tot noctes vigilaverim ſæpe alias. Armatum me cubiculo egredi ut primum ſenſerat capitaneus, ſclopum ingenti cum tonitru, ſed ictu prorſus innoxio exploſit ſuum; Namque eo loco ſteterat, ut domus totius interjectu nec videre hoſtes, neque videri ab illis poſſet. Ego ſum antem adhuc fiſtulam, atque lunam verſus, quæ tecto meo incubuit, directam conſpicatus: Ecquid injuriæ, ajebam, a luna accepiſti, vir bone? Adver us illam cur modo jucularis? Aſt ille, quod ejus ſclopus igne præter morem adeo prompte reddito egregie tonuerit, gloriarum pleniſſimus: Agedum, ſodalis, cantillans adſtanti militi dixit, ſclopum quoque tuum exonera confeſtim. Hic vero, ut inſigniter procerus, ſic macer, ac gracilis, totis tremiſcens artubus, & febri-

bricitanti, quam tergiversanti similior ad domus angulum se recipit, sed venia dignus. In tanta aggressorum multitudine, tantaque defensorum paucitate ecquis non trepidaret? Enimvero si tempore, si viribus, ac opportunitate uti nossent Barbari, conclamatum de nobis erat.

Hostium adventu, qui repentinus magis, quam improvisus fuit, perculsum me, non inficior. Verum ipsa periculi præsentissimi magnitudo eos mihi animos injecit, quos jam ipse admiror. Ut desperatis morbis temeraria sæpe adhibentur medicamenta, sic, cum declinandæ internecionis spes prope nulla esset super, extrema ausus sum. Reliquorum vitas servandi fiducia tot mortibus me objeci, quot hostium telis. Solus equidem, sclopo intento minax ad confertam Barbarorum multitudinem accurri. Per solum sagittis, quæ calcatæ sub pedibus usque stridebant, mihi fuit eundum. Indos etiam plurimos sclopum vel unicum timere, atque adeo haud magnopere timendos esse annorum plurium experientia didici. Barbari triplici ordine locati areæ sepimento (la palisada, vel estacada ab Hispanis vocatur) muscarum instar inhærebant, contra sclopoorum ictus sudibus crassis, altisque defendebantur, per quarum intervalla sagittas in nos vibrare quidem, vix tamen plumbeis glandibus per nos attingi potuere. Quamobrem vana sclopi explosione supersedendum mihi putavi; Audito enim nitrati pulveris crepitu, si quem suorum sterni non videant, timere desinunt, ac jam audentiores sepimentum transcendunt. Hinc rectissimo cursu ad ipsas sepes contendi, inde sclopo, cui pugio præfixus, sclopisque manualibus quaternis in incumbentes Barbaros citra erroris periculum collineaturus. At vero casus sinister

ſter optima conſilia evertit. Nam, dum vix denos paſſus a ſudibus abeſſem, mox jaculaturus, advolante ſagitta fui ſauciatus. Hæc ulnam, & mediam longa e ligno duriſſimo; quinque uncis, hami inſtar, exaſperata brachium dextrum circa humerum transverberavit, muſculum, a quo medius movetur digitus, pertudit, laterique meo infixa hæſit. Vulneratus ſclopo ſiniſtra prehenſo intra domus parietem me recepi, ut a latente iſtic Capitaneo telum evelleretur. Eum in finem hoc manibus circumagendum diu, & eo fere modo, quo Chocoladæ potio in ſpumam redigitur, celeriter rotandum fuit, quo dilacerata magis, magisque carne hamatis uncis via ad exitum aperiretur. Quanto id cruciatu mihi ſteterit, nemo niſi idem expertus, vel cogitando aſſequetur.

Exempta ſagitta, quamvis cruento brachio, & ad quoscunque uſus inutili, ad eandem, ubi vulneratus ſum, ſtationem redii, Barbaros a ſepibus ut arcerem; Sclopis enim manualibus tractandis ſiniſtrum brachium ſufficiebat. At quantum obſtupui, quantum mihi plauſi, dum hoſtes ad unum omnes a ſepibus jam longe abeſſe adverti. Americani iſti heroes primo ſclopi aſpectu dum illis ad decem paſſus propinquaveram, perterriti, reditu meo haud exſpectato, confeſtim receſſere. Reliqui Barbari, qui coloniæ domos invaſerant, poſt diuturnam, cruentamque velitationem a pauculis Abiponibus pariter repulſi fuerunt. Iſtorum unus, Oaherkaikin notiſſimi frater Indus pugnaciſſimus, ſagitta ipſis in natibus eſt ſauciatus. Plures hoſtium vulnera abſtulerunt. Domibus ſuis tandem liberatis ad opem, ſi quam poſſent, mihi ferendam Abipones advolarunt. Illorum quispiam, ſanguine manantem ut me vidit:

Hoc

Hoc vulnus tuum, mi Pater, inultum haud patiemur. *Hekaam labè* exclamavit. Alter hoſtes terga dare, & ſepibus relictis equos jam jam conſcendere conſpicatus ex domus meæ area ſagittam vibrat felicitate tanta, ut in Tobæ cujusdam pectus eam alte demerſerit. Improviſo telo ictus miſer & arcu, & pharetra abjectis ab alio, cui a tergo dein' aſſederat, equite in equum attollebatur.

Cum pedeſtre certamen neutiquam ad votum Barbaris cecidiſſet, jam equites omnes reſtauratis ordinibus viam, quæ ſepimentum inter, Indorumque ædes intercedit, occuparunt. Progredi porro ne auderent, cum eodem Abipone, qui Tobam ſauciavit, machinam bellicam manu trahente in forum apertum erupi. Sed cave, fumantem hoſtili ſanguine campum expectes, vel cadaverum ſtruem. Nunquam id mihi in votis. Fugare periculoſos advenas unicum erat propoſitum, ac, ne vel equorum calcibus conteramur univerſi, maxima ſollicitudo. Audi, amabo, & ride, dum, quid unus contra ſexcentos equites poſſit in Paraquaria, intelligis. Nitratus pulvis ab Abipone accenſus utprimum ex bellica machinula intonuit, omnes vel ſulphureo fumo perculſi, vel, quod veriſimillimum, globulis plumbeis non nihil aſperſi horrendo cum fremitu ſolutis ordinibus, præcipiti fuga receſſerunt, equis non inverſis, ut mos fert, ſed averſis, & habenæ violenta adſtrictione retroactis. Ad propinquam ſylvulam, ubi jam tutos ſe credidere, redintegrata acie ſubſtiterant eo quidem conſilio, ut ad ſe inſectandos me pellicerent, & a ſociis quadraginta, qui in declivi ſtagni proximi margine latitabant, interceptum omni ex parte cingere, opprimereque poſſent. Per ſpeculatorem ex domus meæ area me inclamantem de inſidiis commo-

mo-

monitus cum Achate meo Abipone, cumque machina bellica rursus onerata vicino in colliculo constiti, unde & hostium motus ulteriores observare, & sacram ædiculam, ædesque reliquas defendere potui, quarum ambitu & ipse adversus equestrem incursionem undique defendebar.

Barbari in ignivomæ machinæ, cujus tonitru auribus usque instrepens animos terrore compleverat, conspectu assultum porro repetere non sunt ansi. Ne tamen nihil egisse viderentur, vacuisque domum manibus redirent, cum patrandarum cædium opportunitas deesset, ad prædandum animos adjecere. Trecentis ad Abiponum equos, qui in remotis Paraquayi fluvii litoribus pascebantur, colligendos dimissis, totidem prope alii ad nos coercendos remanserunt. Semicirculum referentes coloniam eminus obsidebant equites, quieti semper, summo silentio, oculis in machinam bellicam semper intentis. Fœderatum agmen, cum triplici ex natione coaluerit, plumis varii coloris ex hasta pendentibus se se distinxerunt. Abiponum manipulus ad repellendum, si irruere tentaret, hostem promptus excubabat. Ego stationis, quam cepi, opportunissimæ tenax æque, ut suæ Barbari. Mutuus timor horarum aliquot quietem, cessationemque utrisque imperavit, nobis hostium multitudinem, illis machinam bellicam reformidantibus. Abipones fœminæ, quæ in domus nostræ area mille inter gemitus rei exitum præstolabantur, iterum, iterumque, ut tormentum explodérem, vociferantes me hortabantur; At enim nesciebant, pulveris nitrati supellectilem mihi esse adeo curtam, ut non territandis frustra hostibus impendi, sed ad reprimendos, si rursus auderent, eorum impetus debeat reservari. Hora demum post meri-

diem

diem ſecunda redierunt prædones, & bis mille minimum equos, quos nobis rapuerant, triumphantium more adduxerunt. Coloniæ in conſpectu, ſed extra teli cujuscunque jactum, veluti prædam oſtentantes, eminus tranſiere. Abipones mei, etſi equorum jacturam iniquiſſime ferrent, domorum tectis inſidentes timpanorum feſtivo pulſu, ac læta vociferatione prædonibus inſultarunt, quod, qui bipedibus univerſis coloniæ internecionem comminantes adventaverant, nunc quadrupedibus contenti recedant. Barbari, qui nos obſederant aliquamdiu, ſociis redeuntibus ſe protinus adjunxerunt. Neque tumultuarius diſceſſus fuit. Caziquiorum imperio binæ equitum centuriæ præceſſerant equorum agmen, totidem ſequebantur. Cæteri latera ſtipabant. Quidquid aridi per campos graminis obvium, more ſuo accendere, ut ſublato in aera fumo victoriam nobis ſuam, ſuis reditum eminus nunciarent. Ad proximum lacum, qui paucas a colonia leucas abeſt, conquieſcentes noſtris e bobus lautas ſibi epulas apparanunt, ut relictis ex oſſibus poſtridie patuit.

Remotis licet noſtro e conſpectu hoſtibus nondum quieſcere mihi licuit, ab hora quarta ad ſecundam pomeridianam usque non occupato tantum, ſed & curſitando, ſpeculando, imperando, ſanguinem uberrimum fundendo plus, quam credi queat, fatigato. Sepoſitis tantiſper armis ad medicamenta converti animum, jam miles, jam chirurgus, neceſſitate urgente, omnibus omnia. Abiponi, quem in velitatione vulneratum dixi, dum ſagitta eximebatur, mucronis confracti pars ejus carni alte infixa hæſit. Ad remedium, quod mihi perſpectum, illico applicandum ab ejulante ejus conjuge ſum evocatus. Hoc charitatis officio defunctus de me ipſo curan-

do

do tandem cæpi cogitare. Vulnus ante decem horas mihi inflictum vino calente ablui, ligavique. Frigore quantum fuerit exasperatum, quantum sanguinis interea fuderit, facilis est conjectura. Manus sudore continuo manavit, ex quo tela lignea veneni aliquid habere, intelligas. Siti ardentissima cruciabar identidem, quæ cruoris effusionem copiosam consecuta liberali haustu aquæ nunquam poterat mitigari. Cibi vel micam toto die me delibasse, haud memini. Per horas ingravescens vulneris dolor noctu intolerabilis omnino evasit vel eo, quod, dum capienda in lecto quies, situs collocando brachio opportunus non se offerret. Pulvinar illi subjectum levaminis non nihil dedit. Musculus, seu rectius forte musculi tendo, medii digiti motor, telo læsus funiculi instar a summo ad imum intumuit, præcipuaque fuit doloris sedes. Vulnus adipe (Axungiam vocant pharmocopæi) Gallinæ in Concha ad Candelam liquefacto noctibus singulis perunctum, nullo præterea medicamento, vel medico accedente post dies sexdecim feliciter consanavi. Musculus ille sagitta offensus detumuit quidem, digitum tamen, qui ab illo Gubernatur, per menses quinque semper depressum erigere haud potui; Sed & hic ope balsami cujusdam, quod in oppido sanctorum Apostolorum noster Norbertus Ziulak pharmaceutica clarissimus porrexit, persanatus fuit. Cicatricem luculenti vulneris testem, coloniæ defensæ, contemptæque mortis monimentum circumfero etiamnum, & charæ mihi semper Paraquariæ non possum non recordari.

CA-

CAPUT XLIV.

Corollaria ad idem argumentum. Controverſia de S. Thomæ Agoſtoli adventu in Americam.

Ranarum a me decantari prælia, & maximam de nihilo hiſtoriam fieri, dices, qui iſta legis. Ludicra hæc eſſe, atque ridicula, ſi cum Europæorum bellis grandibus componantur, lubens fateor. Rem tamen magnam, omni expectatione majorem, & propemodum incredibilem præſtitiſſe Abipones meos, inficiabitur nemo; Horum quippe duodecim ſex Barbarorum centurias non ſuſtinuerunt modo horas aliquot, ſed & propulſarunt. Duodecim a ſexcentis internecione non deleri, claram quidni victoriam putes? Defenſoribus ſingulis cum quinquaginta aggreſſoribus, vindictam ſpirantibus, luctandum fuit Illos enimvero acres in aſſultu repellendo, alacres in ejaculandis telis, in declinandis celerrimos, callidiſſimosque obſtupui. Nemo equidem, ſi illum, cujus memini, excipias, in tanta ſagittarum nube eſt ſauciatus. Duodennis puer, dimicantium fremitu, hinnituque equorum e ſomno excitatus, dum e tentorio forte proſpectat ſuo, advolante ſagitta infra ſuram leviter ictus fuit. Hoſtium complures eſſe vulneratos, argumento nobis eſt, quod binos eodem equo vectos diſcedere paſſim viderimus; Hunc enim a ſauciis obſervari morem, alias dixi. Reperti poſtridie in campo vicino thoraces ex duriſſima alcis pelle,

ſan-

ſanguine imbuti, telisque pertuſi, quos ſcilicet ad leniendum dolorem vulnerati abjecere. Illud admiratione dignum: Idem Toba, a quo vulnus accepi, ab Abipone meo circa pectus ſagitta hamata confixus pœnas Talionis dedit; Sagittæ equidem, quas ſaucius abjecit, ab aliis dein collectæ ejusdem arundinis, formæ, ac magnitudinis, cujus ſagitta mihi infixa, atque adeo ejusdem Barbari fuiſſe & Abiponum, & Hiſpanorum judicio cenſebantur. Coloris plumarum, quæ ſagittis affiguntur, perfecta æqualitas nullum reliquit dubitandi locum. De meo vulnere a ſe vindicato quantum mei plauſerunt Abipones, tantum ego infelicis Barbari ſortem miſerabar, qui in reditu forſan occubuerit; Ipſam namque mammam (ſi id vocabulum maribus conveniat) Abiponis telum perterebravit. Ovium noſtrarum gregem, cui diripiendo iterum, iterumque hoſtes inſtiterant, Abipon adoleſcentulus, fida in ſtatione locatus, continuo ſagittarum miſſu defendit præclare, intactumque ſervavit. Et quam prurit mihi calamus ad quatuor illos præſidiarios; ſi ſuperis placet, Hiſpanos laudibus ornandos! Sed nullum, eheu! Strenuitatis veſtigium in illis deprehendi, dexteritatis nullum, niſi quod adverſus lunam ſclopum exoneraverit ſuum alter, alter Abiponibus in foro dimicantibus immixtus ſclopum onerare neſcierit; Primum equidem globum plumbeum, dein' pulverem nitratum tubo injecit, ut adeo hic ob interjectum obicem nunquam potuerit inflammari. Alia, quæ apud alios in tractandis armis ſæpe obſervaveram, ſtupiditatis exempla nec vacat, nec lubet commemorare. Ejusmodi fungos ad coloniarum recentium defenſionem militares Præfecti nobis plerumque mittebant; peritioribus, ſtrenuioribus, verbo Hiſpanis ad rem familiarem augendam domi relictis.

Eodem die, quem iſte Tobarum aſſultus memorabilem mihi reddidit, dum omni periculo jam defuncti nobis videbamur, ſole in occaſum properante decem equites Barbari, e ſylva propinqua erumpentes, in conſpectum ſe nobis dederunt, ſed mox noſtris ex oculis evanuere Omnium ſententia pro exploratoribus habiti, hoſtes, ſimulato abitu, in inſidiis latere etiamnum, & inopinatum ad nos noctu opprimendos reditum meditari, ſuſpicionem nobis injecerunt. Inſolitus, univerſalisque tota nocte canum latratus conceptum timorem confirmabat. Num quid inſidiarum hoſtilium ſubeſſet, ut fierem certior, hora noctis decima viciniam omnem, campum, ſylvam, lacus adjacentis litora armatus luſtravi, Hiſpanis quatuor a tergo me ſequentibus; In obvium quemdam, qui per nocturnas tenebras a me agnoſci haud poterat, pro hoſte habitum manualem ſclopum jam eram ſoluturus, niſi Abiponem noſtrum eſſe ex prompto ejus reſponſo intellexiſſem. *Miekakami?* Quid hominis es a me interrogatus *Aym* ego celerrime repoſuit. Eodem, quo ego, fine ad ſpeculandam coloniæ vicinitatem is excurrit. Luſtratis omnibus jam tranquillior literas, quamvis maxima ob labefactatum brachium cum difficultate, exaravi, per Abipones poſtridie ad Aſſumptionis urbem deferendas, quibus Gubernator de rebus noſtris edoceretur. Literis ſagittam meam, Religioſæ obedientiæ, quæ periculoſæ huic Coloniæ me affixit, trophæum, cruentiſſima induſii mei manica involutam coriacea in theca adjeci, Europæorum ducum more, qui hoſtica vexilla e caſtris ad aulam per victoriæ nuncios mittere conſveverunt, ſi parva magnis componere liceat. Sagitta, manicaque meo ſanguine tinctæ omnium in ſe oculos converterant in metropoli, honorificeque iſtic pro monumento ſervabantur. Ex Abiponum nuncio-


ciorum relationibus partim, partim ex teli hamati magnitudine magnitudinem vulneris, atque adeo periculi mei arguerunt Hiſpani. Quid, quod, cum fama eundo creſcat, jam e vulnere, & muſculi potiſſimum offenſione, cui gangræna acceſſerit, exſtinctum me luxerunt ſociorum meorum complures, & ad me expiandum ſacram Deo hoſtiam litarunt. Alii me, dum ſuperſtitem adhuc norant, confeſſorem domini pleno ore conſalutarunt. Enimvero baptiſma Tobarum Caziquio Keebetavalkin e variolis moribundo a me, ut alias dixi, collatum vulneris mei prima origo fuit. In religionis cauſa fudiſſe tantillum ſanguinis & honorificum mihi, & jucundum putavi; Quin & mortem oppetere cum Apoſtolo peroptabam ſæpe. Pœnituit me non ſemel, imo & puduit non fuiſſe tumulatum Apoſtolicos inter Paraquariæ heroes, quorum opera, ſudore, ac ſanguine Indi innumerabiles Cœlo fuerunt illati.

Magnis acceſſionibus auctus eſt de coloniæ oppugnatione, defenſioneque rumor in metropoli, poſtquam quatuor illi milites periculorum participes, totius certaminis ſpectatores advenere. Affirmabant illi integerrima fide, oppugnatores Barbaros facile octingentos fuiſſe, & præ quovis ſtygio ſpectro viſu terribiliores. Abiponum propugnatorum, etſi pro hoſtium numero eſſent pauciſſimi, virtutem eximiam magnis in Cœlum laudibus efferebant. Mihi, quod Barbaræ multitudini ad decem paſſus propinquare, & aperto in campo plures horas obſiſtere auſus ſim, & ſuam, & cæterorum omnium incolumitatem deberi, palam fatebantur, vel hoc nomine laudandi ipſi, quod præter militum morem modeſte de ſe, honorifice de aliis ſentirent, ac loquerentur. Capitaneus ille lunæ formidabilis, candore, quam fortitudine inſignior non

erubuit mihi coram dicere: Actum ſane erat de noſtra omnium vita, mi Pater, ni tibi Deus hodie audaciam ſingularem inſpiraſſet. Ecquis non ſuſpiciat tantam in milite ingenuitatem? Ego vero, cum ad tot Barbaros reprimendos humana præſidia abeſſent omnino, Divina ope ſervatos nos in tanta procella, gratus, lubensque fatebor ſemper.

Dilapſis dudum aggreſſoribus nondum tranquillati incolarum animi. Poſtridie fœminarum ejulatu perſtrepuit forum, maritos, filiosque ſuos, qui cum Caziquio venationis obtentu excurrerant, a fœderatis Barbaris in campo cæſos lamentantium. Verum promptus illorum ad coloniam reditus infauſti rumoris, qui incertis authoribus ſpargebatur, futilitatem detexit. Quantum de eorum incolumitate nobis gratulati ſumus, tantum illi de equorum, quos hoſtis abduxerat, præſtantiſſimorum jactura mærorem prodiderunt. Sed tot quadrupedantium beſtiarum damnum penſare, exigui temporis, nullius prope laboris negotium illis fuit; Namque equis viginti, quos Oaherkaikin amicus mox dono dedit, tum plurimis aliis, quibus in itinere uſi ſunt, dextre uſi vicinis Mocobiis paulo poſt ſeptingentos eripuerunt, plurium ſubinde per fas, & nefas conquirendorum inſtrumenta. Poſt aliquot menſes tanta bucephalorum frequentia abundaverant, ut nullum unquam perdidiſſe videri poſſent. Ego præclariſſimis equis toties per Barbaros ſpoliatus nullos porro habere proprios volui, ut me eos perdendi ſollicitudine liberarem dein', poſſemque vacuus coram latronibus cantare.

Gubernator Fulgentius dudum de coloniæ periculo a me factus certior, illi adversus Tobas, sociosque defendendæ decem præsidiarios milites destinavit; Verum hi, ut lenta semper, sæpe nulla est istorum hominum obedientia, biduo post hostilem, quam enarravi, incursionem apud nos appulerunt. Ego, ne solus denuo, dilapsis metu incolis, in periculosa solitudine considerem, de Hispanorum adventu mihi gratulabar magnopere, quod novi Barbarorum assultus propediem metuendi essent. Tobæ enim equorum nostrorum raptu nec placati, neque pacati sunt, cum incolarum trucidandorum occasio illis nuper fuerit præcisa. Cædes suo in contubernio ab Abiponibus patratas Abiponum cædibus vindicari oportere, obfirmato ad novam incursionem animo, identidem vociferabantur. Quod cum idoneis ex authoribus certum nobis esset, trepidatio quotidiana novam diu noctuque excubandi necessitatem imposuit. Fœminæ Tobarum minacium sævitiam reformidantes in remotissimis latebris securitatem quærebant frequenter, maritis, prolibusque in fugæ societatem pertractis adeo, ut plures interdum hebdomades habitatoribus oppidulum vacaret. Gubernator ad vindicandum, quem fudi, sanguinem suo cum equitatu in Tobas se profecturum protinus nobis promisit equidem, sed pabuli penuriam, & quæ inde consecuta est, equorum maciem causatus non nisi sexto post mense promissis stetit, Tobarum contuberniis remotiora in loca interea translatis. Hinc ob tantam cunctationem Hispanorum, Abiponumque sociorum expeditio molestiarum quidem plena, sed fructu vacua fuit, Tobis nusquam detectis, qui Hispanorum iter irritum victoriis adnumerarunt suis. Cauta Barbarorum celeritate quoties eheu! Me in



Paraquaria agente cunctabundi Hiſpani vel deluſi ſunt, vel profligati!

Continuos inter armorum tumultus eo loco res erant, ut nec Abiponum inſtitutioni locus, neque optati fructus ſpes mediocris relinqueretur. Ad perdiſcenda religionis capita & animus illis defuit, & otium, bello, vagatione, venationeque identidem occupatis. Etſi enim, dum ære campano ad audienda ex me fidei rudimenta ſub veſperum evocabantur omnes, fœminæ, vetulis exceptis, pleræque, puerorum ſat multi ſacram in ædiculam confluxerint, ex maribus adultis ſemper pauciſſimi, ſæpe nulli comparuerunt. Compotationibus, avitisque, qui ſuperſtitionem redolent Barbaram, ritibus eliminandis nulla unquam par induſtria, eloquentiaque videbatur. Sacro latice expiari ſe moribundi ut ſinerent, iteratis precibus ægre impetravi. Saluberrima quæque, quæ ſeu ad coloniæ ſecuritatem, ſeu ad ſingulorum felicitatem pertinerent, ſvadenti mihi morem gerere tergiverſabantur fere. Hinc dum Gubernator de incolarum numero per literas certior fieri voluit, ut hoc teſtimonio exhibito ſolitam Miſſionariorum penſionem (quæ ab Hiſpanis el ſinodo dicitur) ab ærarii Regii Præfecto conſequeretur, his prorſus verbis ei reſpondi: Penſionem annuam, quam Miſſionariis alendis Rex Catholicus deſtinavit, poſcere non auſim; Hæc equidem Colonia non Catechumenos, ſed energumenos habet. Stipendium vero, quod militibus Regiis ſolvitur, omni jure mihi deberi, affirmo, cenſeoque, nullum fore in hac provincia tribunum, vel centurionem, qui, quantocunque ſtipendio conductus, in continuis periculis, excubiis, laboribus, miſeriisque menſem vel unum verſari vellet, quibus in alterum jam annum ad hanc ſtationem adverſus Bar-

ba-

baros tutandam quotidie fatigor. Hæc ego tum ingenuitate maxima Gubernatori perſcripſeram. At noveris, toto, quo hic verſatus ſum, biennio aut Miſſionarii, aut militis & coloniæ propugnatoris nomine nec unicum obolum ex ætario Regio me accepiſſe. Inde tanta coloniæ hujus paupertas; Argentum enim, quod Miſſionariis alendis Regia pietas pendi imperaverat, præcipuum, & in novis Barbarorum Coloniis prope unicum erat vectigal, quo ſacram ſupellectilem, ferrea inſtrumenta, aliaque Indis tum veſtiendis, tum remunerandis neceſſaria comparare ſolebamus. Argento citius, certiusque, quam ferro, & verbis Barbarorum expugnantur nationes; Hæc aures, ac corpora feriunt, ſed ſæpe exaſperant animos; Illud, globulis vitreis, annulis, forficulis, cultellis, aliisque id genus munuſculis emendis impenſum, inveteratam Indorum Barbariem domat, ferociſſimasque illorum delinit voluntates. Rem mihi diu compertam ſcribo. Subſidiorum, quæ ad conciliandam Barbarorum benevolentiam faciunt, penuria ſperatos rei Chriſtianæ progreſſus retardat, operarumque Evangelicarum & expectationem, & conatum quemvis ludere conſvevit. De religione amplectenda ad ravim declamet ſacerdos, blandiatur, minetur, ſudet, ſi non det auditoribus quidpiam, actum aget, ridebitur etiam, & qui religionis magiſtro aures præbere porro vellet, aut fidem adhibere, nemo unus erit. Si ambabus manibus eſculenta, veſtimenta, cultros, quæcunque alia porrigas Barbaris, in Cœlum, juſſeris, ibunt.

Biennalibus ærumnis, quotidianis laboribus, ac curis prope conſumptus, arthritide ſæpe tentatus, & digiti medii, cujus muſculum telo læſum dixi, uſu deſtitutus in mei locum Sacerdotem alium ut ſubſti-

 tue-

tueret, a Provinciali popoſci. Tres fluxere menſes, dum denique Joſephus Brigniel veteranus Abiponum, Quaraniorumque Miſſionarius, & jam ætate gravis mihi ſuccederet. Pater Hieronymus Rejon illi ſocius datus. Uterque munuſculis ad devinciendas ſibi Abiponum voluntates, rebusque ad domeſticam penum pertinentibus liberaliter inſtructus quamvis ex urbe venerit, patientiæ tamen oſtentandæ occaſiones quotidianas habuit; Indos parum morigeros, Tobas, Mocobiosque ſemper infeſtos ſenſit. Iſti, ut alia omittam, Brigniel rem divinam faciente invaſerunt Coloniam. Senex Quaranius ovium paſtor in campo miſere jugulatus; Oahari Caziquius, præter alios, graviter ſauciatus eſt. Percurato jam, quod in dimicatione accepit, vulnere paulo poſt e ſerpentis lethiferi morſu occubuit. Is licet plebejus genere, factis tamen militaribus clarus, intrepidus, callidus, facilis in ſuos, exteris formidabilis cum eſſet, Caziquii munus, Revachigi primum, deinde Oahari nomen celebre eſt adeptus. Modeſtiæ famam captans, Ychoalay, & Kebachichi ductorum clariſſimorum exemplo ſolenni, quo capitanei nationis inaugurantur, honore initiari, nomineque, quo Höcheri nobiles ſe diſtinguunt a vulgo, in ſyllabam IN definente inſigniri ſemper recuſavit. Proceritate corporis, formæ liberalis dignitate, armorum, equorumque tractatione, periculorum contemptu, animi magnitudine cuique Abiponum par, plerisque ſuperior nomen illuſtravit ſuum, etſi trigeſimum ætatis annum vix exceſſerit. Propenſæ in me voluntatis ſtudio morigerum ſe mihi præbuiſſet ſemper, niſi nimio ſuis placendi, gratificandique deſiderio in vitia, quæ quidem illi pro virtutibus habent, abripi ſe pateretur, nemini ſeu imperare quidquam, ſeu interdicere unquam auſus, quod Caziquii dignitatem non jure ſan-

gui-

guinis, ſed populi benevolentia veluti precario ſibi collatam meminiſſet. Illam alterius de altero ſententiam Oahári tumulo jure inſcripſeris: *ubi bonus, nemo illo melior; ubi malus, nemo pejor fuit.* In hoc primi nominis Caziquiis Debayakaikin, Alaykin, & Ychamenraikin, qui etſi annos plures coloniarum noſtrarum habitatores, baptismo nondum recepto in acie occubuerunt, felicior erat, quod in ipſo mortis confinio ſalutaribus ſe undis luſtrandum obtulerit.

Joſephus Brigniel Abiponum rebus dudum aſſvetus incolarum feritatem, hoſtium perpetuas ſeu incurſiones, ſeu comminationes, loci ipſius miſerias vix ſibi tolerabiles putavit, & vero non multos poſt menſes gravi morbo correptus eſt, pertinacique. Scripſerat amicis pluribus, ſe haud intelligere, qua demum ratione ego in tam calamitoſa, turbulenta, & periculorum pleniſſima ſtatione biennium perduraverim. Primis, quas ad Gubernatorem Fulgentium dederat, literis, quas ipſus vidi, fatebatur: Coloniæ hujus conſervationem meæ patientiæ, vigilantiæ, & ſtrenuitati, primo poſt Deum loco, tribuendam eſſe. Ingenuam hanc mei commendationem æterno ſilentio involviſſem, ni illam ad refellendas homunculorum quorumdam obtrectationes multum habere ponderis exiſtimarem, qui cum ipſi nil unquam præclare; fortiterque geſſerint, aliorum præclara facta ſeu invidia, ſeu odio abrepti maledico dente rodere audent clanculum, teſtibus nempe, a quibus mendacii poſſent argui, longe abſentibus. Sed nec operæ pretium fuerit in ejusmodi fucos verba prodigere. Perperam conficta contemptu melius refelluntur. Volupe mihi eſt etiamnum meminiſſe literarum, quibus Petrus Andreu Paraquariæ tum Provincialis, inter indos Lules annis pluribus verſatus quondam, ſucceſſo-

 rem

rem meum ſignificabat, mihique, quam petii, ad Quaranica oppida redeundi copiam fecit. Memoratis magno verborum pondere calamitatibus, quas in hac Roſarii colonia pertuli, mortem mihi ſvaviſſimam, eximia cœli præmia præſagit, gratias mihi agit ampliſſimas pro navata his Barbaris opera. Nam coloniam ſpectavit ipſe, & ejus miſerias obſtupuit. Ex Aſſumptionis enim metropoli ad correntinam urbem per Paraquayum flumen navigans vicinum ejus litoribus oppidulum noſtrum, Gubernatore comite, inviſerat. Equeſtri Abiponum haſtatorum turma ſtipatus utrumque hoſpitem ex litore, unius prope Leucæ ſpatio, honorifice ad noſtram domum perduxi. Cœna carne bubula aſſa, eaque, ut ſemper, miſerrima definiebatur, & aqua vicino e ſtagno turbidiſſima. De pane, de vino, quod pro miſſa vix ſuppetebat, in menſa ne quidem cogitatum. Noctem meis in ædibus egit Provincialis, ſed minime tranquillam. Aerem enim culices, pulices ſolum omne tegunt, ac ſomno obſtant. Angues horrifici non raro in cubiculum irrepunt. Bufonum greges, quo quo te vertas, hac illac oberrant. Glires prægrandes familiariter paſſim ſe ſe inſinuant, & dormientium jam digitos, jam auriculas mordent. Veſpertiliones noſtratibus majores ex humanis corporibus ſanguinem noctu exſugunt. Canum, quos innumeros Abiponum gens alere ſolet, latratus rariſſime interquieſcit. Pauciſſimæ abeunt noctes, quibus & mulierum, cognatorum manes lamentantium, ejulatus, cucurbita voci conſonante, & virorum militares buccinas inflantium ſtridor infernalem muſicam non edant. Tot inter ſomni impedimenta ne ipſus quidem Morpheus indormiat; Endymion ſomniculoſiſſimus evigilet confeſtim. Noverat adhæc Provincialis, crebras eſſe hoc loco Barbarorum, incurſiones, qui animo, fiducia-

que dormientes jugulandi repente advolant; Vicinos maxime Quaycurús, qui noctes potissimum patrandis cædibus impendunt, reformidandos esse. Pridie noctem integram & Hispani milites, & Abipones in armis mecum steterunt, Mocobiorum appropinquatione observata, qui quidem in nos, quippe paratos, armatosque, nihil sunt ausi. Tot rebus turbatus, impeditusque Provincialis nullam cepit quietis partem, solemque, quod lentior rediret, accusavit; Enimvero nox illa æternitas illi videbatur. Tantas inter victus, habitationisque miserias, in tanta insectorum colluvie, in quotidianis prope turbis qui respirare possem, vel conquiescere, nunquam intellexit, sortem meam miseratus magnopere. At enim diuturna assuetudine obduruisse me jam ad ista, & percalluisse patientia, respondi. Sic columbæ, quamvis ingenio suo pavidissimæ, postquam in turribus habitare consveverint, nullo æris campani clangore terrentur.

Sacrificio divino sub auroram defunctus ad navim redire protinus, constituit. Verum Gubernatore intempestivum reditum dissuadente, quod procellosissimus Auster navigationem impediret, paulo post meridiem, cœlo jam aliquantulum placidiore eques me comitante discessit, de nocte feliciter hic transacta lætus, de navigatione naufragiis obnoxia parum sollicitus. Per viam familiariter colloquens solatio incredibili sibi fuisse ajebat, quod me Abiponibus sine hæsitatione loquentem, prompte respondentem audiverit; Barbarorum linguas a Germanis felicius, quam ab aliis perdisci, fatebatur præterea. Globulorum vitreorum fasces aliquot, quos suo nomine Abiponibus dono darem, reliquit. Hunc Provincialis advenrum, etsi disgressio longior videatur, histo-

ria

riæ inſerendum variis de cauſis putavi. Jam de meo ex hac Colonia diſceſſu. Qui poſt anni unius ſpatium factus, reliqua proſequamur.

Scapha, qua Brigniel meus ſucceſſor venerat, carioſa undique, & lacera adverſo flumine Paraquayo ad urbem Aſſumptionis navigavi cum aliquot militum comitatu. Septuaginta leucarum iter octiduo confecimus, velis, remiſque uſi. Pridie, quam portum tenuimus, die ſancto Carolo Borromæo ſacra poſt diuturnam malaciam, fædiſſima tempeſtate ad ripam præaltam noctu allidebamur. Tabularum, quas navi innixas non ſine artificio terræ impegerant, ope ad litoris prærupti culmen evaſimus. In campo conſidentes imbrem ingentibus procellis horrenda inter tonitrua fuſum horas aliquot toleravimus; quamvis penitiſſime madefacti felices nobis videbamur, quod nec fluctibus hauſti ſimus, neque cœleſti igne exanimati conciderimus. Militibus dilapſis, nautis ad ſcapham tuendam remanentibus, per campos torrentibus paſſim turgentes ſolus ego (niſi imbrem, ventum, tonitrua comites meos dixerim) pedesque paulo ante meridiem ad metropolim perveni. In collegio noſtro ſociorum in amplexus meos certatim ruentium charitas navigationis faſtidia, noctisque ſuperioris triſtem memoriam abſterſit. Gubernatorem adii, & quæ ad Coloniam, ad incolumitatem Patrum illi invigilantium ſervandam, ad Barbarorum incurſiones coercendas ſeu præſtare, ſeu cavere ipſum oporteat, amice commonui. Optimis conſiliis acquievit vir bonus. Spopondit plurima, nil prope præſtitit. Eodem, quo prius, loco res coloniæ fuiſſe, quin poſt meum diſceſſum omnia in deterius ruiſſe indies, ex literis Patris Brigniel querimoniarum pleniſſimis iterum, iterumque intellexi. Dolui ſæpe, ſæpius ſubriſi.

In-

Inſtauratis non nihil viribus ad Quaranica, ubi conſaneſcerem, oppida iter proſequi, viſum eſt. Collegii Rector Antonius Miranda, virantiqui moris, meus olim Cordubæ Tucumanorum in theologia magiſter, a fuco, adulationeque alieniſſimus mihi equum jamjam aſcenſuro dixerat: In tua, ex qua veniſti, ſtatione plura tibi profecto per biennium toleranda fuerunt, quam alii aliis in coloniis per annos plurimos toleraverint. Nemo fuit circumſtantium ſociorum, qui a Rectore diſſentiret. Cum dulce ſit, meminiſſe laborum, hoc ſolatium, ut bellaria ſub finem menſæ inferuntur, viatici loco abeunti mihi a Valedicentibus eſt impertitum. Cæptum ad Quaranios iter interrumpere tantiſper, & in collegii prædio, quod Paraquary dicitur, vigintique leucas ab Aſſumptionis urbe abeſt, Parochi noſtri, negotiorum cauſa abſentis, vices agere ab eodem Rectore jubebar. Hic locus in amœnam planitiem, ubi pecorum vis ingens paſcitur, hinc excurrit, inde, qua ſolis ortum ſpectat, collibus, rupibuſque ambitur, in harum una crux è tribus ſaxis grandioribus coagmentatata viſitur, Divi Thomæ Apoſtoli memoria indigenis ſemper venerabilis. Credunt equidem, mordicuſque affirmant, huic rupi inſiſtentem Apoſtolum, veluti ex cathedra, ad circumſtantes Indos verba olim feciſſe. In Tucumbu loco Aſſumptionis urbi propinquo ſpecum ab eodem Apoſtolo habitatum, pedum, baculique veſtigia lapidi impreſſa venerabundi advenis commonſtrant. Alibi ſemitam, herbulis quibusdam Peregrinis diſtinctam exhibent, per quam ſanctum Apoſtolum ex Quayra, Hiſpanicæ olim, nunc luſitanæ ditionis provincia, in Braſiliam tranſiiſſe, contendunt. Caziquius Maracanà Patribus Joſepho Cataldino, & Simoni Mazzeta Italis, primisque e ſocietate noſtra Quaraniorum Apoſtolis, eorumque colo-

niarum

niarum conditoribus circa annum 1612. retulit, virum coloris candidi, barba insignem, cruce instructum quondam majoribus suis legem novam prædicasse. Illum Thomé, Zumé, ab aliis Chumé, ab omnibus Abaré fuisse appellatum. Quo nomine, quod hominem ab aliis diversum, semper nempe cælibem, significat, jam Quaranii quemvis sacerdotem vocant. A sancto hoc homine, præter alia arboris Mandioca (ex cujus radicibus farinam, panemque conficiunt) seu usum, seu illius plantandæ modum sibi fuisse detectum. Pater Antonius Ruiz de Montoya Hispanus Patrum Cataldiho, & Mazzeta apud Quaranios Collega, rebusque gestis perinde, ac virtutibus clarissimus in suo, quem *la conquista espiritual del Paraqnay* inscripsit, libro argumenta adfert nec pauca, neque futilia, quibus Divum Thomam Apostolum non in Indiis modo Orientalibus, sed & in Americæ quibusdam provinciis Christi legem prædicasse, contendit. His, aliisque de hoc argumento monumentis confisi Belgæ nostri in libro, cui titulus: *Imago primi sæculi societatis Jesu* folio 63. ausi sunt dicere: *In remotissimis illis Paraquariæ provinciis tantam ubique inter Barbaros memoriam, vestigiaque sancti Thomæ Apostoli invenere socii, ut dubitari non possit, Apostolum istic olim fuisse.* Verum enim vero nimia fiducia, nullum porro dubitationi locum superesse, boni viri affirmant, historicis criticisque Europæis uno ore id negantibus etiamnum.

Hanc tamen de adventu S. Thomæ in Americam opinionem, a majoribus ad posteros derivatam, & quodamodo per manus traditam indigenæ Indi, Hispani, Lusitanique adeo certam, indubitatamque semper habuere, ut, qui contrarium palam affirmaverit, rudis, impiusque illis videatur. Vel meo id

ex-

perimento comperi. Dum Quaranios Barbaros (quod in libro prodromo annotavi) in ſylvis Mbae vera, vel, ut ipſi dicunt, Mborebiretà ſepultos, omni cum Hiſpanis commercio liberos poſt repetita itinera detexi, illorum princeps Caziquius Roy me, meoſque comites Quaranios torvis ſpectabat oculis; Quoscunque enim advenas libertati ſuæ inſidari putant, ac pro hoſtibus habent. Tali ſuſpicione efferatus Barbarus mihi vixdum conſpecto: Nobis ſacerdote, ajebat, neutiquam opus eſt. Sanctus Thomas equidem (Thomé marângatu) hanc dudum peragravit regionem, illique bene precatus fuit adeo, ut, quidquid frugum nobis optabilium uſquam eſt, patrio hoc in ſolo uberrime naſcatur. Enimvero credunt ſtupidi, ſacerdotis præſentiam ad terræ fertilitatem duntaxat procurandam conferre Obſtupui ſane, Divi Thomæ nomen a ſylveſtri homine rite pronuntiatum audiens. Unde Apoſtoli iſtius cognitio, niſi ex majorum documentis, hauſta?

Neque exiſtimes, ſolos Indos, & ab iis edoctos Jeſuitas Divum Thomam Americæ hoſpitem, doctoremque affirmaſſe. Illuſtres hiſtorici tum Hiſpani, tum Luſitani eam propugnant ſententiam, argumentiſque non ſpernendis reddunt veriſimilem. E multis paucos recito: Antonius de la calancha hiſtoriæ Peruvianæ libro 2. Capite 2. Joannes Torquemada in Monarchia Indica parte tertia. Libro 15. Capite. 49. Illuſtriſſimus Epiſcopus Piedrahita in hiſtoria de novo Regno. Bartholomæus de las Caſas epiſcopus de Chiapa in hiſtor. Mexicana. Pater Alphonſus de Ovalle in hiſtoria regni Chilenſis libro 8. Capite 1. §. ultimo. Ex Garzilaſſo de la Vega, qui è matre Yncarum Peruvianorum regia nepote, Patre Hiſpano nobili ortus, in Peruvio natus, Peruvianam ac-

curate



curate scripsit historiam, constat, crucem insignem a peruvianis illis Regibus in urbe Cuzco cum eximia veneratione conservatam fuisse, in sacro palatii Regii loco, quem Huaca appellarunt. Ex admirabili crucis istius cultu religionem Jesu Christi a Thoma Apostolo Peruvianis, Chilensibus, aliisque finitimis provinciis fuisse illatam arguunt nonnulli Historicorum, sed ridentur a plerisque. Maximi apud me ponderis est hac in re Nostri Patris Antonii Vieira lusitani, Regii Olyssipone concionatoris, Brasiliæ quoque Apostoli. Qui ejus opera voluminibus quatuordecim lingua Lusitanica Olyssipone typis excusa (Mihi in manibus sunt, & in deliciis) pervolverit, illum acerrimi ingenii, judicii exquisiti, in theologia, in sacra, & profana historia, in Brasiliæ potissimum rebus versatissimum fuisse, fateatur, oportet Gallia, Anglia, Hollandia, Italia, Hispania Joannis quarti Lusitaniæ Regis jussu peragratis, bibliothecarum monumentis diligenter excussis, doctissimis academiarum magistris consultis incredibilem rerum peritiam; doctrinæque famam sibi comparavit adeo, ut Romæ; ubi annos plures lingua Italica ad populum dixit, admirationi esset omnibus, passimque oratorum princeps, ut erat Ulyssipone Principum orator, audiret, maximi momenti negotiis, quæ Lusitani Reges ei crediderant, seu pertractandis, seu extricandis par habitus. Posthabitis aulæ splendoribus iterum, iterumque ad Brasiliæ miserias rediit, ubi multis Barbarorum millibus ad Christi signa, Regisque Lusitani obedientiam traductis, in Oceano sæpius naufragus, de re Christiana, de Monarchia Lusitana optime meritus; ac vel ideo propemodum intolerabilia passus nonagesimum agens annum in Bahia, Brasiliæ metropoli vivere desiit anno 1698. 18. Julii, quinque supra septuaginta annorum Jesuita. Vir omni exparte, omnium

opinio-

opinione vere magnus fupervacaneum femper duxit, Thomæ Apoftoli in Brafiliam adventum argumentis probare, quippe quem Lufitanis æque, ac Indis indigenis indubitatum omnino novit, luceque meridiana clariorem; Illius tamen veftigia lapidi impreffa primos, qui Brafiliam detexerant, lufitanos inveniffe olim, huncque lapidem in litore urbis Bahia, cui omnium fanctorum nomen adjectum, etiamnum fpectari, palam retulit in concione, quam in fefto Pentecoftes in urbe fancti Ludovici provinciæ Maragnonis dixerat. Impreffa exftat in ejus operum parte tertia, mihi folio 392., eftque fermo duodecimus. Ex illo adferam, quæ ad præfens argumentum faciunt, paucula. Chriftus jam jam in Cœlum abiturus, difcipulosque fuos ad orbem docendum miffurus (ait ex 16. Capite. Verfu 14., & 15. Marci) *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum refurrexiffe, non crediderunt; Et dixit illis: Euntes in mundum univerfum prædicate Evangelium omni creaturæ.* In provinciarum divifione Petro obtigit Roma, & Italia. Joanni minor Afia. Jacobo Hifpania. Aliis aliæ provinciæ. Thomæ denique hæc pars Americæ, quam vulgo Brafiliam appellant, ubi degimus. Quæro jam, cur Thomæ, cur non alteri Brafilia commiffa? Audi rationem. Obfervarunt authores quidam recentiores, Chriftum Evangelii prædicationem demandaffe Apoftolis, poftquam eorum in credendo lentitudinem reprehendiffet, ut illam tergiverfationem laboribus, quos Evangelium prædicaturi toleraverint, etiam expiarent. Cum igitur Thomas præ aliis Apoftolis plus deliquerit pertinaciter dubitando, ad luendam duritiam gens Brafiliæ magis barbara, magisque dura illi eft commiffa. Eventus id docuit; Nam Lufitani, dum Brafiliam detexerant, invenerunt veftigia Thomæ lapidi impref-

ſa; Sed religionis, quam illis olim prædicaverat, ne veſtigium, ne umbram quidem. Lapis retinuit prædicatoris veſtigia, nullum reſtabat in Barbaris prædicationis auditæ ſignum. Idem Apoſtolus Chriſtum prædicavit Indis ad ſolis ortum in Aſia habitantibus. Ad hos venerant Luſitani poſt mille, & quingentos annos, ibique invenerunt non ſolum ſepulchrum, ſacraſque exuvias ſancti Apoſtoli, & quibus necatus eſt, mortis inſtrumenta, ſed & illius nomen in incolarum memoria, religionemque, quam eos docuit, Jeſu Chriſti adeo, ut omnes ſe ſancti Thomæ Chriſtianos dicerent, qui late patentia Litora Coromandelis inſident, ubi in urbe Meliapore idem Apoſtolus tumulum nactus eſt. Unde author quantum Indi orientales a Braſilis Americanis differant, eruit, iſtorumque deſultorium ingenium, fluxam fidem, inconſtantiamque vivis, veriſque coloribus expingit. Illos, etiam poſtquam crediderunt, incredulos eſſe, ait; Faciles ad credendum, ſed eadem facilitate obliviſci omnium, quæ credidere, ni illis uſque præſto ſit, a quo in religione conſerventur. Id opportunis e ſacro codice documentis egregie illuſtrat more ſuo, confirmatque. E quibus omnibus palam fit, doctiſſimum Vieira de Divi Thomæ in Braſiliam adventu nihil admodum dubitaſſe.

Nunquam mihi in mentem venit, in verba jurare authorum, qui eam ſententiam tuentur conjecturis magis quam rationibus. Verum neque auſim illam, ceu futilem, ac omni veriſimilitudine nudam præfracte aſpernari quorumdam more, qui factum negant, quod trabalibus ſcriptum literis nuſquam invenerint. Americani Auſtrales, quibus nullus literarum, librorumque fuit uſus, divi Thomæ adventum viva voce poſteris ſignificare, non characteribus exprimere potue-

runt.

runt. Peruviani cultiores varii coloris funiculos nodis variis distinctos pro literis adhibuere (Kipos vocarunt) hisque, ut nos epistolis, alter alteri suam aperuit mentem. In opulentissimo, si quod aliud, solis templo Regiæ urbis Cuzco, quod Hispani victores populati sunt, ejusmodi funiculorum fasces innumeri reperti fuere, quibus, ut apud nos in tabulario provinciæ annales servantur, rerum, Regumque Peruvianorum historia continebatur. Populabundo militi, & asportandis templi thesauris occupato, nec cura, neque otium fuit nodosos illos, sed mysteriorum plenos, funiculos custodire, e quibus per indigenas Peruvianos nodorum interpretes antiquitatis monimenta colligi potuissent, quidsi & lux aliqua: Num Americam divus Thomas adierit? elici. Verum hanc a Thoma adiri nequidem potuisse clamant critici, cum non nisi anno 1492. a Christophoro Colon fuerit detecta. Latuisse Americam, nemo negat, de illa tamen antiquorum fuisse suspicionem, ex Romanis, Græcisque authoribus liquet. Quid, quod doctissimus Episcopus Huetius, Abrahamus Milius cum pluribus opinantur, Ophir, unde Salomon repetitis navigationibus, ut libro 3 Regum capite 9 refertur, incredibilem auri vim obtinuit, Peruvium fuisse, auri, argentique fodinis ditissimum, idque rationibus non spernendis probare nituntur. Quid si igitur apud Hebræos, Salomonis nautarum posteros regionis illius scientiam aliquam remansisse diceremus, viæque, qua Thomas in Americam navigaret, cognitionem? Sed concedamus ultro, Apostolum nullis humanis artibus eo pertigisse, mille modis eum potuisse a Deo transferri is solum negaverit, qui eius potentiam, pietatemque nullis circumscribi limitibus ignoret. Neque absurdum est in religionis negotio miracula suspicari. Jesu Christi religio equidem miraculis fundata,

propagata, & in hanc usque diem conservata fuit. Israelis posteri, e sævissima Pharaonis servitute exempti ut Palæstinam ingrederentur, siccis pedibus mare rubrum transmisere. Habacuc propheta, Danieli in lacu leonum esurienti prandium ut adferret, ab Angelo capillis arreptis ex Judæa Babylonem fuit translatus, indeque eodem modo Judææ restitutus. Jonæ ad pœnitentiam ut hortaretur Ninivitas, misso, navique ejecto immanis ceti venter pro navi fuit. Si in patrandis miraculis adeo liberalem, & prope dixerim, prodigum se exhibuit Deus, unius ut populi, quin hominis unius saluti ut consuleretur, haud incredibile fuerit, Thomam Apostolum divina virtute, modo quodam naturæ vires transcendente, nobisque incognito Americam attigisse, ut innumerabiles, qui eam habitant, Barbarorum populi avitis superstitionibus rejectis ad supremi Numinis obsequium, christique signa traducerentur. Talia, quæ clementiam æque, ac potentiam divinam magnopere commendant, cogitari pie, haud item pro certis affirmari prudenter possunt. Quemadmodum enim a ratione alienum, ea, quæ fieri poterant, facta dicere, sic imprudentiæ, impudentiæque genus est ea duntaxat facta credere, quæ vel oculis subjecta fidelibus, vel publicis commentariis consignata intelleximus aliquando. Plurima profecto, quæ Deus patravit, mira nos latent etiamnum; semperque latebunt. Hinc & Joannes, miraculorum Jesu Christi fidelis historicus, Evangelium suum, ejusque ultimum caput primum, & vicesimum his sapienter clausit verbis: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus: Quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Quid sentiant, qui Americanos Thomæ Apostoli discipulos fuisse contendunt, attuli, quin vel eorum sententiæ subscribam, vel repugnem. Utcunque res se habeat

mihi

mihi iſtic nec ſeritur, nec metitur. Ecquis demum hanc dirimet controverſiam judex? ubi præter rudes, credulosque, atque nimium eheu fallere, ac falli aſſuetos Indos idonei deſunt teſtes, nullaque, e quibus erui veritas poſſet, authorum ſynchronorum ſuppetunt inſtrumenta.

Condonabis mihi, optime lector, tantam a propoſito meo digreſſionem; De hoc argumento diſſerendi occaſionem nil tale cogitanti mihi obtruſerat locus Paraquarÿ Thomæ Apoſtoli veſtigiis, veneratione-que clarus, ubi Parochi vicibus defunctus, quod reliquum mihi erat, viæ, confeci eques cum æthiopum aliquot comitatu; litora enim Tebiquarÿ, quem cimba tranſmiſimus, Barbarorum incurſionibus fere obnoxia, iter agentibus periculoſiſſima putantur. Pridie feriarum natalium ſervatoris noſtri Quaraniorum oppida attigi, mihi dudum optata. Ducentas facile leucas aqua, terraque emenſus licet, primis mox ab adventu meo diebus & in templorum pulpitis, & in ſacris tribunalibus operam navavi ſedulo. Tum locorum illorum tranquillitate, victuque opportuno, tum medicamentis a Norberto Ziulak pharmacopœo, medicoque iſtic celebri mihi porrectis uſus paucas poſt hebdomades tantum convalui, ut novo centum quadraginta leucarum itineri par viſus, ad oppidum ſancti Joachimi, ejus magiſtratu flagitante, oppidorum præſide Indorum precibus ſubſcribente verni jejunii tempore redirem. Apud hos Ytatînguas Neophytos, ejus oppidi incolas, ſexennium antea, mox biennium non ſine animi voluptate conſumpſi. Enimvero labores iſtic permulti, ſed ſvaviores, quippe fructuum cœleſtium pleniſſimi. Utinam perennes fuiſſent! At enim ex hoc oppido poſt biennium evocatus, Regio-que decreto cum cæteris ſociis in Europam ſum reduc-

 ctus.

ctus. Exilium Paſtorum ovicularum exitium fuit, Abipones equidem relictis oppidis ad ſecandos denuo Hiſpanorum cervices redierunt. Ex ſancti Joachimi oppido dilapſos quoque Indos omnes (bis mille ſeptemdecim Christianos reliqueram abiens) vicinum pariter ſancti Stanislai oppidum incolis, quorum bis mille Trecenti numerabantur, Neophyti omnes, penitus deſtitutum, mihi Viennæ Auſtriæ nuntiavit quispiam, qui anno uno tardius ex Paraquaria in Europam navigavit. In Jeſuitarum locum ſuffecti ſunt equidem tum presbyteri ſeculares, tum monachi, verum tales fere omnes, quibus vel Indi diſplicebant, vel qui diſplicebant Indis, qui ſcilicet non ſua ſponte, uti nos antea, ſed mandato Regio, & ni parerent, comminationibus epiſcorum compulſi oppidorum curam ſuſceperunt. Lacrymantes, me ſpectante, advenerant aliqui. Aliqui vitæ, quam pauperes inter, vel ſibi timendos Indos tantiſper egerant, tædio morbum ſeu contraxerunt, ſeu ſimularunt, domum mox redire ut poſſent. Quanta de hoc argumento ſcribenda mihi ſuppeterent! Verum prudentis eſt talia ſilentio præterire. Tempus deteget omnia, quæ etſi certiſſima, libris inſeri tuto haud poſſunt.

CA-

CAPUT XLV.

Quam arduum ſit Abipones ad colonias, religionemque Chriſti traducere.

Abiponum ſuperſtitioſos ritus, nativa vitia, ingenium ferox, rapacitatem, bella tum domeſtica, tum externa ſtylo candido magis, quam fucato poſtquam expoſui, artis majoris, longioris temporis negotium eſſe, hos Barbaros in Chriſtianos, quam ſtipitem in Mercurium transformare, tute conjicies, neque miraberis porro, tantis noſtrorum hominum conatibus tantillos fructus reſpondiſſe, qui quidem, ſi operis difficultatem perpenderis, neutiquam aſpernandi. Omnis ſane rerum mutatio difficilis, ſed peſſimi in optimum ardua magis, tardior, rariorque ſemper fuit. Lignum lapideſcere vidimus non raro; lapidem in lignum abire, niſi vehementer fallor, nunquam. Qui in vitiis obduruerant diu, ad virtutem ægerrime, lentiſſimeque traducuntur; A pietate ad impietatem velocior fere eſt tranſitus, quippe facilior. Cauſas, cur ad humanitatem, ad Chriſtianam diſciplinam difficillime erudiantur Barbari equites, tibi meditandas enucleatius proponam.

Abipones certis ſedibus affixi nunquam, ſemper vagi, ſemper peregrini, ubique, & nuſquam domi eſſe a pueris conſveverunt. Quo prædæ ſpes, venationis neceſſitas, hoſtis incumbentis periculum eos vocabat, eo pernicibus equis ferebantur, nullius, qui ſeu vetare abitum, ſeu acceleratum reditum impera-

re queat, arbitriis obnoxii. Quam enim Caziquiis præſtare ſolent, obedientia ſpontanea prorſus eſt, & gratuita. Ecquid intolerabile illis videatur intra Coloniæ unius anguſtias coarctari, ab alieno pendere arbitratu, ac cochleæ inſtar ædibus adſtringi ſuis. Ad campos, ſylvaſque viciniores etſi excurrere, quoties libuerit, cuique liceat, eas, quia a tot aliis contubernalibus toties frequentantur, exhauſtas jam iis frugibus, feriſque vacuas deprehendunt, quarum uſui dudum ita inſveverant, ut, ſi illis deſtituantur, melioribus licet abundent eſcis, eſurire ſe dicant, miſerosque ſe miſere lamententur. Sui quamdiu erant juris, avium ultro, citroque volantium more, ſine ullo agriculturæ ſtudio illis liberalis natura, quidquid ad victum pertineat, ſponte, prolixeque obtulerat. Uſu, experientiaque docti norunt ſinguli, quo loco, quibus temporibus apros, cervos, damas, cuniculorum varia genera, ſtruthiones, ſtruthionum ova, urſos formicarios, porcos, corvosque aquatiles, lutras, radices eſcas, palmarum, aliarumque arborum fructus maturos quærere oporteat, liceatque invenire. Cumque non omnis, non quovis tempore ferat omnia tellus, hac, atque illac commigrarunt, mutatis identidem ſtativis. Ipſa hæc ſoli mutatio, venandique varietas, neſcio, quid voluptatis habere illis videbatur. In noſtra quoque Europa viri Principes, ut vel ruſticatione, vel venatione ſe oblectent, ex alio in aliud palatium migrare ruri ſolent.

In colonia quavis ſtatis temporibus, interdum quotidie, caro bubula præbebatur ſingulis equidem, ſed ſæpe, pro ratione paſcuorum, minime pinguis, ſæpe, pro illorum voracitate, modica, aliquando, quod rarius, nulla; Unde enim carnem ſuis bubulam depromat Miſſionarius, ſi bobus careat, ſi Hi-

ſpani,

ſpani, quam ſolliciti fuerant de coloniis Barbarorum condendis, tam parci, tardique in dotandis coloniarum prædiis extitere interdum. Abipones, Mocobioſque, ne obvius quisque Hiſpanorum per eos jugularetur, ceu feras coerceri a nobis, cuſtodirique in oppidis percupiunt utique; Sed ne iidem fame intercant, nihil admodum anguntur. Rem mihi compertiſſimam ſcribo. In ſancti Hieronymi, ſanctique Ferdinandi oppidis aliquando ad incitas adeo redacta ſunt prædia, ut, cum ne nobis quidem, quod roderemus, ſuppeteret, Abiponibus victus venatu quærendi gratia ad remotiores campos fuerit excurrendum ſuis cum familiis. Poſt bimeſtrem, trimeſtremve eorum abſentiam, agri, quos noſtris victi precibus araverant, vel luxuriantibus loliis obſiti, vel a beſtiis depaſti ſylveſcebant denique. Meſſis ſperatæ jactura novam vel eſuriendi, vel evagandi neceſſitatem induxit eorum quoque animis pernicioſam. Namque repetitis, ac in plures ſæpe hebdomades productis extra coloniam vagationibus barbaries priſtina in iis revixit, morum diſciplina, rudimentorum, quæ laborioſe combiberant, religionis ſcientia paulatim obliterata eſt, & antiqua, quaquaverſus excurrendi libertas jamjam cicuratas eorum mentes efferavit, quod equis quoque dudum ſeſſorem patientibus in Paraquaria uſuvenit, qui, poſtquam ſylveſtribus aſſociati per campos libere errarunt aliquamdiu, & frenis, & ephippiis ferociſſime repugnant e fuga retracti. Boum certe, oviumque penuria rei Chriſtianæ in his coloniis progreſſum cumprimis remorabatur; Illorum carnes præcipuum ſunt in Paraquaria alimentum; Harum lana, goſſipio deficiente, veſtium, quibus tantopere inhiant Abipones, parandarum optatiſſimum eſt inſtrumentum. Si, Apoſtolo Paulo teſte, apud alias gentes fides per auditum ſeſe inſinuat, Paraquarienſibus Bar-

baris, quod jam in proverbium abiit, per buccam duntaxat ingeri poteſt. Hinc maxima nobis, armenta ne unquam deeſſent, ſollicitudo; Maximus dolor, dum raro iſta vel adeſſe, vel rite conſervari poſſe, experti ſumus.

Pecorum, pecudumque paucitatem ſæpe Hiſpanorum tenacitas, alias & Abiponum edacitas invexit; Hi equidem, voraciſſimi cum ſint, carne, quæ ſingulis obtigit, neutiquam contenti boves, frequentius vaccas teneras, ac vitulos clanculum nobis inſciis, invitisque ſibi jugularunt, maximo prædii detrimento. Si deprehenſos corripias, dicasque, clandeſtinis vaccarum cædibus prædium exhauriendum: Nil tibi id curæ ſit, Pater, reponunt. Hiſpanorum erit, boves alios mittere; Iſtud, dum illorum rogatu, ac commodo hac in colonia coivimus, nobis ſunt polliciti. Stare promiſſis ſi deſinant, nos quoque data illis fide exſoluti ad eos more noſtro jugulandos redibimus. Hæc Barbari. Vaccis ad procreandam ſobolem provide reſervatis, tauros ſuperfluos, vel juvencos caſtratos ad lanienam duci imperavimus; At vero Indos, de futuro nunquam anxios, vaccis juvenculis, quippe pinguioribus, veſcendi lubido inceſſit: Si quando tauri pariant, reſpondi, tum denique vaccas cædendas. Ægre tulerunt repulſam, ac coloniæ terga verſuros ſe ſe, minabantur. Si quis noſtrum vel minas Barbarorum veritus, vel benevolentiam captans eorum arbitrio permittat armentum, prædium ſine bobus repente videbit; Si pertinax repugnet, oppidum ſine incolis. Si nova boum ſupplementa petat a Gubernatore, prodigum dicet miſſionarium, ejus liberalitatem in Indos damnabit; Si Indos, paupertatem, famemque pertæſos e colonia diffugiſſe intelligat, Patrem ejus curatorem tenacitatis nimiæ accuſabit, ejus

duritiæ

duritiæ Indorum fugam non ſine convitiis palam aſſignabit. Quidquid egerit Miſſionarius, in criminationem incurret. Charybdim etſi evaſerit, ſcyllam vix declinabit.

Neque ſatis eſt Abiponum ſtomachos carnibus bubulis exſaturaſſe quotidie. Quæcumque alia, quæ in mentem venerint, etſi forte nec in Amſtelodamenſium inſtitorum proſtent tabernis, a nobis poſcere identidem non rogantium, ſed imperantium more ſolebant. Diu, noctuque turmatim noſtra triverunt limina, hiſque vocibus aures fatigarunt noſtras: *Pay*! *tachkauè bihilalk*, *tachkauè noarà*, *lataran*, *atégehe*, *ekelraye*, *kööpè*, *achibiraik*, *npeetèk* &c. Pater! da mihi veſtem, da petaſum, cultrum, annulum, globulos vitreos, ſecurim, ſal, tabaccam, & quid non? Fuit, qui concubia nocte ad me dormientem venerat, tabacæ pulveres petiturus. Surrexi, & quod petiit, porrexi. Eorum petitioni ſi fiat ſatis, reſpondent: *Kliri* hoc erat. Si politiores ſint: *Kemen naachìk*, vel *kimili naachik* quam utile mihi hoc erit! reponunt. Verbo enim, quod gratiarum actionem exprimat, & Abipones, & Quaranii, quid ſi & alii Americani? Carent. Hinc Quaranii, Abiponum more, gratias acturi ajunt: *Aguiyebete ânga* utiliſſimum mihi id erit. Si, quod rogaris, te non habere, licet veriſſime, placidiſſimeque, reſpondeas, e veſtigio audies ruſticum illud: Quam ſordidus! quam mendax es! *Kèmen Oahârgek*! *Kemen apalaik akami!* Sed & duriora audivi aliquando. Abiponum ſeniorum quiſpiam, vir cætera non malus, imperioſa voce cultrum a me efflagitaverat. Cui: Me nunc non habere, ſed daturum, quamprimum cultros propediem exſpectatos ex urbe acceperim, amice, ſvaviterque reſpondi; At ille ſubridens mihi: Enimvero, ſi hac armatus lancea (obviam haſtam



haſtam manu complexus eſt) eques tibi in campo occurrerem, vix mihi dicere auderes: Cultrum non habeo. Kebachichi maximi apud ſuos nominis ductor in Conceptionis oppido forte hoſpes aderat. In noſtra conſidens domo a meo ſocio Patre Joſepho Sanchez petaſum minitabundus petiit; Cum is ſe non habere petaſum diceret, ſcintillantibus rabie oculis Barbarus repoſuit: Tune petaſum negare mihi audes? Hem! neſcire videris me ſacerdotum eſſe mactatorem! Paucos enim ante menſes hoc duce ab Abiponibus jugulatus eſt cum viginti aliquot Hiſpanis Pater Jacobus Herrera ad Quaranios iter faciens corduba Tucumanorum. Noveris porro, Joſephum Sanchez Kebachichi precibus ſubſcribere haud potuiſſe, cum ipſe petaſo id temporis caruerit, pileolo e ſtramine texto contentus. Neque eſt, cur quotidianas, intempeſtivaſque Abiponum petitiones magnopere admireris; Pauperies nempe illos importunos, arrogantia ad quidquid poſtulandum audaces reddit. Tanta unde arrogantia naſcatur, jam accipe.

Norunt ſe timeri ab Hiſpano. Cladium, quas intulerant, terroris, quem per omnem provinciam tot annos ſparſerant, victoriarum, quas paſſim reportarant, uſque recordantur. Quod data pace, armis tantiſper poſitis in Colonia miſera conſideant, conquieſcantque, id beneficium gratuitum, Gubernatorum precibus, ac promiſſis extortum jactant, Hiſpanis, ſibi non item emolumento eſſe, contendunt. Repulſam paſſi, quoties rem, quæ noſtra in penu non erat, petiere, non ſine gemitu conquerebantur: opulentiores, felicioresque ſe fuiſſe, quamdiu Hiſpanorum inimici fuerant, quam nunc ſint eorundem amici. Quantum eheu deſipuere optimates, ſenesque noſtri! Ajebant queruli, prædarumque avidi adoleſcentes

centes Abipones, dum Hiſpanis pacem indulſere. Miſeri, inglorii in hoc tabeſcimus oppidulo! Prædia, mercatorum plauſtra, quibus omne mercium genus vectabatur, depeculati uno nobis die comparavimus, quæ ad menſes plurimos ſufficerent, quæ nullis jam ſeu precibus, ſeu artibus a nobis impetrantur. Spoliorum opimorum memores, favere ſe admodum, gracificarique Hiſpanis putant, quod latrociniis jam, cædibus, incendiis intermiſſis in colonia quieti hæreant; Quidquid ex Hiſpanorum liberalitate accipiunt, ſibi deberi, credunt, & ad pacis, quam concedunt provinciæ, beneficium remunerandum parum eſſe, arbitrantur.

Certe quidem prodigiis noſtræ ætatis, victoriisque luculentioribus eſt adnumerandum, quod Abipones ad colonias adeundas tandem ſint adducti, quippe qui a Caroli quinti cæſaris, Hiſpaniæque Regis temporibus, tot aliis Paraquariæ populis ſub jugum miſſis Hiſpano victori jam pugnando, jam fugiendo ſemper repugnarint. Expeditiones tot in illos fruſtra ſuſceptæ docuerunt militem: Abipones omni Europæorum vi, & aſtutia ſuperiores eſſe per ſuam calliditatem, celeritatem, & cumprimis per locorum, quæ occupant, ſitum, quo ipſa illos natura tuetur, & inexpugnabiles reddit. Eorum enim natale ſolum labyrinthus videtur e ſylvis, immenſa, ſæpe arida camporum planitie, paludibus, ſtagnis, lacubus, fluviisque compoſitus, qui Hiſpanis vel acceſſum negat, vel exitum, utrumque ſemper arduum, ſæpe periculoſum facit certe. His fere latebris libertatem defenderunt ſuam Abipones; Illorum ſtativa, quod alias dixi, propugnaculorum inſtar, & munitionum, quas arte paramus, loco ſunt; ſylvæ denſiſſimæ pro muro, fluvii, paludesque pro foſſa, arbores præaltæ pro ſpecu-

ſpecula, & Abiponum quisque pro excubitore, ſpeculatoreque ſemper fuit. Ne deleri unquam internecione poſſent univerſi, in varia tributi contubernia, in aliis, atque aliis ſtationibus habitaverant tum, ut, ſiquis repente hoſtium motus noteſceret, alii alios de periculo commonerent, mutuamque ſibi opem ferrent, tum ut certius hoſtilem conſpectum declinarent.

Vetus enimvero, Hiſpanorum querela eſt: Difficilius multo a ſe inveniri Abipones, quam vinci. Quos vicino, patenteque in campo locatos hodie per ſpeculatores tuos cognoveris, cras longo terrarum intervallo remotos ab heſternis ſtativis, jam ſylvas, paludesque inter ſepultos latere, intelliges, omnemque ad eos oppugnandos aditum tibi intercluſum dolebis. Si quid enim periculi ſuboleat Barbaris, expeditis ad fugam maturandam equis in tutiora confeſtim loca avolant, miſſiſque in omnem partem ſpeculatoribus excubandi pertinacia hoſtis propinquantis conſilia fere eludunt. Quoties pleno agmine adverſus exteros hoſtes viſum excurrere Abiponibus, imbellem ſexum, liberos, conjuges fidis latibulis, & decrepitorum, juvenumque præſidio tectas domi relinquere conſveverunt. Nihil adeo ſuccenſendum Abiponibus, exiſtimo, quod ad colonias noſtras toties invitati tamdiu ſint tergiverſati. Latibulis enim, propugnaculis nempe ſuis, nudati dum in oppidis degunt, & quorumcunque patent inſidiis, ſuam ſe vendidiſſe & libertatem, & ſecuritatem ſibi videntur. Hiſpanorum equidem, quamvis hi eorum ſe amicos jurent millies, amicitiam, fidemque nunquam non ſuſpectam habent, tragœdiarum, fallaciarumque identidem memores, quas majoribus accidiſſe ſuis, audiverant. Injuriarum memoria ſæpius, quam beneficiorum ad ſeros poſteros propagatur.

pagatur. Vulnera atavis inflicta ad vindictam stimulant nepotes.

Sancte affirmo, me totum in eo fuisse, Abiponum animis amorem in Hispanos, fiduciamque ut inspirarem. Isti, ajebam, ni Paraquariam adiissent, equos, boves, canes, quos in deliciis habetis, etiamnum ignoraretis. Testudinum more vobis repedum foret. Ferina semper carne, nunquam bubula vescemini. Quam laboriosam, quam sterilem haberetis lutrarum, cuniculorum, struthionum venationem, si Vertagi vobis deessent. Hi, ne ab hostibus dormientes opprimamini, latratu cavent suo, fidissimi ubique excubitores. Equi, vestri amores, vestra, si dicere liceat, in terris numina, præcipua belli, venatus, itinerum, quin & ludicrorum certaminum instrumenta, Hispanorum beneficio vobis obtigerunt. Militari virtute majores vestros superastis, Cur? Hi pedites fuerunt, vos equites. Næ! Saxa vos, ac stipites jure dixerim, si sincero amore in Hispanos non exardescatis, quibus res tantas debetis ex Europa ad vestrum solum translatas. Verum nihil hæc omnia ad divinæ religionis lumen, quod Hispani advenæ vobis accendere; Enimvero per Christianæ legis magistros, quos sumptibus, navibusque suis ex Europa advectos vobis offerunt, felicitati vestræ consultum maximopere cupiunt. Ex quibus palam fit, quanto amore, quanta fide Hispanos vobis adeo beneficos, vestri studiosos prosequi vos oporteat. In vos, vestrosque majores arma converterunt aliquando, haud inficior; Sed a vobis lacessiti id egerant, & par pari retulerunt. Amorem posthac amori reddent Hispani, si absterfis odiis, suspicionibusque, quas perperam fovetis, eorum amicitiam omni officiorum genere colueritis. Audierant ista iterum iterumque. Nemo

unus

unus refragari palam aufus eft. Plus tamen oculis fuis, quam auribus, plus Hifpanorum factis, quam Miffionariorum verbis credunt. Quid de Hifpanis fentiant, clam muffitantes familiari in confvetudine, nobis abfentibus, produnt interdum: Illos utilitatibus fuis unice intentos de Indorum commodis parum laborare: Pacem fervare, quamdiu bellum timent: Maxime timendos effe, dum fibi maxime blandiuntur: Illorum facta a verbis abludere, mores a lege, quam profitentur, plerumque difcrepare, ajunt. Si de equis Hifpanorum e prædio raptis objurgentur, negant hoc furtum effe, terram fuam ab Hifpanis ufurpari, contendunt, & quidquid illorum eft, jure fuum effe, quia in folo fuo prognatum, affirmant. Totam prius exhauries rhetoricam, quam iftiufmodi errores, veteresque, quas à majoribus fuis hæreditate acceperant, fimultates eorum ex animo evellas; Idquod tamen vel improbo labore impetrandum a Barbaris; Ni enim pacem, amicitiamque finceram Hifpanis polliceantur, norunt omnes, nunquam fe in noftram coloniam, difciplinamque recipiendos. Indi omnes, quotquot ufquam in America noftræ inftitutioni, ac curæ crediti, non quidem Hifpanorum privatorum mancipia, quod multi contra leges Regias contendebant, fed Hifpani Monarchæ tributarii, militesque femper fuere. Id non de Quaraniis, & Chiquitis folum, fed & de Mocobiis Chriftianis, Abiponibus, aliisque, quos excoluimus in Paraquaria, populis dictum exiftimes, velim.

Sed fingamus, Abipones feros & ad coloniam quampiam, & ad Hifpanorum amicitiam jam denique propendere. Quot, quantæque, fuperi boni, reftant difficultates, quæ vinci vix poffe videbantur, in eorum moribus immutandis. A pueris ætatem omnem

in

in cædibus, & rapinis conſumpſere; Ex hac latrocinandi conſvetudine & opes ſuas, & militarium honorum gradus, & multum ſtrepitantia nomina collegerant perinde, ut Scipio a vaſtata Africa Africanus, a Germania domita alii Germanici dicebantur. Qui plures Hiſpanorum cervices reſecuit, plura prædia, plauſtrave negotiatorum diripuit, numeroſiores captivos adduxit, luculentioribus cum vulneribus ex acie rediit, is ſupra cæteros eminere credebatur. Pulchrum illi erat, monſtrari digitis, & dicier: Hic eſt. Quam durum illis manus ab Hiſpano abſtinere, ſine prædis inopes, ſine dimicationibus, & victoriis inglorios, ſine buccinarum militarium tumultu quietos domi conſidere in colonia, non jam capita hoſtium, ſed ligna ſecare, haſtam cum Stiva, & ſecuri permutare, ad aratrum cum bobus reſtitantibus luctari, flexis in ſacra ædicula genibus religionis rudimenta cum puerulis condiſcere, & ut verbo dicam omnia, quodamodo repueraſcere. Ardua hæc, quis dubitet? Et prope inſuperabilia veteranis pugilibus, qui non uni urbeculæ, quin provinciæ univerſæ formidabiles ſe tamdiu fuiſſe recordantur. Senſim tamen depoſita feritate plerique provectioris ætatis coloniarum noſtrarum diſciplinæ ſe aſſuefecerant, quamvis identidem nobis experiri licuit: Naturam, etſi furca expellatur, tamen uſque redire. Fœminas vetulas, maresque nondum virilem ætatem adeptos domare maximo, & fere inutili labore nobis conſtabat; Illæ avitarum ſuperſtitionum tenaciſſimæ a barbaris ritibus vel latum unguem recedere, nefas putant; Hi libertatis, vagationumque cupiditate æſtuantes, laborem quemvis pertæſi latrocinando ſibi & equos copioſos, et nominis claritatem parare, nituntur, ne a genitoribus degeneraſſe ſuis viderentur, quos profligatas a ſe hoſtium acies, accenſa oppida, ſpoliata prædia, abactos equo-

rum, captivorumque greges, accepta, illataque vulnera jactare quotidie audierunt.

Deum optimum, Maximum, rerum omnium conditorem, Gubernatorem, ac arbitrum ne de nomine quidem norunt Abipones, ut Capite octavo de Abiponum religione fusius dixi, affirmavique: In universa eorum lingua, cæterum locupletissima, nullum prorsus suppetere vocabulum, quod Dei, vel divinitatis notionem exprimat. Malum dæmonem (Illis Keebet) avum suum, Groaperikie, svavissime compellant, & quamvis nullo venerationis, sacrificiique genere prosequantur, ne sibi noxæ esset, magnopere verentur, reverenturque. Hunc a nobis instituti denique aspernari, ac supremo Numini fidem, cultumque adhibere didicerunt. Tot rancidas superstitiones, tam stolidas opiniones, quas cum lacte combiberant, quas ex vetularum ore, ceu Delphico e tripode auditas pronissimo assensu a teneris unguiculis dignabantur, anilibus fabulis, ridiculis commentis adnumerare jubebantur simul, simul religionis nostræ mysteria, quæ vel sagacissimi cujusque captum transcendunt, pro indubitatis habere. Est aliquid profecto, avorum, atavorumque, quorum maxima apud Barbaras gentes authoritas, Sanctionibus nuncium remittere, & peregrino ex orbe advectas leges, moribus suis undequaque contrarias amplecti. Conjuges, quotquot lubuit, sibi adsciscere, & quoties lubuit, nemine rogato, improbante nemine, repudiare singulis licuit. Tantam libertatem perpetuo conjugis unius vinculo constringere, hic labor, hoc religionis amplectendæ obstaculum multis, multis deserendæ incitamentum erat. Juniores fœminæ Christi legem non probant modo, sed & dilaudant, maritisque svadent suis vel eo etiam nomine, quod viris

ris baptismate jam lustratis porro integrum non sit vel duplicare uxores, vel rejicere. Anus e contrario, quæ morum magistræ, rituum antistitæ, nationis oracula sunt, rei Christianæ progressibus pertinaciter obstiterunt semper, cum, quo plures Christo se adjunxerant contubernales, eo magis authoritatem defluere suam, suumque labefactari quæstum experiantur; Ea propter, ne quis suorum sacris ædibus pedem inferret, sacerdoti docenti aures præberet, vel salutari se tingi latice pateretur, dolis, minis, aliis quibusque artificiis cavebant diligenter.

Compotandi consuetudo tam altas in Abiponum animis radices egit, ut tardius, difficiliusque ebriositas, quam cæteræ turpitudines, posset exterminari. Abstinuere jam cædibus, rapinis, superstitiosis ritibus, in una acquieverunt uxore. sacris intererant frequenter functionibus, agros coluere diligenter, ædes sibi struxerunt concinnas, verbo, in frugi homines mutati jam, cicuratique videbantur. Verum, ne variis de causis ad compotandum recepto more considerent, mentemque potu seu ex melle, seu ex siliquis Græcis parato demergerent suam, vix denique ab iis poterat impetrari. Sed quis, amabo, Barbaris succenseat, qui hanc ebriositatis pestem apud cultissimas Europæ gentes etiamnum grassari meminerit non in Europa modo, sed & apud antipodas. In Paraquaria (quod vel formicarum greges infiniti vineas undique vastaverint, vel botros maturos vesparum,palumbularumque sylvestrium catervæ devorarint) parum etsi suppetat vini, nusquam tamen desunt ebrii, aqua vitæ, vel e fructibus variis expresso liquore, vinum passim supplente. Noxia, quæ in Abiponum oculos sæpe incurrunt, Christianorum exempla, ne illi ad meliorem frugem traducantur, crebro

Impediunt. Paraquariam insident Hispani, Lusitani, æthiopes, Indi indigenæ, & ex promiscuis istorum nuptiis prognati, quos mulatos, mestizos, quarterones, puchuelos &c. Vocant. In tanta hominum, non semper optimorum, colluvie, ac varietate nil mirum reperiri plúrimos, qui *dicunt se nosse Deum, factis autem negant*; Nam etsi *Catholice credant, gentiliter tamen vivunt, inimici crucis Christi, quorum Deus venter est.* Tanta quidvis rapiendi licentia, tanta morum impudentia, libidinum tanta libertas, tanta cædium, facinorumque atrocissimorum impunitas in urbibus, ac prædiis dudum invaluit, ut barbarissimorum Indorum contubernia, cum illis collata, virtutis, humanitatis, pudicitiæque theatra dicere jure possis. Tot seu indigenæ, seu advenæ bipedum nequissimi, ad omnem turpitudinem projecti morum suorum contagione Barbaros inficiunt, flagitia, illis olim peregrina, docent, efficiuntque, ne sacerdotum institutioni fidem habeant, cum christianorum veterum dicta, factaque illi contraria quotidie audiant, videantque. Funestam hanc pravi exempli pestem, nullis bonorum lachrymis sat deplorandam, nullis industriis eliminandam quotidianis experimentis compertam habeo. Unum de plurimis adfero. Ychoalay Caziquius Hispanos inter annis pluribus versatus, homo supra fidem sagax Patri Josepho Brigniel superfluum in vetanda polygamia rigorem amice objecerat. Eccur, mi Pater, ajebat, Abiponibus Baptismate lustratis non nisi unicam indulges uxorem? Homines alii, qui civitates insident, quidni christiani sunt? Putasne una singulos conjuge contentos vivere? falleris enimvero mi Pater, istud tibi si persvadeas. Multas habent plurimi. In obvias quasque, ut lubido, occasioque tulerit, fœminas irruunt impudenter. Hæc Indus, qui in Hispanorum coloniis lasciviendi licen-

tiam,

tiam, multorum pellicatum, obſcœnitateſque olim ſpectavit. Furtum non licere chriſtiano, nobis inculcas identidem, Ichoalay inquit Patri; Hiſpani, quamvis chriſtianos ſe dicant, ſi quem equum noſtrum, qui arrideat, viderint, rapiunt. Hæc, hiſque ſimilia objectans Ychoalay haud poterat mendacii argui, ni a noſtris noſmet falli oculis, auribuſque fateremur. Indi, qui apud chriſtianos, chriſtiani qui apud Indos captivi fuere aliquamdiu, ex urbibus advenæ, milites præſidiarii, pecorum cuſtodes Hiſpani Coloniarum Abiponenſium peſtis ſunt certiſſima. Nullum ſcribendi finem, ad finem hiſtoriæ jam properans, invenirem, ſi quæ explorata mihi de hoc argumento, ſingula commemorarem. Pravis chriſtianorum exemplis rei chriſtianæ apud Indos progreſſiones retardari maximopere, & impediri, extra controverſiam nobis eſt. Incipiant chriſtiani veteres Americæ moribus chriſtiani eſſe, & Abipones, Mocobii, Tobæ, Mataquayi, Chiriguani, Bajæ, Payaquæ, Vilelæ, Lenguæ, Lules, Chunipies, Serrani, Patagones, Aucaes, &c. Verbo: Indi omnes Paraquarienſes deſinent eſſe Barbari, legem Chriſti amplectentur. Idem divus Chryſoſtomus homilia 10. in primam ad Timotheum epiſtolam olim affirmaverat: *Nemo* ait, *gentilis eſſet*, *ſi nos*, *ut oportet*, *chriſtiani eſſe curaremus*. Hoc argumentum in templo Boni aeris coram Regio Gubernatore Joſepho Andonaegui, & nobiliſſimo urbis conſeſſu ex pulpito pertractavit, rationibuſque evidentiſſimis ſtabilivit noſter ſacerdos Dominicus Muriel Hiſpanus morum ſanctitate, & ſcientiis eminens, eximius dein Theologiæ magiſter in Academia Cordubenſi, præcipuis apud nos magiſtratibus perfunctus, & utiliſſimi operis, quod *Faſti novi orbis* inſcribitur, Venetiis 1776. typis dati author, etiamnum Faventiæ ſuperſtes. Eadem navi mecum ex Europa advectus paucos

ante dies in Boni aeris urbe appulit, dum de hoc argumento ad illustrem, confertissimumque auditorem, me quoque præsente, intrepide, præclareque verba fecit.

Addidit tamen prudenter, sancteque affirmavit: Nullo non tempore in Paraquaria exstitisse Gubernatores, Hispanosque alios, qui non modo partes omnes christianæ legis religiose impleverint, sed & religionem sanctam apud Barbaros legibus, verbis, factis, donisque liberalibus strenue promoverint semper. Id quod etsi certissimum esse, ipsus testor, dolendum tamen, alios improbos, quorum ingens est numerus, exemplis pestilentibus Indorum genti plus obsuisse, quam pauci illi probissimi profuerint. Pietatem christianam, morumque integritatem Quaraniicis in oppidis floruisse vidimus vel ideo, quod, ne promiscuæ advenarum feci ad illa aditus pateret, Regiis legibus fuerit cautum; Quamvis honestioribus Hispanis, quos hospitio liberaliter, honorificeque accepimus, non modo ad oppidorum ædes omnes, quin ad nostrum triclinium liberrimus semper accessus fuit. Cæterum aliis sordidissimo e vulgo hominibus seu arcendis, seu ejiciendis nulla vigilantia unquam suffecerat. Ex solo sancti Stanislai oppido recenti, quod ex Indis sylvicolis conflatum, intra biennium septuaginta pueri, puellæque, parentibus insciis, plorantibusque, in servitutem abreptæ. Et Episcopo, & Gubernatori factum impium patefeci. Indignati sunt ambo. Minati sunt, nescio quæ, istis raptoribus. Sed vanæ sine viribus iræ. Vana sine fulmine tonitrua fuerunt in ea scilicet provincia, ubi & sacri præsules ejecti olim a seditiosis civibus, & Gubernatores in vincula, in carceres compacti.

CA-

CAPUT XLVI.

Fructus non modici ex Abiponum Coloniis Collecti, quamvis majores exspectati.

Coloniæ quatuor: Sancti Hieronymi, Conceptionis, ſancti Ferdinandi, & Roſarii totidem Gymnaſia fuere, ubi Abiponum gens collecta humanitatem una, una Chriſti legem docebatur. Tot obices, qui progreſſus optatos diu morabantur, cultorum induſtria, patientiaque invicta remoti tandem ſunt, vel ſuperati. Abſterſa morum barbarie, ſuperſtitionibus ſenſim proſcriptis animos feroces ſvavitate Apoſtolica utcunque manſvefecimus. Qui rapto vixerant antea, ferarum more, vel venatu, poſito jam laboris horrore ad agriculturam animos, manuſque applicuerunt. Qui in latrocinando magis impigri prius exſtitere, & gnaviores, colendis agris, ædibus ſibi fabricandis ſtrenuiorem quoque operam dederunt ſubinde. Ychoalay, Kevachichi, Tannerchin, ut alios taceam, annis ſuperioribus belli fulmina, Hiſpanorum terror, ſtrategi nationis fortunatiſſimi omnium ore celebrati ſunt; Ad coloniam translati boum domitores, aratores, architecti præ cæteris dextri, indefeſſique evaſerunt. Contubernales ſuos, quos ad cædes patrandas duxerunt antea, jam ad cædendas pro ædium ſuarum fabrica arbores, ad limum pedibus ſubigen-

dum, ad proſcindendos aratro campos verbis, exemplisque hortabantur ſuis, omnium ſolertiſſimi. In ſancti Hieronymi oppido, cæterorum metropoli, plerique omnes, in tribus aliis ſat multi ſalutaribus undis luſtrati Chriſto ſe adjunxere, quas etſi ſoſpites recuſaverant aliquando, at ſaltem jamjam morituri ſuſceperunt. Quis infantium ineat numerum, quos ſacro fonte baptiſmatis renatos ad cœli delicias evolaſſe ex his Abiponum Coloniis læti recordamur. Adultorum, adoleſcentiumque quam plurimi tum morum innocentia, attenta chriſtiani dogmatis auditione, reverentia ſacris ædibus, imaginibusque impenſa, tum precandi ſtudio, divinorumque myſteriorum uſu, ſolidæ in Deum, cœliteſque pietatis documenta dederunt; Fœmineus tamen ſexus, ut ubique gentium aſſolet, in religionis officiis palmam tulit ſemper, Haud vacat ſingula, quæ ad hoc probandum faciunt, minutim recenſere, nefas tamen fuerit, tacere omnia.

Ychohake, celebrati a me toties Ychoalay Germanus frater per omnem ætatem mille nocendi artibus eximius, & jure nationis heroibus connumeratus vitam flagitiis infamem præclara morte clauſit. Dudum contabeſcens aliquot ante obitum ſuum menſibus ſacris chriſtianis petiit initiari. Jamjam e vivis migraturus fratrem, conjugem, cognatos, qui ejus lecto affuſi lachrymis indulgebant, faceſſere juſſit, ne, quæ cum ſacerdote ſibi porro agenda, conferendaque reſtarent, inutili præſentium comploratione interturbarentur. Præſtigiatricum, quæ moribundos obſidere, tympani pulſu, cucurbitarum ſonantium ſtrepitu, horridis lamentis, frigidæ repetita aſperſione, & trecentis aliis ineptiis, dum denique exſtinquantur, proſequi conſveverunt, nullam ad ſuas ædes admiſit, ut

quan-

quantum ab avitis ſuperſtitionibus abhorreret, omnibus faceret palam. Multa jam nocte, cubitum ut concederet, adſtantem ſibi Patrem Brigniel amice, ſvaviterque monuit: Accerſam te, dum mori me ſenſero, ajebat. Stetit promiſſis. Duabus ante auroram horis coram illo fide, fiduciaque pleniſſimus exſpiravit, die Divinæ Triadi ſacro. Superſtitioſis popularium ſuorum ritibus ex animo jam infenſus ſuprema voluntate cavit, ne Abiponum veteri inſtituto equos, oveſque ſuas ſuum ad tumulum mactarent, easque hæreditatis nomine filiolæ ſuæ uſibus voluit reſervari. Nobiliores Indi in loco, quem a nobis ſacra in ædicula deſignari petierant, ſepulchrum manibus ſuis foderunt, quod alias fœminarum munus. Rejectis lamentis muliebribus, cerimoniisque Romano ritu a nobis terræ eſt mandatus. Ychoalay lachrymis diffluxit, quod nullum jam fratrem ſibi eſſe ſuperſtitem dictitaret. Hemakie, de quo alibi plura ſcripſi, pluresque alii ſpoliandis, jugulandisque Hiſpanis per omnem vitam occupati mortem Chriſtiano homine dignam me præſente oppetierunt. Deliciis affluo etiamnum, dum Kaamalarin ſecularem, totque apud ſuos trophæis illuſtrem collato baptiſmate a me Chriſto adſcriptum, recordor. Vix novi Abiponem, qui a ſacris noſtris illo alienior, Hiſpano nomini infenſior eſſet. In tentorio conſidens ſuo quoties Hiſpanum vel eminus tranſeuntem viderat, *Kainiogé neteguink* recede canis, irarum plenus exclamabat. Abiponis Apoſtatæ, quis credat? opera ad baptiſmum recipiendum fuit permotus. Puella Abiponenſis jam Chriſtiana matre comite noctes plurimas in ſylva a tigridibus, ſerpentibusque frequentata ſe ſe abdidit, ut nefandas declinaret nuptias, ad quas a Pazonoirin Barbaro, & ſiquis alius, religionis acerrimo hoſte raptandam ſe, prævidebat. Compota-

 tionum

tionum licentia vel temperata jam, vel penitus eliminata. Polygamiæ, repudiorumque usus apud plerosque exolevit. Barbarissima consuetudo necandi fœtus ab ipsis demum matribus damnari cœpit, quamvis apud equestres Paraquariæ nationes passim civitate donata. Rerum, quibus carere vix possunt, quibusque prius abundaverant, penuriam æquo ferre animo malebant plerique, quam artibus, quas lex vetat divina, sibi olim familiaribus eas sibi procurare. Propensioris jam in Hispanos animi indicia dedere frequenter. Kepakainkin, postea Machafri dictus, homo pestilens omni ex parte, & popularium suorum odio dignissimus. Dona ut eliceret, Hispanorum aures blanditiis permulcere noverat alias, alias, ut Abiponum animos adversus Hispanam gentem concitaret, nullis artibus pepercit. In sancti Hieronymi oppido recens advena colloquentium Abiponum circulo forte interfuit. Cumque, ut solebat, de Hispanis insectandis, profligandisque Sermonem inferret, Tañerchin homo strenuus, & jam mentis optimæ excanduit, clavaque arrepta seditiosi Kepakakainkin brachium validissimo quassavit ictu: Desine, ajebat, istiusmodi memorare. Alia nobis jam in Hispanos mens, alius de illis sensus. Amici nostri sunt, fœderatique. Hoc in oppido & bene de illis sentimus, & bene loquimur. Apage cum tuis ineptiis, conviciisque. Et vero ad quemvis Gubernatorum regiorum nutum prompti Abipones Hispanis se associabant equitibus adversus quosvis hostes militaturi, semperque magnificis laudibus ab Hispanorum duce ornati redierunt.

Has colonias universæ Paraquariæ profuisse, nemo sane negaverit; Pacatis enim Abiponibus, & noxiarum ferarum instar cavea per nos coercitis licuit tantisper

tiſper Hiſpano reſpirare. Viis publicis, per quas commercii gratia commeandum, ſecuritas eſt reddita. Prædia item, Paraquariæ, Tucumaniæque opes præcipuæ, nova in campis Abiponum metu deſertis condita, vetera novis pecorum acceſſionibus locupletata Aliis quoque Barbaris, Tobis, Mocōbiis, Quaycuruis, quibus ſolenne erat in Hiſpanorum agrum infeſtis armis incurrere, magna ex parte via eſt interclusa, ut adeo nobis Abipones inter & excubantibus, & ſæpe perclitantibus Hiſpani in pacis gremio tuti, tranquillique conquieverint, nobisque vitas ſuas, ac fortunas in acceptis referre nil dubitaverint. Id conſecuti ſumus aliquando, ut univerſa Abiponum natio in tribus illis coloniis (quarta enim Roſarii tardius acceſſit) conſideret. Non inficior, permultos eorum deſertis coloniis arma reſumpſiſſe, & more ſuo palantes ex indefenſis prædiis equorum greges abegiſſe. Sed jam dixi alio loco, id Hiſpanorum culpa accidiſſe, dum ſolis propemodum fœminis domi relictis viri omnes ad expugnanda ſeptem illa Uruquayenſium Quaraniorum oppida, luſitanis e pacto tradenda, fuerant evocati. Ex infauſta illa expeditione quanta pernicies & in Hiſpanos Paraquarienſes, & in Abiponum oppida redundaverit, piget meminiſſe, quin & pudet.

Illud quoque certiſſimum: Abipones non paucos annis compluribus nobiſcum in colonia verſatos & baptiſmum, & diſciplinam ſemper reſpuiſſe, moris ſui perditiſſime tenaces, licet cætera innoxios. Doluimus id quidem, quin tamen mapnopere miraremur. Num enim vel Græca, vel Romana gens, vel Hebræa Apoſtolis Chriſti legem docentibus victas illico manus dedit? Num primis mox annis idolorum fana diruta, ſynagoga penitus everſa? Multorum

rum ſudore, ſanguine, & ſeculis is labor conſtitit, & necdum metam attigimus. Quantula eheu! orbis portio Jeſu Chriſto ſacramentum dixit, innumeris etiamnum Moyſis, Mahometis, confutii, naturæ legem, vel idola colentibus. Annoſa quercus, altiſque defixa radicibus non uno ictu ſternitur. Abiponum ſuperſtitiones ridiculas, vagandi, latrocinandique conſuetudinem, majorum exemplis firmatam, & alteram veluti naturam evertere penitus diuturni laboris, & prope deſperati fructus negotium plerisque videbatur; Nam experientia conſtat, Barbaros equeſtres, uti Malbalàs, Charruas, Aucas, Tobas, Mbayas, Quaykurúes, Mocobios, Chiriquanos &c. difficilius longe, tardiuſque, quam pedeſtres, ad humanitatem, religionemque adduci. Inveterata equis pernicibus omnem late provinciam pervagandi, latrocinandique licentia dulce venenum eſt, quod medullis alte inſidens ægerrime exturbatur. Idem ſenſit Divus Xaverius. Etſi intactum, intentatumque is nil reliquerit, ut vicinos Aſiæ populos, quin & remotiores ſinas, Japonesque Chriſto adjungeret, nunquam tamen ad tentandos, docendoſque Narſingano, ſeu Biſnagenſi regno finitimos Badagas, equeſtrem, latrociniisque aſſvetum populum, animum adjecit, quod in ea expeditione oleum ſe, & operam perditurum, ſapienter proſpexerit, quam certiori, luculentiorique cum fructu nationibus aliis impendit.

Perſpecta licet equeſtrium Barbarorum duritie, pertinaciaque, minime tamen negligendi Apoſtolicis operis Paraquariæ videbantur vel hoc etiam nomine, quod eorum inſtitutio, domitusque ad publicam provinciæ totius tranquillitatem, ac incolumitatem plurimum haberet momenti. Sed multo artificio utendum illis, qui ad iſtos tractandos, imbuendosque acceſſerint.

cesserint. Ut equi feroces poppysmatibus, infantes saccharo, & blanditiis mitescunt, ut sauciati vulnera a medico leni manu, ne exasperentur, attrectari solent, ita prorsus Indi equites, peditibus arrogantiores, singulari cum svavitate & quadam cum indulgentia alloquendi, monendi, atque corrigendi sunt, lenteque cum illis festinandum, ne præcoci fervore, ac severitate futurorum spes fructuum intercidat repente. Franges arborem adultiorem, si flectere volueris. Terrebis, fugabisque Barbatos e sylvis advenas, si Eliæ spiritu exardescens absonos, in conditosque eorum mores primo mox tempore abolere, & ad Christianæ disciplinæ amussim conformare imprudenter contendas. Præpropera certe, fervidaque ingenia, ut sæpe exercitibus, sic recentibus coloniis exitio fuere. Prudens cunctator, si lenitate, svavique, quantum per religionem licuerit, indulgentia uti noverit, ab Indis etiam ferocissimis sensim impetrabit omnia, maxime si verborum svavitatem liberalitas comitetur. Gregorius & sapientia & sanctitate magnus certe Pontifex Augustinum, quem Angliæ Apostolum, magistrumque Evangelii dederat, per literas provide commonuit: Paulatim ut Christiani dogmatis sementem jaceret; Caveret, ne primo impetu omnes omnino incolarum pravos mores, ac ritus funditus extirpatos vellet; Quibusdam in rebus conniveret tantisper, donec novellus hic ager ad falcem patiendam radices egisset. Hæc noster Petrus Ribadeneira in sancti Pontificis historia refert. Talia profecto svaserit Gregorius Augustino Divi Pauli Apostoli exemplo ductus, qui primis nascentis Ecclesiæ annis interdum indulgentior in Judæos fuisse videtur, maxime, dum Timotheum discipulum circumcidit, ut ex actibus Apostolorum capite sexto decimo versu tertio liquet: *Hunc* (Timotheum) *voluit Paulus*

secum

ſecum proficiſci; Et aſſumens circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quod pater ejus erat gentilis.

Indulgentia in Barbaros licet nobis ſemper cordi eſſet, haud tamen connivendum, tacendumque putavimus, quoties res vel religioni contraria, vel aliis perniciosa a nobis poterat impediri. Vitam immortalem infantibus moribundis baptiſmate ut procuraremus, mortis periculum ſæpe incurrimus, Barbaris ſcilicet repugnantibus, arreptaque haſta in nos jam jam irruentibus, quod ſacro Chriſtianorum lavacro accelerandam ægrotantibus mortem ſtolidi opinentur. Etiamnum horreo meminiſſe illius noctis, qua me comite, facemque præferente Pater Brigniel ad infantulum, quem morti proximum repente intelleximus, ſalutaribus undis luſtrandum properavit. Illius Pater Caziquius Lichinrain, deinde Ychilimin vocatus, nec precibus, neque rationibus, vel minis induci potuit, ut filioli abluendi copiam faceret. Id quod, cum caziquio vel invito, ac repugnante Brigniel præſtare contenderet, injectis a furente Kebachichi brachiis retractus eſt, cæteris, qui nos ſtipabant undique, frementibus, ac dira quæque minatis. Caziquius vix jam ſpirantem filiolum non modo brachio utroque arcte complexus eſt, ſed & veſtibus ſuis contexit undique, ut ejus pars nulla oculis pateret. Quamobrem periculo non mediocri defuncti, haud tamen votis potiti domum receſſimus. Infans tamen paulo poſt e morbo recreatus mærorem noſtrum abſterſit. Intrepidum ejuſdem Patris Brigniel animum alio jam loco celebravi, qui, dum vicino in campo e palmarum foliis, ramisque malo dæmoni, quem avum ſuum vocant, tugurium exſtrui ab Abiponibus intellexit, eo ad ſuperſtitioſa hæc feſta diſturbanda eques

ex-

excurrit, nil fanaticæ multitudinis arma veritus. Quoties mucronibus, ſagittisque circumfuſi accurrimus pacificatores ad temulentorum Abiponum agmen a mutuis cædibus, vulneribusque abſtinendum. Plurima ejuſmodi, quæ mihi in promptu ſunt, lubens prætereo. Si utriuſque Indiæ annales perlegeris, jurabis enimvero noſtros homines, qui divinam Barbaros legem docuerunt, indulgentiæ ſvavi Apoſtolicam ſeveritatem conſociaſſe, quoties pro Dei Gloria, morumque integritate ſtandum fuit. Admirationem omnem exhauriunt, & prope fidem ſuperant magnanimitatis exempla, quæ ſocii noſtri feriſſimis Paraquariæ populis domandis intenti reliquere poſteritati. Quanta auſi ſunt pro Deo, quanta paſſi Rochus Gonzalez, Barſena, Boroa, Ortega, Mendoza, Ruyz de Montoya, Mazzeta, Cataldino, Diaztaño, Lorenzana, Romero, Yegros, Zea, Caſtañares, Machoni, Strobel, Andreu, Brigniel, Nusdorffer, Cardiel, Fons, aliique tot eorum imitatores! Jam ſvaviter, jam, ſi cauſa Dei agebatur, fortiter cum Indis agendo nationes barbaritate immanes, numero formidabiles & Deo, & Hiſpaniarum Monarchæ ſubdiderunt, Europæis armis fruſtra oppugnatas ſæpe, nunquam expugnandas. Nihil eos trepidaſſe vel inde conjicies, quod, Barbarorum inſtitutioni ut primum ſe devoverant, trecentis periculis caput objecerint ſuum omnes, multi quoque vitam Apoſtolicam cruenta, decoraque morte clauſerint. Viſum mihi hoc loco eorum nomina annotare, qui in Paraquaria vel ab Indis Barbaris, vel ob Indos diverſis in locis, ac temporibus enecti fuere. Veniam dabis, ſi mortis annum, menſem, ac diem in quibusdam non expreſſero. Faſti, hiſtoricique Paraquariæ primi nominis Pater Nicolaus del Techo, Doctor Franciscus Xarque Decanus in Albarracia, Petrus Lozano,

no, qui accurate hæc omnia, fideque maxima retulerunt, mihi jam ad manus non ſunt. Quid ſi igitur invitus etiam ſilentio prætercam aliquos, qui ad hanc virorum fortium claſſem referri merebantur? Fideliter deſcribam, quos meis in adverſariis reperi. Nulla prope eſt Paraquariæ natio, cui operam non navaſſent aliquando Jeſuitæ; Colliges ex mea recenſione, nullam prope eſſe Paraquariæ nationem, quæ non trucidaſſet Jeſuitarum aliquem, imo aliquos. Si quem tædeat tot peregrina nomina perlegere, illorum Lectione, mea pace, ſuperſedeat. Erunt, qui illa capiantur.

Pater Rochus Gonzalez de Santa Cruz natus in urbe Aſſumptionis &

P. Alphonſus Rodriguez & P Joannes de Caſtillo occiſi a Quaraniis in Caarò anno 1628. die 15. Novembris.

P. Chriſtophorus de Mendoza (qui ſcribitur baptizaſſe nonaginta quinque Indorum millia (interfectus a Quaraniis Barbaris in Tapè anno 1635. die 26. Aprilis. Ab iisdem Barbaris eodem tempore occiſi, devoratique trecenti admodum infantes baptizati, primitiæ Chriſtiani gregis in Tapè in oppido Jeſus & Mariæ.

Patres Caſparus Oſorio, & Antonius Ripario necati a Chiriguanis anno 1639. die 1. Aprilis.
P. Didacus Alfáro, Panamæ in Peruvio natus globo trajectus a Mamalucis Braſilienſibus anno 1639. die 19. Januarii.

Pater

P. Alphonſus Arias & P. Chriſtophorus de Arenas interempti ab iisdem Mamalucis alio loco, & tempore.

P. Petrus Romero & Frater Matthæus Fernandez ejus ſocius cæſi a Chiriquanis in terra Curupaŷ anno 1645. die 22. Martii eo, quod baptizatis dixerint: *Non licet vobis habere duas uxores.*

P. Eſpinoſa occiſus per Quapalaches in via ad urbem ſanctæ fidei, quo miſſus eſt a Patre Antonio Ruyz de Montoya ſuperiore miſſionum ad emendum Goſſipium, nudis Indis veſtiendis deſtinatum.

P. Lucas Cavallero ſagitta primum, dein clava trucidatus per Pinzocaſas anno 1711. die 18. Octobris.

P. Bartholomæus Blende Belga & P. Joſephus de Arce Canarius a Payaquis mactati anno 1715.

P. Blaſius de ſylva natus in Paraquaria, ejus provincialis antea, & Frater Bartholomæus de Niebla interfecti alio tempore ab iisdem Payaquis.

P. Joannes Antonius Solinas Sardus & Ejusdem ſocius Reverendus Dominus Petrus Ortiz de Zárate Parochus, quorum curæ colonia nova ſancti Raphaelis commiſſa, eodem die, & loco ad flumen ſenta a Mocobiis, & Tobis interfecti in limine templi.

P. Nicolaus Maſcardi, qui cum multis Patagonibus quærebat civitatem de los cæſares (hodie fabuloſam) Hac non inventa redux occiſus eſt per Indos Poyas. Provincia chilenſis cum Paraquarienſi olim erat conjuncta.



Frater Albertus Romero a Zamucis, qui ejus caput securi fiderunt, interemptus anno 1718.

P. Julianus Lizardi, Cantaber, a Chiriguanis seditiosis in Valle Ingre ad aram operans abreptus in campum vicinum, stipiti alligatus, sagittis septem & triginta confectus occubuit in oppido conceptionis ab eadem natione habitato.

P. Augustinus Castañares Tucumanus Saltensis a Tobis & Mataquayis clava trucidatus in itinere anno 1744. die 15. Septembris.

P. Jacobus Herrero ad Quaraniorum oppida proficiscens prope Cordubam ab Abipone hasta transfixus anno 1747. die 18. Februarii.

P. Franciscus Ugalde Cantaber a Mataquayis sagittarum imbre necatus, & conflagrante, quod iidem Barbari sagittis igniferis accenderant, templo in cineres redactus. Philosophiæ operam dedit Cordubæ, dum ego Theologiæ. Juvenis omni ex parte præclarus.

P. Antonius Quasp Hispanus a Quaña captus, ab alio clavæ valido ictu fronti impacto prostratus, a Mbaya, Oyomadigi eorum Caziquio ense jugulatus, vulneratusque omni ex parte, in prædio oppidi sanctissimi cordis Jesu apud Chiquitos, anno 1764.

P. Martinus Xavier Navarrus, Divi Francisci Xaverii consanguineus, & P. Balthasar Seña Quaranicis in missionibus fame exstincti.

Pater

P. Joannes Neümann Auſtriacus ex ærumnis in moleſtiſſima aliquot menſium per flumen Paraquaÿ navigatione toleratis confeſtim obiit in urbe Aſſumptionis anno 1704. 7. Januarii.

Frater Henricus Adamo e morbo, quem in ſuſcepto ad Indos Chiquitos itinere contraxit, mortuus.

P. Lucas Rodriquez, dum continuos inter imbres, ſylvaſque continuas Ytatines ex oppido fugitivos in Taruma diu quæſierat, domum redux paulo poſt exſpiravit.

P. Felix de Villa Garzia Caſtellanus ex aliquot menſium itinere, quo eosdem Ytatines per Tarumenſia nemora inveſtigabat, in ſiniſtro oculo ulcus tabo manans (vulgus fiſtulam vocat) vermibusque quotidie ſcatens contraxit, quo miſere cruciatus annos plures pius ſenex, & denique exſtinctus fuit. In oppido ſanctæ Roſæ & admiratione, & commiſeratione proſecutus ſum dira patientem Apoſtolum. Vermes identidem ſuccreſcentes acuminata virgula ex ejus oculo quotidie evellebantur.

P. Romanus Harto Navarrus duabus ſagittis circa ventrem periculoſe ſauciatus ab iisdem Mataquayis, a quibus ejus ſocius P. Franciſcus Ugalde eodem veſpere fuit necatus, crematusque. In itu, ac reditu per Oceanum navigationis ſocius mihi erat.

P. Joſephus Klein, Bohemus Glazenſis, viginti admodum annos inter Abipones cum laude verſatus, adoleſcentem ejusdem nationis ferociorem de rapinis, cædibusque vitandis leniter commonuit. Sed ab eo monitoris optimi occiput clava impacta pericu-

lose fuit vulneratum adeo, ut diutissime sui impos, humique stratus sanguini innataret suo. In oppido sancti Ferdinandi.

P. Martinus Dobrizhoffer, dum & suam & sacram ædiculam adversus sexcentos Barbaros assilientes defenderat in oppido Rosarii, illi hamata sagitta dextrum brachium transverberatum, læsus medii digiti musculus, costa una sauciata a Toba Barbaro anno 1765. die secunda Augusti hora quarta matutina. Baptismus Caziquio Tobarum Keebetavalkin ab eo collatus causa hostilis assultus, tantique vulneris fuit.

Hi omnes (quid si & alii plures? quorum haud memini jam (Stabilienda varias inter Paraquariæ nationes Christi religione occupati vitam, certe sanguinem animose profuderunt. Felices, quibus Evangelii seu causa, seu occasione in arena occumbere licuit! Superstites nos, etsi periculorum, laborumque participes, sociorum nostrorum adeo præclara sorte haud digni videbamur, cum mortem oppetere Paraquariensi in solo nobis non licuerit. Quamvis decretum Regium, quo Europam repetere jubebamur ob causas etiamnum nobis ignotas, quippe, ut decretum sonat, Regio in pectore reservatas, quavis morte acerbius nobis videretur; Et reipsa quam plurimis seu adhuc Oceano innatantibus, seu navigatione quatuor, imo & quinque mensium defunctis mortem acceleravit. Ex triginta aliquot Jesuitis, qui navi sancti Ferdinandi ex portu Boni aeris in Europam vehebantur, quinque duntaxat semi vivi Gaditanum portum attigerunt, reliquis in navigatione miserrima morbo exstinctis. Taceo plurimos alios, quibus idem fatum fuit, seu aliis navibus, seu ex aliis Americæ,

Asiæque

Asiæque provinciis advectos. Doluere boni omnes, tot viros religione, scientiisque variis insignes, de re Christiana, de America optime meritos, Apostolicos Barbararum Gentium piscatores piscium marinorum escam denique fuisse.

Nobis, qui nostra in patria, exules Paraquaria licet, incolumes in hanc diem Dei beneficio vivimus, dulcissimum est meminisse laborum, quibus obruebamur, dum plurium annorum spatio jam Abipones, jam Quaranios divinis præceptionibus imbuere conati sumus, quamvis fructu conatibus haud semper pari, votisque nostris neutiquam respondente, maxime apud Abipones, qui equestrium Barbarorum more minus dociles, minus morigeri cultoribus suis multum negotii, solatii parum, ut alias dixi, dedere. Nemo tamen operam, quam his dedimus, pœnitendam, aut colonias, ubi collocati sunt, inutiles omnino fuisse unquam dixerit; Præterquam enim, quod per has tranquillitas toti provinciæ reddita fuerit, Abiponum quam plurimi tum infantes, tum adulti sacris nostris initiati, ad pacem, humanitatemque traducti; Neque dubium est, permultos, qui sacro lustrati fonte, necdum rationis usu præditi vivere desierunt, beatorum sedibus fuisse adscriptos; Quin & non paucis adultis, qui rite expiati obierant, eandem felicitatem obtigisse, opinor. Numerum Abiponum, qui in eorum quatuor Coloniis baptizati fuere, non exprimo, quia ignoro. Ne enim incerta pro certis lectoribus obtrudam meis, conjecturis, opinionibusque meis nihil admodum tribuere consvevi.

Quaraniorum in solo multo amplior semper messis fuit. Omissis aliis, quæ alibi a me, vel ab aliis dudum scripta ad hoc probandum facerent, ex mo-

 numen-

numentis fide dignis a me olim adnotata paucula adjcio. Ab anno 1610. usque ad 15. Augusti anni 1768. Septingenta duo millia octoginta sex Quaraniorum nostrorum hominum manibus baptizata fuerunt His non adnumerati sunt illi, qui in oppidis antiquioribus per Mamalucos prædones direptis baptisma a Jesuitis suscepere. En illorum oppidorum nomina, ac situs!

Oppidum Assumtionis in Yyuÿ in terra Caziquii Ńezu
— — Omnium sanctorum in Carò.
— — SS Petri, & Pauli in Caazapaquazù.
— — S. Christophori in adverso litore fluvii Ÿgaÿ.
— — S. Joachimi ibidem.
— — S. Theresiæ prope scaturiginem Ygaÿ.
— — Jesus, Mariæ in Ÿbitî Caray in adverso litore Ÿgaÿ.
— — Visitationis in eodem territorio.
— — S. Barbaræ in occidentali litore Paraquaÿ.

Pleraque istorum oppidorum plura jam Christianorum millia complectebantur. Verum, cum libri, quibus baptizatorum nomina, vitaque functorum inscribi solent, partim incendiis, partim Mamalucorum direptionibus interierint, baptizatorum in quovis oppido Quaraniorum numerus definiri haud potest. Illud mihi exploratum, bismille circiter tum infantes, tum adultos variarum nationum Indos sacro baptismate a me solo lustratos fuisse.

Postremis, quos in Paraquaria egerunt Jesuitæ, annis quinquaginta, & uno: duodeviginti millia parvulorum octingenti septuaginta quinque id est: 18875. ad Cœlum transierunt, quippe Baptismi compotes,

CENSUS ANNUUS
TRIGINTA OPPIDORUM QUARANICORUM
ANNI MDCCXXXII.

OPPIDA AD PARANAM.	Familiæ.	Vidui.	Viduæ.	Pueri.	Puellæ.	Baptifmi.	Nuptiæ.	Defuncti adulti	Defuncti Parvuli.	Communiones.	Capita.
S. Ignatii Quazù	0832	12	233	894	867	253	53	50	141	3400	3671
Noftræ Dominæ à S. Fide	1496	41	247	1369	1456	385	100	186	299	7593	6605
S. Rofæ	1102	41	204	1484	1525	223	46	175	455	5841	5458
S. Iacobi	0735	09	141	1059	0900	167	35	036	167	3480	3579
Ytapuá	1208	15	444	1831	1804	240	79	108	126	6948	6510
Candelaria	0697	01	292	0758	832	147	44	071	109	4594	3277
SS. Cofmæ & Damiani	0495	14	121	004	780	120	000	44	068	3400	2509
S. Annæ	0978	15	131	1253	1229	204	062	85	100	4729	4584
Laureti	1544	28	279	1809	1703	334	101	128	178	5927	6907
S. Ignatii Miri	1013	11	175	1198	1198	219	058	059	099	3620	4608
SS. Corporis Chrifti	0946	15	149	1183	1226	205	039	42	101	4690	4465
Iefus	0505	02	102	0731	0684	122	043	45	040	2668	2529
SS. Trinitatis	0702	28	255	0648	0612	154	027	93	203	6142	2947
Summa	12253	232	2773	15321	14816	2773	687	1122	2086	63032	57649
OPPIDA AD URUQUAYUM											
S. Iofephi	0741	02	200	1034	1051	225	44	60	076	4321	3769
S. Caroli	0602	03	402	0816	0944	178	48	44	201	4631	3369
SS. Apoftolorum	1154	05	254	1366	1386	267	26	74	061	5800	5319
Conceptionis	1205	15	255	1706	1579	265	52	50	149	6919	5965
S. Mariæ Majoris	0887	10	187	0979	964	223	81	74	134	4883	3905
S. Francifci Xaverii	0886	9	197	966	1041	256	9	76	37	5562	3955
SS. Martyrum Iapon.	0924	7	155	912	1013	211	42	47	139	5057	3905
S. Nicolai	1813	10	315	1840	1960	453	142	234	228	8949	7751
S. Aloyfii	1313	9	274	1662	1611	351	49	109	125	7571	6182
S, Laurentii	1428	13	305	1664	1675	386	66	89	109	7540	6513
S. Michaelis	1051	7	278	1222	1250	254	83	38	41	3624	4859
S. Ioannis Baptiftæ	1053	7	179	1498	1493	276	68	28	73	4318	5274
SS. Angelorum	1058	6	169	1537	1257	226	89	59	64	7062	5085
S. Thomæ	0826	2	386	729	824	230	61	33	124	2489	3553
S. Franc. Borgiæ	0696	3	514	886	884	231	50	20	62	5363	3679
S. Crucis	1034	6	435	1166	1071	421	41	37	225	6249	4746
Yapeyu vel SS. Trium Regum.	1438	10	264	1496	1358	444	86	122	354	7336	5704
Summa Uruquayenfium.	18109	124	4769	21470	21161	4870	1037	1194	2202	97674	83533
Summa Paranenfium.	12253	232	2773	15321	14816	2773	687	1122	2086	63032	57649
Summa omnium	30362	356	7542	36791	35977	7643	1724	2310	4288	160706	141182

Nota. Summa, quam parte prima, pagina 14 adnotavi, error calculi eft, ex numeris præcedentibus ab Indo perperam computatis ortus, & a me nuperrime correctus. Hæc tabula manu Indi Quaranii defcripta forte fortuna in manus incidit meas, & ad ea, quæ de oppidorum Quaranicorum frequentia fcripfi, confirmanda plurimum facit. Hunc in modum de cæterarum, quas variis Indorum nanationibus condidimus, curavimusque, coloniarum ftatu aulæ Matritenfi, Romæque a nobis ratio reddebatur quot annis. Numerofas Quaraniorum viduas ne mireris; Præterquam enim quod fœminæ maribus fere fint magis longævæ, illarum mariti ad regia caftra, aliaque obfequia frequenter evocati jam belli incommodis, jam ab hoftibus confumuntur. Ingens fane fuit Oppidorum Quaranicorum viciffitudo. Quæ quinquaginta ante annos incolarum numero eminebant, partim variolarum, morbillorumque contagio, partim fame ex cœli ficcitate, agrorum fterilitate, ac armentorum Lue fæpius orta, admodum diminuta funt: Alia vero olim minus numerofa quod publicas ejusmodi calamitates minus, rariusve fenferint, mirum in modum accreverunt. Anno 1767, quo ex Paraquaria exceffimus, Quaraniorum oppida vix centum incolarum millia numerarunt, etfi 30 antiquioribus illis recentiora duo S. Ioachimi, & S. Stanislai a nobis condita acceffer int a quatuor millibus, & circiter trecentis habitata. Ad pleniorem tabulæ hujus cognitionem paucula hæc mihi vifum eft adnotare.

potes, rationis, culpæque omnis adhuc expertes. Ne incredibilia hæc tibi, vel exaggerata videantur, noveris anno 1732. in triginta Quaraniorum oppidis, quæ Paranæ, & Uruquaў litoribus imminent, Centum quadraginta & unum millia Christianorum, centum octoginta duos fuisse numeratos. Vide adjectam tabulam. Repetitæ variolarum, morbillorumque pestes, militares Regiis in castris expeditiones adversus Lusitanos, bellici tumultus occasione septem oppidorum ad Uruquayum, Barbarorum cruentæ incursiones, morbi adeo diminuerant incolarum numerum, ut (quamvis ante annos viginti duæ Ytatinum coloniæ S. Joachimi, & S. Stanislai quinque propemodum capitum millibus constantes antiquis triginta oppidis accesserint) nobis in Europam remissis vix centum Quaraniorum millia censerentur.


Illud quoque in meis adversariis deprehendi, ab anno 1747. usque ad 1766. completum in his duobus & triginta Quaraniorum oppidis 91520. Christianis sacris initiatos fuisse.

In decem Chiquitorum oppidis anno 1766. numerata sunt viginti tria Indorum, Indarumque millia septingenti octoginta & octo. Omnes (paucos Catechumenos e sylvis recens adductos si excipias) ut præclari Christiani, sic formidati milites, & Hispanis perutiles. Per cæteras, quæ in Chaco provincia superfuerunt, variarum nationum colonias a nobis conditas, gubernatasque eodem anno quinquies mille quadringenti quatuor supra viginti jam Christiani censebantur. Multi enim incolarum nondum baptizati. Certum Christianorum numerum in singulis his coloniis ignoro; Id solum comperi, oppidum S. Francisci Xaverii anno 1743. a nobis conditum

mille

mille circiter Mocobios Christianos aluisse anno 1766. oppidum S. Hieronymi anno 1748. inchoatum octingentos Abipones Christianos. Oppidum S. Ferdinandi anno 1750. cæptum non nisi ducentos numeravit. Reliqui incolæ adhuc Catechumeni erant, nisi potius energumeni dicendi videantur, quippe post tot institutionis annos nativæ adhuc feritatis tenaces, & a Christianorum sacris alieni. Oppida conceptionis, & Rosarii quot Abipones jam baptismate insignitos numeraverint, mihi haud constat. Fusiorem hanc enumerationem eo fine inspersi, ut planissime intelligas pedestribus populis majori cum fructu operam navari a sacerdotibus, equestres vero nationes difficilius multo, ac lentius ad sanctam religionem traduci. Hinc rei Christianæ apud Abipones progressus etsi vota nostra non æquaverint, omnium tamen Hispanorum expectationem superarunt. Atque hæc, quæ de Abiponum rebus in promptu mihi fuerant, fide, quam potui, maxima, quamvis stylo haud elegantissimo conscripsi. Rerum veritas, non verborum fucus mihi cordi fuit. Si quæ Barbaries in orationem irrepsit, lector prudens ignoscet utique scriptori sylvas Americæ inter, ac Barbaros tot annis versato.

F I N I S.





INDEX.

INDEX.

INDEX.

F I N I S.

MENDA SIC CORRIGE.

Pag.	linea.	Pro	lege
7	26	Delapſi	dilapſi
11	25	Adolescentens	Adoleſcentes
21	33	Poſt verbum: *Ardore*	deeſt : *Sollicitudo*
25	33	Accurens	Accurrens
28	24	opporune	opportune
29	22	Luſiranus	Luſitanus
67	19	Babari	Barbari
67	20	Iruiſſent	Irruiſſent
69	26	curaret	curarent
83	16	aunis	annis
91	10	vita	via
123	1	A	Ab
132	21	Fomidari	formidari
143	4	Chinenſes	Chilenses
145	13	Nunqum	Nunquam
145	16	ehariſſimos	chariſſimos
147	8	nduſtriis	Induſtriis
147	15	cojugum	conjugum
149	18	ſequlchri	ſepulchri
149	20	Poſt Ychamenraikim	*Deeſt* obitum
167	31	Poſt : mœrorque	*Deeſt*: Me
168	16	cognoſcerent, referrent	cognoſceret, referret
179	11	Præſtolaturos	Præſtolaturum.
196	23	Neapolitaneo	Neapolitano.
203	15	Non	*eſt ſuperfluum*
234	4	creanr	creant

Pag.

Pag.	linea.	Pro	lege
254	9	fcſtinuates	feſtinantes
258	3	Mocohiorum	Mocobiorum
309	5	Caput XXIX.	Caput XXXVII.
339	34	Excurerrent	Excurrerent
350	1	Caput LXII.	Caput XLII.
360	12	nbſcure	obſcure
368	18	ſommo	ſomno
422	10	Caro	Caaiò




RPJCB

